

E. Volckmann.

Thorn d. 16 Juni 1860.

97 - 86.

~~3 v. (3/4) (2.)~~

excitu)

3 v. (1-8) 13 -

3 u. 4 ...

TITI LIVII

AB URBE CONDITA

LIBRI XXIII ET XXIV.

Mit Anmerkungen

von

Dr. Ernst Wilhelm Fabri,
Rektor und Professor des K. B. Gymnasiums zu Nürnberg.

LEIPZIG,
J. L. Schrag.

PRAEFATIO.

In edendis his duobus Livii libris quid potissimum spectaverim quamque ingressus sim exsequendi consilii mei viam, nihil attinet pluribus verbis disserere, quum de ea re in priorum librorum, vicesimi primi et vicesimi alterius, praefatione expositum sit. Rursus enim eo operam contuli, ut ad orationis Livianae cognitionem viam aperiendo et, si quae difficiliora intellectu essent, ea illustrando annotationibus scholarum maxime usui rationem libri accommodarem. Haec autem agens quum non paucis locis cognoscerem orationem Livii a librariorum mendis nondum revocatam ad integritatem pristinam esse, non videbatur supersedendum eo officio, quod ad emendandam scripturam pertineret. Itaque, quantum quidem sine novis codicum mss. adiumentis fieri posset, restituendis, sicubi corrupta viderentur, scriptoris verbis non minorem quam explicandis curam adhibendam esse duxi. Quanquam in hac quoque libri parte, ne a proposito consilio degrederer, id efficere conatus sum, ut haberent annotationes, quo etiam tironibus possent ad cognoscendum utiles esse. Quum autem in exploranda scripturae veritate egregii codicis Puteanei maxime sequenda vestigia essent, aliquot ad partes multum mihi profuit J. Fr. Boettcheri, viri eruditissimi, libellus ille, quem superiore anno ad J. Th. Kreyssigium misit, viro de humanitatis studiis praeclare merito diem gratulans muneris ante quinquennia quinque in schola Afrana initi *). Et periucundum mihi fuit, quod, dum Boettcheri inspicio annotationes cum meisque confero, non raro sententiam meam firmari vidi eius consensu. Item V. Ottonis, v. d., divinationibus Livianis, quibus saepe videtur verba Livii restituisse, etsi serius eae ad me perlatae sunt et quo tempore iam typis exscribebantur hi commentarii, ita usus sum, ut ex iis nonnulla, quae ad

---

*) T. Livii de rebus Syracusanis capita ad fidem Puteanei maxime cod. denuo collati et editoris passim coniecturis emendata cum brevi annotatione critica.

consilium meum pertinere viderentur, annotationibus subiungerem. Praeterea ex Weissenbornii, v. cl., censura Livii a Bekkero superiore anno editi *) excerpta quaedam, quae suo loco inseri libro iam non poterant, in addendis posui. Pauciora ea sunt, quod in plerisque cognovi eandem mihi quam Weissenbornio sententiam probatam fuisse. Ceterum ut ii quoque, quibus ad manus non essent alia librorum Livii exempla, copiam haberent cognoscendi, quod commemorare in annotationibus pro operis instituto non semper licebat, quibus locis receptam ab aliis scripturam relinquere visum sit, quaecunque a Kreyssigii et Bekkeri, clarissimorum hoc tempore Livii editorum, recensione discrepant, ea omnia, excepta modo leviore orthographiae et distinctionum discrepantia, extremo libro unum sub aspectum subiicienda putavimus.

Libros grammaticos tironum causa eosdem memoravi atque in prioribus commentariis, virorum ea laude praestantium, Zumptii, Schulzii, Ramshornii, Weissenbornii. Huius quidem non iam syntaxin significavi, sed ampliorem librum, qui biennio abhinc Isenaci scholarum in usum editus est. Codicum singulis locis singulorum enumerationem inferre quum ab instituto alienum visum sit, hoc addidisse satis habeo, ubicunque codicis omnium optimi mentionem fecerim, Puteaneum intelligi, ubi eius, qui secundus illi sit, Florentinum.

Denique sermone in interpretandis his Livii libris non ut antea patrio usus sum, sed Latino. Ipsum me non diffiteor ex commutato dicendi genere nonnihil voluptatis quaesivisse, et latius etiam visus est patere librorum id genus Latine scriptorum usus. Accedit, quod, si unquam, inter has impugnantium Latine scribendi consuetudinem contentiones philologos decet providere, veteris instituti laudem ne dimittant, neve, verbis quum discrepent, re ipsa adversariis concedere de victoria arguantur.

*) V. Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1840. Januar.

Scripsi *Norimbergae* a. MDCCCXL m. Martio.

T. LIVII LIBER XXIII.

EPITOME.

Campani ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis victoriae Mago Carthaginem missus annulos aureos a digitis occisorum Romanorum detractos in vestibulo curiae effudit, quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hanno, vir ex Poenis nobilissimus, suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem a populo Romano peterent; nec tenuit, obstrepente Barcina factione. Claudius Marcellus praetor ad Nolam, eruptione adversus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Hannibalis per hiberna Capuae ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum, a Poenis obsessum, ita fame vexatum est, ut lora et pelles scutis detractas, item mures, essent et nucibus, per Vulturnum amnem a Romanis missis, vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Postumius praetor a Gallis cum exercitu caesus est. Cn. et P. Scipiones in Hispania Hasdrubalem vicerunt et Hispaniam suam fecerunt. Reliquiae Cannensis exercitus in Siciliam relegatae sunt, ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas iuncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Praeterea in Sardinia feliciter a T. Manlio praetore adversus Poenos Sardosque res gestas continet, a quo Hasdrubal dux et Mago et Hanno capti. Claudius Marcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nolam proelio fudit et vicit, primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

Hannibal post Cannensem pugnam castraque capta ac direpta 1
confestim ex Apulia in Samnium moverat, accitus in Hirpinos U.c. 536. a.C. 216.

I.

Hann. p. C. p. castraque dir.) In codicibus tantum non omnibus haec leguntur: *Haec Hannibal post Cannensem pugnam capta ac direpta confestim* etc., nisi quod nonnulli non habent *Haec*, sed *Nec*, unus deteriorum ex numero: *His H. p. C. p. captis ac direptis*, quam scripturam excogitasse aliquis ad emendandam vulgatam videtur. Ea autem, ut videntur, con-

a Statio (Trebio), pollicente se Compsam traditurum. Compsanus erat Trebius nobilis inter suos; sed premebat eum

---

fisi plerique recentioris aetatis editores ex Gronovii coniectura receperunt: *Aecis Hannibal p. C. p. captis ac direptis*, quod, etiamsi discedas ab exigua illa unius libri manu scripti fide, parum probabile est. Nam primum quis credat, Livium, qui iam, deficiente maiorum rerum copia, Hannibalis etiam adversus parva oppida susceptas expeditiones diligentius tradat, captas Aecas uno verbo significasse, atque ita, ut de re memorare videatur accuratius ante exposita (cf. III, 1 in. *Antio capto;* infra c. 17, 7)? Deinde ea de causa praedam omnem atque impedimenta Compsae videtur reliquisse (§. 4), quod post pugnam Cannensem hoc primum illis locis munitum oppidum ceperat; denique ea est verborum collocatio: *Aecis Hannibal captis*, qua ab initio libri usum Livium esse verisimile non sit. Vera scriptio videtur esse: *Hannibal post Cannensem pugnam castraque capta ac direpta confestim* etc., ut Livius dicat, tantum modo temporis post pugnam Cannensem Hannibalem moratum in Apulia esse, dum castra Romana cepisset atque diripuisset. *Haec* enim, ut iam Valla docuit, pervulgato mendo librorum etiam optimorum natum videtur ex initio insequentis vocis, quod eo facilius fieri hic potuit, quod qui scribere solerent *Annibal*, *H* literam alius vocis esse possent opinari; *castraque*, quod ut inseratur, sententia ipsa postulat, propter similitudinem vocum insequentium *capta ac* facillime excidere potuisse, nemo est, quin videat; habetque etiam nunc *castra* unus ex deterioribus codd., in quo contra non legitur *capta*. Saepissime autem Livius hunc in modum *capere ac diripere* coniunxit, v. c. II, 25 extr.; IV, 47 post in.; X, 17 post med.; XXIII, 29, 15; XXIV, 35, 2; XXIX, 17 sub fin. etc. Ceterum quod ad v. *haec* attinet, non negaverim, id quoque esse posse, ut aliquid, quod ad eam vocem referretur, exciderit scripseritque Livius in hunc fere modum: *Haec Romani* vel *Haec Romae acta. Hannibal post* etc. Tali enim sententiarum oppositione Livius non raro ab initio librorum usus est. Cf. init. l. XXV; XXVII; XXXIII; XXXIX.

moverat) *Movere* saepe absolute ita dici, ut idem valeat quod *se movere* vel *castra movere*, ostendimus ad XXI, 32, 1.

in Hirpinos) Coniunguntur saepissime cum gentium nominibus, ubi haec ponuntur pro regionibus, eae praepositiones, quae proprie ad regiones referri solent. Exempla v. ad XXI, 5, 5.

Statio (*Trebio*)) *Trebio*, quod non est in libris manu scriptis, probabili coniectura addidit Gronovius, quem Bekkerus secutus est. Mira enim haec esset scriptoris negligentia, si hominem legentibus ignotum alio atque alio appellaret nomine, neque diversa ea nomina ad eundem referri significaret.

Mopsiorum factio, familiae per gratiam Romanorum potentis. Post famam Cannensis pugnae vulgatumque Trebii ser- 3
monibus adventum Hannibalis, quum Mopsiani urbem excessissent, sine certamine tradita urbs Poeno, praesidiumque acceptum est. Ibi praeda omni atque impedimentis relictis, 4
exercitu partito, Magonem regionis eius urbes, aut deficientes ab Romanis accipere aut detrectantes cogere ad defectionem iubet; ipse per agrum Campanum mare inferum 5

---

premebat) i. e. elevabat eius auctoritatem. Conf. ex- 2
empla ad XXII, 12, 12 posita.

urbem excessissent) Accusativum hic libri habent 3
omnes. Eundem casum nonnulli ex optimis libris suppeditant II, 37 extr. *ut urbem excederent*, et XXXII, 25 med.; item XXXVIII, 7 in. *Amphilochiam excessit;* optimi XXIV, 3 extr. et ibid. 20 med. (qui tamen loci nonnihil labefactare videntur codicum auctoritatem; v. ibi); omnes XXV, 9 post in. *excedere ordinem agminis;* multi XXXIV, 28 extr. *nullo portam excedente;* XLV, 20 in. *curiam excessit.* Itaque quanquam Livius aliis plerisque locis, ubi relinquendi vis est in excedendo, ablativum adiunxit, non tamen prorsus repudianda videtur contra codicum consensum altera structura, cui ab aliorum quoque eiusmodi verborum, quae nonnunquam similiter accusativum habent, analogia, ut *egrediendi* (v. ad XXII, 55, 8), *exeundi:* Ter. Hec. III, 3, 18 *ut limen exirem; Ovid. Met. X, 52 exire valles*, aliquid praesidii accedit.

relictis, ex. partito) Ne desideres inter ea partici- 4
pia coniunctionem, non eadem est utriusque ratio. Prius enim, quae tempore antecesserunt, ostendit, alterum arctius iungendum iis, quae sequuntur, eaque cur fieri potuerint, significat. Atqui ubi diverso modo ad sententiam primariam participia referuntur, non possunt inter se coniunctionibus coniungi. Cf. ad XXII, 22, 17; infra ad c. 27, 3; VI, 22 extr. *Quattuor legionibus quaternum milium scriptis, exercitu indicto ad portam Esquilinam — ad Satricum profectus;* XXXI, 26 sub fin. *omissa oppugnatione urbis, diviso cum Philocle rursus exercitu, ad agros vastandos profectus* etc.

cogere ad defectionem) Dukerus Livium scripsisse 5
deditionem existimavit: „Ad deditionem, inquit, compellere et cogere obvia sunt. Verum defectio non est invitorum ac detrectantium, sed volentium.“ Sed cf. XXXIV, 18 in. *ut alii in armis essent, alii obsidione ad defectionem cogerentur.* Nam ea quoque deditio, ad quam vi compellas, defectio potest dici, siquidem a consilio sive voluntate oritur eorum, qui ad ultimum discrimen perstare in pugnando nolunt. Accedit, quod Livius hic concinne opposuit inter se verba: *deficientes* et *cogere ad defectionem.*

petit, oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet.
6 Ubi fines Neapolitanorum intravit, Numidas partim in insidiis (et pleraeque cavae sunt viae sinusque occulti), quacunque apte poterat, disposuit; alios prae se actam prae-
7 dam ex agris ostentantes obequitare portis iussit. In quos, quia nec multi et incompositi videbantur, quum turma equitum erupisset, ab cedentibus consulto tracta in insidias,
8 circumventa est: nec evasisset quisquam, ni mare propinquum et haud procul litore naves, piscatoriae pleraeque,
9 conspectae peritis nandi dedissent effugium. Aliquot tamen eo proelio nobiles iuvenes capti caesique sunt, inter quos

---

6 *et pleraeque*) Ita saepissime per *et* inferuntur parentheses ad firmandam vel explicandam aliquam sententiam aptae. Subest hic sententia: et quidem potuit hoc facere i. e. in insidiis disponere, quum pleraeque etc. Cf. IX, 28 med. *omnia aedificia (et frequenter ibi habitabatur) circumiecta muris incendit;* XXVIII, 2 in. *hanc iustam legionem (et id ferme roboris erat) in prima acie locat;* XXIX, 23 post in. *ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes Numidae barbaros effusi in Venerem) sensit;* XXXI, 45 extr.; XXXV, 34 sub fin.; XLIV, 9 in. *Pleraeque* sunt permultae. V. ad XXI, 1, 1.

sinusque) *Sinus* recessus etiam terrarum dicuntur non solum mari adiacentium, sive ubi maris est sinus, ut XXVIII, 5 extr. *segetibus tamen — maxime in sinu Aenianum vastatis;* XXXVII, 6 in. *Jam in sinum Maliacum pervenerat;* sed etiam in mediterraneis locis. V. Curt. III, 9 extr. *paulatim deinde se laxare sinus montium — coeperant;* Plin. h. n. II, 44 *concavi vallium sinus.*

ostentantes) Hoc arcte coniungendum cum *obequitare.* Ita enim obequitare eos portis iussit, ut praedam ostentarent.

7 *nec m. et inc.*) De *neque — et* v. Z. §. 337; Weissenb. gr. l. §. 343. 4; ad XXI, 1, 2.

9 *eo proelio*) Conferre poteris quae posita sunt ad XXII, 49, 18.

capti caesique) i. e. capti aut caesi, ut multis locis Liv. dixit. Cf. IX, 27 extr.; ibid. 37 extr.; X, 45 sub fin.; XXIV, 16, 4 etc. Addita autem particula *que* expletur quod angustius dictum est. Similiter IV, 61 med. *Infra arcem caesi captique multi mortales;* V, 26 sub fin. *Multi caesi vulneratique;* IX, 27 extr. *caedi capique Samnites*; ibid. 36 extr. *Caesis fugatisque iis;* X, 36 sub fin.; XXV, 41 med. et saepe alibi. Nec differt XXV, 14 extr. *praedam — vendiderunt diviseruntque.* Cf. Weiss. §. 345. 2.

et Hegeas praefectus equitum, intemperantius cedentes secutus, cecidit. Ab urbe oppugnanda Poenum absterruere conspecta moenia, haudquaquam prompta oppugnanti.

II. Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa felici- 1
tate atque indulgentia fortunae, maxime tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis.
Senatum et sibi et plebi obnoxium Pacuvius Calavius fece- 2
rat, nobilis idem ac popularis homo, ceterum malis artibus
nanctus opes. Is quum eo forte anno, quo res male gesta 3
ad Trasimenum est, in summo magistratu esset, iam diu infestam senatui plebem ratus per occasionem novandi res magnum ausuram facinus, ut, si in ea loca Hannibal cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam
Poenis, improbus homo, sed non ad extremum perditus quum 4

---

inter quos — cecidit) i. e. inter quos et H. erat, qui — cecidit. Similia v. ad XXII, 57, 6 et infra ad c. 22, 7.

prompta oppugnanti) Cf. Tac. Ann. I, 68 *promptam* 10
expugnationem (esse). Est enim *promptum* nonnunquam, quod non multum negotii habet.

II.

inter corrupta omnia) i. e. quum corrupta omnia 1
essent, maxime tamen offecit moribus licentia plebis. Unus ex optimis codd. habet: *maxime tamen corruptam omni licentia plebis sine modo libertatem exercentis.* De verbo *luxuriandi* v. infra ad c. 12, 12.

Senatum) Sicut populus Romanus, ita ceterae quoque 2
Italiae civitates senatu utebantur. Et Campanorum quidem senatus apud Livium non solum hoc cap. et proximis, sed multis locis memoratur. V. infra c. 7 extr.; c. 10 in.; c. 35, 3; VII, 30 extr.; XXVI, 13. etc.

ceterum) *Ceterum* saepe vim habet particulae adversativae. Cf. ad XXI, 6, 1.

nanctus) Ita hic optimi quique libri. Idem ex optimo libro restituendum est XXII, 44, 4. Pariter eam formam nonnulli ex praestantissimis codd. servarunt: XXIV, 31, 14; ibid. 36, 1; XXV, 30 in.; XXVIII, 31 post in. V. Ramsh. I, p. 124.

r. m. gesta ad Tr. est) Interposuit Livius inter *gesta* 3
et *est*, quae cum his vocibus arctissime coniungenda sunt, sive ad quae verbi vis maxime pertinet. Atque eam verborum collocationem frequentissimam apud Livium esse, ostendimus ad XXI, 57, 14.

improbus homo etc.) His verbis, quae per appositio- 4
nem ad subiectum referuntur, causa continetur eorum, quae

mallet incolumi quam eversa republica dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua et senatum servaret et obnoxium sibi ac plebi
5 faceret. Vocato senatu, quum, *sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium*
6 *fuisset*, praefatus esset, *quippe qui liberos ex Ap. Claudii filia haberet filiamque Romam nuptum Livio dedisset; ceterum maiorem multo rem magisque timendam*
7 *instare; non enim per defectionem ad tollendum ex ci-*

---

subiiciuntur: *quum — crederet.* Ceterum tirones animadvertant, quemadmodum, quae multa ad praeparandam primariam sententiam hic pertinerent, gradus dignitatis, quem Pacuvius obtinebat, metus consiliorum plebis, mores hominis, inde nata sententia, ea uno verborum ambitu inclusa ars scriptoris praemiserit. Ipsa autem sententia primaria ne post praemissa haec multa exilior esset, subiuncta enuntiatione relativa eaque per *et — et* in duas partes divisa, cautum est. De duplici *quum* v. infra ad c. 17, 9.

ad extremum) i. e. omnino. Aliam vim locutionis habes XXII, 23, 5; infra c. 5, 9; XXXIV, 3 in.; XXXVI, 28 in. etc., ubi valet *postremo* (quam in sententiam etiam *ad ultimum* sive *ad postremum* saepe Livius ponit), vel XXI, 8, 10, ubi extremam partem significat.

publico consilio) Unus cod. *Patrum consilio.* Verum hoc ipsum saepe publicum consilium dicit Livius. Cf. infra c. 22, 2; XXIV, 22, 6; II, 23 sub fin.; III, 63 extr.; VI, 6 extr.

5 *placiturum*) Supplendum cogitatione: *fuisse*, quae rarior est ellipsis. Cf. infra ad XXIV, 5, 12.

6 *praefatus esset — ceterum*) Ita persequitur Livius orationem, quasi antea non posuisset *praefatus esset*, cuius vis propria non longius pertinet quam ad *dedisset* (hoc enim verbo clauduntur, quae avertendae suspicionis causa praemittit Pacuvius), sed *dixisset* vel aliud tale verbum. Cf. ad XXII, 8, 4. Neque enim recte cum Doeringio verba *ceterum — credant* et ipsa praefationis esse statueris, quippe quibus contineatur, quod summum spectavit Pacuvius, i. e. ut Senatum permoveret, ut se permitteret arbitrio suo. Similiter XXXIII, 12 post in. praemisso verbo *praefandi* aliud cogitatione addendum dicendi verbum.

nuptum L. ded.) V. Z. §. 668; Weissenb. §. 323. n. 1.

7 *vacuam remp.*) *Vacuum* nonnunquam dicitur quod sine rectore vel etiam sine domino est. Cf. Sall. Cat. 52, 23 *eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam.*

Hann. ac Poenis) De frequenti hoc dicendi genere diximus ad XXII, 14, 10.

vitate senatum plebem spectare, sed per caedem senatus vacuam rempublicam tradere Hannibali ac Poenis velle; eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi 8
et, certaminum in republica obliti, credant: quum omnes 9
victi metu permitterent, *Claudam in curia vos,* inquit, *et, tanquam et ipse cogitati facinoris particeps, approbando consilia, quibus nequicquam adversarer, viam saluti vestrae inveniam. In hoc fidem, quam vultis ipsi, accipite.* Fide data egressus, claudi curiam iubet praesidium- 10

---

se — eos) Duplicem hunc et subiecti et obiecti accusativum a structura accusativi cum infinit. non alienum esse exempla produnt ad XXII, 23, 2 allata. V. et infra c. 15, 11 et 15; 16, 15; XXIV, 19, 4. 8

credant) i. e. fidem habeant, confidant.

quum — permitterent) Haec quum per *et* posset scriptor adiungere, propter multas interiectas enuntiationes maluit eandem, quam supra posuerat, particulam revocare. 9

in curia) Nonnulli codd. deteriores: *in curiam*, ut cap. 3, 3 *Clausos omnes in curiam accipite.* Sed ibi dicit, se effecisse, ut in curiam congressi senatores clauderentur, hic quum spectentur, qui iam in curia sunt, ablativus positus est. Ceterum patet, multis locis non multum interesse, utrum hoc an illo modo rem cogites. Cf. infra XXIV, 19, 11; XXIX, 32 post in. *degressum iugis Masinissam persecutus, in valle arcta, faucibus utrimque obsessis, inclusit*, i. e. quum in valle arcta esset; XXXVI, 17 med. *Heracleae incluserunt se;* XXXVII, 24 extr. *veriti, ne includerentur vento in hostium ora;* XXXVIII, 15 post in. Contra accusativum habes XXXV, 30 extr. *incluso tyranno in urbem;* XXXVIII, 42 med. *Indignum esse, consules ambos in valles Ligurum includi;* XXXVI, 16 med. *Aetolorum utraeque manus Heracleam sese incluserunt.* Utramque structuram coniunxit Liv. XXXI, 17 ante med. *ut — matronas omnes in templo Dianae, pueros ingenuos virginesque, infantes etiam cum suis nutricibus in gymnasium includi iuberent.*

iniussu suo) Haec verba in extrema parte huius membri Liv. posuit, quo plus ponderis haberent, quippe quorum vim etiam ad alterum membrum: *neve — possit* referri vellet. 10

possit) Quemadmodum saepissime, ubi praecedit praesens histor., in enuntiatione secundaria ponitur imperfectum vel plusquamperfectum (v. Weissenb. §. 370 n. 2), ita contra frequenter, praecedente perfecto, enuntiata secundaria, non aliter ac si praecedat praesens histor., praesens tempus habent. Fit hoc inprimis in orat. obl. ut V, 15 extr.; ibid. 17 extr.; VI, 34 extr.; ibid. 36 extr.; VIII, 2 extr. etc.

que in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam iniussu suo
neve inde egredi possit.
1 III. Tunc vocato ad concionem populo, *Quod saepe,*
inquit, *optastis, Campani, ut supplicii sumendi vobis ex*
2 *improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc,*
non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas
praesidiis clientium servorumque tuentur, cum summo
3 *vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. Clausos*
omnes in curiam accipite, solos, inermes. Nec quicquam
raptim aut forte temere egeritis: de singulorum capite
vobis ius sententiae dicendae faciam, ut, quas quisque
4 *meritus est, poenas pendat. Sed ante omnia ita vos*
irae indulgere oportet, ut potiorem ira salutem atque

III.

1 *Quod—optastis*) V. Z. §. 630; Sch. p. 34; Weissenb. §. 422. n. 1; Liv. V, 29 extr. *Nam quod illi sperarent, effrenatam licentiam eius magistratus Patres laturos, falli eos;* IX, 9 in.; XXXII, 21 sub fin.

3 *Nec*) i. e. Neque vero. Cf. ad XXI, 44, 5; infra c. 15, 5; 27, 9.

forte temere) Hand. Tursell. II, p. 731: „Componuntur verba *forte temere* duplici modo, ut eorum quodvis singularem notionem praestet, et ut utrumque coeat in unam notionem. — Haec vero est temere, sine consilio et saepe etiam id, quod simplici *forte* exprimitur.“ Exempla v. ad XXI, 63, 9.

4 *ante omnia*) Haec coniunge cum *oportet.*

ita—indulgere) *Ita* elevat sententiam; nam est: non ultra id indulgere sive ita tantum indulgere. Cf. I, 17 sub fin. *ita gratiam ineunt, — ut non plus darent iuris quam detinerent;* V, 12 in. *quum — res militiae ita prospere gererentur, ut nullo bello veniretur ad exitum spei;* VIII, 38 post in. *Eques — ita institit agmini, ut, donec lucesceret, proelio abstineret;* XXXI, 31 post med. *Ceteris ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad habitandum daremus.* Germani possumus haec etiam exprimere per *zwar* et *aber.*

potiorem ira) i. e. quam iram. V. Z. §. 484; Sch. p. 432; Weissenb. §. 262. n. 1; praeterea infra XXIV, 8, 11; XXXI, 31 in. *defensionem ut accusatione potiorem haberem;* XXXVIII, 53 med. *quod rempublicam privatis simultatibus potiorem habuisset;* IV, 52 extr. *non plus singulis senatoribus invenientes.* Eodem modo Cicero quoque non raro loquitur. V. de inv. I, 38, 69 *Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropaeo carius aut antiquius habere con-*

utilitatem vestram habeatis. Etenim hos, ut opinor, odistis senatores; non senatum omnino habere non vultis. Quippe aut rex, quod abominandum, aut, quod 5
unum liberae civitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque duae res simul agendae vobis sunt, ut et veterem senatum tollatis et novum cooptetis. Citari sin- 6
gulos senatores iubebo, de quorum capite vos consulam. Quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locum virum fortem ac strenuum novum senatorem cooptabitis, quam de noxio supplicium sumatur. Inde con- 7
sedit, et, nominibus in urnam coniectis, citari quod primum sorte nomen excidit, ipsumque e curia produci iussit. Ubi 8
auditum est nomen, malum et improbum pro se quisque clamare et supplicio dignum. Tum Pacuvius, *Video, quae de* 9

---

venit? Acad II, 36, 117 *quem unum e physicis potissimum probabit? Nec plus uno poterit;* Att. VII, 3 in. *ne diutius anno in provincia essem;* Fam. XI, 6 in.

hos) i. e. qui nunc sunt. V. ad XXII, 39, 3.

sen. — habere) Huius locutionis hic et § 5 aliam ac vulgo, quum de convocato senatu dicitur, vim esse, facile apparet.

5 *agendae vobis sunt*) Ita alter duorum optimorum codicum; de altero tacent editores. Ceteri minus concinne *agendae sunt vobis.* Cf. supra ad c. 2, 3.

cooptetis) Recte Bauerus docet, *cooptare* (fere) dici de collegio semet supplente novis sodalibus. Sed quod idem h. l. vocabulum eo pertinere putat, quod plebs e suomet corpore senatores lectura esset, ea vis in hoc verbo non inest. Imo *cooptare* et *cooptatio* omnino de legendis senatoribus, nulla eius, qui legeret, ratione habita, dici poterat, si quis, eos in collegium additos, potissimum respiceret. Cf. Liv. IV, 4 med.; VI, 4; Cic. Verr. II, 49; Cael. 2, 5.

6 *fortem ac strenuum*) Haec saepe ad laudandum virum aliquem coniungi, ostendimus ad XXI, 4, 4.

quam — sumatur) i. e. priusquam — sumi potest. V. ad XXII, 39, 6.

7 *ipsumque*) Homo opponitur nomini; hinc *ipsum* posuit.

8 *clamare*) Infinit. historicus non raro ponitur in apodosi. V. ad XXI, 54, 9.

et suppl. dignum) Bene haec verba Livius a prioribus adiectivis (*malum et improbum*) interiectis nonnullis vocibus separavit et cum vi in clausula posuit, quum significent: atque ideo supplicio dignum esse.

10 *hoc sententia sit data. Eligite pro malo atque improbo bonum senatorem et iustum.* Primo silentium erat inopia potioris subiiciundi; deinde, quum aliquis, omissa verecundia, quempiam nominasset, multo maior extemplo clamor
11 oriebatur, quum alii negarent nosse, alii nunc probra nunc humilitatem sordidamque inopiam et pudendae artis aut quae-
12 stus genus obiicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio citato senatore est factum: ut ipsius poenitere homines appareret, quem autem in eius substituerent locum deesse:
13 quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad au-

---

9 *sit data*) Sigonius coniecit: *lata,* quod sane frequentius legitur. Sed Liv. etiam VIII, 20 extr. dixit: *etsi meae partes exquirendae magis sententiae quam dandae sunt.*

Eligite) Ita ex Gronovii coniectura Drakenborchius. Sed *eligite* in duobus tantum codd. legitur et in altero quidem pro emendatione additum a m. sec. Duo non ita magnae auctoritatis idem vocabulum post *iustum* habent. In ceteris et optimo quoque pro eo legitur: *eiicitur.* Hinc Gronovius alteram coniecturam proposuit hanc: *Video, quae sententia de hoc sit. Date igitur pro malo atque improbo bonum senatorem et iustum;* quae coniectura quum proxime ad optimorum librorum auctoritatem accedat, multum probabilitatis habet. Ante Drakenborchium libri typis descripti praebebant: *Video, quae sententia de hoc sit data. Eiicitur pro malo atque improbo. Bonum senatorem et iustum eligite.* De verbo *eiiciendi* cf. XL, 51 in. *Tres eiecti de senatu;* XLI, 27 in. *De senatu novem eiecerunt;* XLIII, 15 extr. *Septem e senatu eiecti sunt.* Idem apud Ciceronem quoque non semel legitur. V. Cluent. 42, 119; ibid. 48, 135; pro dom. 47, 123.

10 *potioris*) Comparativos in num. singulari masc. gen. positos saepe pro substantivis esse, ostendimus ad XXII, 12, 12.

nosse) De omissione pronominis *se* v. ad XXI, 18, 14.

11 *probra*) i. e. facta turpia, quibus mores commacularentur.

pudendae) Cf. XXV, 6 med. *ut alias pudendas clades exercituum taceam;* XL, 56 in. *neque pudendum aut poenitendum eum regem Macedonibus — fore censebat;* I, 35 med. *sub haud poenitendo magistro, ipso Anco rege.* V. Sch. p. 332; Z. § 142.

12 *ipsius poenitere*) i. e. ipsum displicere. V. de hac verbi vi ad XXII, 12, 10.

quem autem) i. e. eum autem, quem. Itaque non discessit Liv. ab ea lege, quam habent libri grammatici. V. Z. §. 798 n.; Sch. p. 540. De collocatione verborum cf. infra ad XXIV, 39, 9.

13 *nec — attinebat*) *Non attinet aliquid facere* vel *fieri*

dienda probra nominatos, et multo humiliores obscurioresque ceteri erant eis, qui primi memoriae occurrebant. Ita 14
dilabi homines, notissimum quodque malum maxime tolerabile dicentes esse iubentesque senatum ex custodia dimitti.

IV. Hoc modo Pacuvius quum obnoxium vitae bene- 1
ficio senatum multo sibi magis quam plebi fecisset, sine armis, iam omnibus concedentibus, dominabatur. Hinc se- 2
natores, omissa dignitatis libertatisque memoria, plebem adulari: salutare, benigne invitare, apparatis accipere epu- 3

---

significat: *non prodest* vel *non opus est al. facere* etc. V. II, 41 med. *Quid attinuisse, Hernicis, paullo ante hostibus, capti agri tertiam partem reddi?* VI, 23 med. *Quid attinere, cum mortali corpore uno — civitatis, quam immortalem esse deceat, pati consenescere vires?* ibid. 26 extr. *etsi revicta rebus verbis confutare nihil attinet;* ibid. 38 extr. *quem quid creari attinebat ad id certamen, quo M. Furius victus esset;* X, 13 sub fin. *quid ergo attineret leges ferri?* XXIII, 13, 5 *nec victoribus mitti attinere puto, et frustrantibus nos falsa atque inani spe multo minus censeo mittenda esse.* Atque ita multis aliis locis Livius dixit.

nihil aliud — quam nom.) V. Z. §. 771; Weiss. §. 466 extr. et quae ipsi ad XXII, 60, 7 attulimus; infra XXIV, 36, 7. Nusquam autem Livius in hac formula *nisi* posuit.

dilabi) Hoc verbum bene in eos cadit, quorum restinc- 14
tus ardor esset. Cf. ad XXI, 32, 10.

IV.

plebem adulari) Hoc coniecit Salmasius, quum in optimo 2
cod. legatur: *aduari.* Ceteri habent *adfari.* Salmasii coniectura iam pridem editoribus probata est plerisque omnibus. Et sane habet, quo commendetur. Nam *affari,* quod nullo alio loco Livius habet, fere in solenni alloquio ponitur, id quod in hunc locum non cadit; ad hoc gradationi, quam hic habes, non videtur convenire verbum salutandi affando postpositum (cf. III, 14 post med. *benigne salutare, alloqui plebis homines*); denique vereor, ne Livius hic singulos spectans dicturus non fuerit: *plebem affari, salutare,* sed potius *plebis homines* sive *plebeios.* Contra *plebem adulari* et subiectis vocibus *salutandi* etc. bene illustratur, quod mutata distinctione significavimus, et iis, quae praemissa sunt: *omissa — memoria* maxime consentaneum est. Accusativum Livius etiam XLV, 31 in. verbo adulandi adiunxit, dativum, quam posteriorem structuram fuisse Quintilianus (IX, 3, 1) docet, III, 69 ante med.; XXXVI, 7 in. V. Z. § 389; Sch. p. 450; Weiss. §. 284 et n.

apparatis — epulis) *Apparatae epulae* dicuntur magna 3

lis, eas causas suscipere, ei semper parti adesse, secun-
dum eam litem iudices dare, quae magis popularis aptior-
4 que in vulgus favori conciliando esset. Iam vero nihil in
senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium.
Prona semper civitas in luxuriam non ingeniorum modo vi-
tio, sed affluenti copia voluptatium et illecebris omnis amoe-
5 nitatis maritimae terrestrisque, tum vero ita obsequio prin-
cipum et licentia plebei lascivire, ut nec libidini nec sum-
6 ptibus modus esset. Ad contemptum legum, magistratuum,
senatus, accessit tum, post Cannensem cladem, ut, cuius
aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium sperne-

---

opera paratae sive lautae, splendidae. Cf. XXXI, 4 extr. *Ludi Romani scenici eo anno magnifice apparateque facti;* XLIV, 9, med. *apparatioribus ludis.*

secundum eam l. i. d.) *Eam* i. e. partem; *iudices* i. e. quum iudices essent. Cf. de hac locutione Gell. V, 10 *Si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia dabitur, quia ego vicero; sin vero secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris;* Cic. Rosc. Com. 1, 3 *quo minus secundum eas* (i. e. tuas tabulas) *lis detur, non recusamus.* Strothius: „Tribus modis, inquit, nobiles homines iuvare poterant plebeios in causis, vel oratores seu causarum patroni i. e. *causas suscipiendo*, vel advocati i. e. *quum adessent parti*, vel iudices i. e. *litem* seu *sententiam* dando *secundum aliquem.*" Cf. ad XXIV, 38, 3.

in vulgus) i. e. si spectes vulgus. V. de hac locutione ad XXII, 3, 14 et ibid. 12, 12.

4 *voluptatium*) Genitivi *voluptatium, difficultatium, simultatium,* ac maxime *civitatium*, quum multis locis in optimis codd. legantur, etiam hic Drakenborchius hanc formam, quam unus ex optimis libris suppeditat, recepit. V. Z. §. 66; Sch. p. 92; Weiss. §. 67 n. 5.

5 *tum vero*) Ante haec verba in multis libris minus bene posita est maior distinctio, quasi hinc novum inciperet enuntiatum. Est vero sententia haec: *Civitas, quae semper prona in luxuriam erat, — tum vero ita — lascivire.* Qui autem factum sit, ut *tum vero* poneret Livius, facile intelliges, si consideraveris, ea, quae modo posuimus, non multum differre ab his: *Quum semper prona in luxuriam civitas esset, tum vero* etc., de quo genere loquendi v. ad XXI, 11, 8.

plebei) V. Z. §. 98; Weiss. §. 73 n. 2; ad XXII, 34, 2.

6 *cuius al. e. ver.*) Noli verba ita interpretari: *ut Romanum quoque imperium spernerent, cuius aliqua erat verecundia*, sed: ut eam rem, cuius aliqua erat verecundia, i. e. Romanum quoque imperium spernerent.

rent. Id modo erat in mora, ne extemplo deficerent, quod 7
connubium vetustum multas familias claras ac potentes Romanis miscuerat, et quod, quum militarent aliquot apud Ro- 8
manos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobilissimus quisque Campanorum, in praesidia Sicularum urbium delecti ab Romanis ac missi.

V. Horum parentes cognatique aegre pervicerunt, ut 1
legati ad consulem Romanum mitterentur. Ii nondum Canusium profectum, sed Venusiae cum paucis ac semiermibus consulem invenerunt, quam poterat maxime miserabilem bonis sociis, superbis atque infidelibus, ut erant Campani, spernendum. Et auxit rerum suarum suique contemptum consul 2

---

erat in mora) Cf. III, 24 med. *In mora tribuni erant, qui comitia quaestores habere de reo — passuros negabant;* XXX, 44 in. *Ti. Claudii primum cupiditatem, deinde Cn. Cornelii, fuisse in mora, quo minus id bellum exitio Carthaginis finiret;* XLIV, 22 in. *quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum;* infra XXIV, 33, 6. 7

et quod) Repetita coniunctio, alteram causam et a priore diversam afferri, ostendit. Cf. ad XXI, 63, 2; XXII, 1, 15. Ceterum Crevierius deletum voluit *quod.* Probabile hoc esset, si *maximum,* quemadmodum Heusingerus et Klaiberus interpretati sunt, plenam haberet superlativi vim. Livius autem dicit, etiam hoc impedimento fuisse, quod permagno vinculo Campani cum Romanis tenerentur iuncti propter trecentos illos nobiles equites. 8

delecti ab R. ac missi) Romani in deliciis habent hanc verborum collocationem, qua inter duo alicuius enuntiationis membra, quod ad ambo refertur, interponitur. Ea autem fit, ut et plus ponderis accipiat alterum membrum (ut hic *missi*) neu adhaerescere modo priori videatur, et gratior ad aures accidat verborum sonus. Cf. ad XXI, 19, 10; infra cap. insequenti §. 2; c. 7, 10; c. 17, 10; 18, 1; 28, 2 etc.

V.

Canusium profectum) Cf. XXII, 54 med. 1

ut erant C.) *Ut* non pro *quales* positum, sed supple cogitatione: ut superbi atque infideles erant C. Cf. II, 30 in. *Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appii sententia.*

spernendum) Quae vis sit in participio fut. pass., vides ex eo, quod oppositum est: *miserabilem.* Ea vis adiecta negatione frequentior est. Ita idem participium posuit Liv. IV, 20 extr.; XXX, 45 sub fin. Cf. Z. §. 650; Weiss. §. 186 n. 2 et 3.

3 nimis detegendo cladem nudandoque. Nam quum legati,
aegre ferre senatum populumque Campanum, adversi quic-
quam evenisse Romanis, nuntiassent, pollicerenturque omnia,
4 quae ad bellum opus essent, *Morem magis*, inquit, *loquendi
cum sociis servastis, Campani, iubentes, quae opus es-
sent ad bellum, imperare, quam convenienter ad prae-*
5 *sentem fortunae nostrae statum locuti estis. Quid enim
nobis ad Cannas relictum est, ut, quasi aliquid habea-
mus, id, quod deest, expleri ab sociis velimus? Pedi-
tes vobis imperemus, tanquam equites habeamus? Pecu-*
6 *niam deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil
ne quod suppleremus quidem nobis reliquit fortuna. Le-
giones, equitatus, arma, signa, equi virique, pecunia,
commeatus, aut in acie aut binis postero die amissis*
7 *castris perierunt. Itaque non iuvetis nos in bello opor-
tet, Campani, sed paene bellum pro nobis suscipiatis.*
8 *Veniat in mentem, ut trepidos quondam maiores vestros,*

---

2 *Et auxit*) Id est: ad hoc, quod superbis sociis spernendus videbatur, accessit, quod — auxit. V. ad XXII, 22, 20.

3 *quicquam*) Hoc pronomen nonnunquam apud Livium legitur in sententiis, quae videntur aientes esse. Sed aut subest sententia negans, ut hoc loco, aut res significatur, quae prope nulla aut minima est. V. I, 18 in. *consultissimus vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat* (cf. Weissenb. §. 225. n. 2); ibid. 22 extr. *Se invitos, quicquam, quod minus placeat Tullo, dicturos;* 35 in. *quod quisquam indignari mirarive posset;* III, 38 med. *Hostibus belloque gratiam habendam, quod solitum quicquam liberae civitatis fieret;* IV, 60 in. *donec quicquam virium superesset;* XXXIII, 3 in. *quibus modo quicquam reliqui roboris erat*; XXXV, 14 in.; ibid. 30 sub fin.

4 *Morem loquendi*) Nam ex formula dicebatur *imperare sociis, quae ad bellum opus essent.*

6 *Nihil ne — quidem*) V. Sch. p. 586 extr.; Z. §. 754 A.

equi virique) Haec frequenter coniungi, ostendimus ad XXII, 52, 5.

binis — castris) V. Z. §. 115 A; Sch. p. 183. 10; Weiss. §. 98 n. 3. 2).

7 *non iuv. — sed*) De *non — sed* diximus ad XXI, 41, 16.

8 *Veniat in mentem*) Postquam ostendit, nihil Romanis reliqui fortunam fecisse Campanisque totum paene bellum suscipiendum, quibus rebus, ut suscipiant, permoveri debeant,

intra moenia compulsos nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum paventes, receptos in fidem apud Saticulam defenderimus, coeptumque propter vos cum Samnitibus bellum per centum prope annos, variante fortuna eventum, tulerimus. Adiicite ad haec, quod foe- 9
dus aequum deditis, quod leges vestras, quod ad extremum, id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit, civitatem nostram magnae parti vestrûm dedimus communicavimusque vobiscum. Itaque communem vos 10
hanc cladem, quae accepta est, credere, Campani, opor-

---

docet, i. e. Romanorum beneficiis, malis, quae ab hostis feritate immineant, existimatione, opibus suis.

nec S. modo hostem, sed etiam S.) V. ad c. 4 extr. et de structura ad XXI, 53, 2. Ita VII, 17 in. *vana miracula paventes irridebant increpabantque.* Aliter *ad* praepositionem addidit Liv. V, 42 med. *paventes ad omnia;* XXV, 38 sub fin. *inter torpidos somno paventesque ad necopinatum tumultum;* XXXIV, 38 med.; de quo dicendi genere cf. ad XXIV, 14, 9.

defenderimus) Cf. Liv. VII, 29 sqq.

per centum pr. annos) „Elatorie dixit Terentius *per centum prope annos.* Verius autem legatus Romanus in concilio Aetolorum l. XXXI, 31, 10, qui per annos septuaginta bellatum esse cum Samnitibus ait. Etenim coeptum est anno ab urbe condita CDXII, M. Valerio, A. Cornelio consulibus, finitum anno CDLXXIX, C. Fabricio, C. Claudio consulibus" (rectius scr. CDLXXXI L. Papirio Cursore et Sp. Carvilio Maximo css.). Sigon. Cf. infra ad c. 42, 3 et 6.

leges vestras) Multi codd.: *nostras.* „*Nostras* tole- 9
rari posset, ut respiceretur ad leges a L. Furio praetore datas, quum illi hoc pro remedio aegris rebus discordia intestina peterent: de quo l. IX, 20. Sed illud magis decet, plenam libertatem deditis redditam. XLV, 29, 4 *Liberos esse iubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus.*" Gronov. Adde, quod, ut docet Dukerus, foederatae civitates, quarum e numero Capua fuit, fere suas leges habuerunt. Et de Capua quidem id ex compluribus huius ipsius libri locis colligi potest. Cf. supra c. 2; infra c. 35 sub fin.

communem) Ad hanc notionem transitum paraverant 10
verba *communicavimusque vobiscum.*

arbitrari esse) Ut alii scriptores Latini, ita Livius quoque amans est huius verborum collocationis. Cf. supra ad c. 2, 3; I, 27 in. *quia suae civitati animorum plus quam virium cernebat esse;* ibid. 56 in. *oneri rebatur esse;* V, 3 med. *quam dissolvendae maxime tribuniciae potestatis rentur esse;*

11 *tet, communem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite aut Etrusco res est, ut, quod a nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat; Poenus hostis ne Africae quidem indigenam, ab ultimis terrarum oris, freto Oceani Herculisque columnis, expertem omnis iuris et conditionis et linguae prope humanae*
12 *militem trahit. Hunc, natura et moribus immitem ferum-*

---

ibid. 16 in. *locum iniuriae rati esse;* VI, 41 in. *qui — aequum censeat esse;* IX, 18 post in. *quem ne fama quidem illis notum arbitror fuisse;* ibid. 45 post in. et plurimis aliis locis. Ea autem collocatione non credimus augeri atque insigniri vim verbi primarii, ex quo cetera pendeant, sed potius minui, graviora vero ea fieri, quae illud quasi amplectantur. Sicut h. l., ubi maxima vis non est in *arbitrari*, sed in iis, quae arbitrari Campani iubentur, verbum illud minore pondere non in clausula positum est, sed ceteris interiectum.

11 *Poenus hostis*) Deest particula adversativa, quam quasi loco movit positum ab initio enuntiati id nomen, in quo est oppositionis vis. Cf. ad XXI, 43, 6; infra c. 28, 2; 29, 6; c. 13, 4.

indigenam) Unus ex optimis codd. cum nonnullis aliis: *indigena*. Potest hoc quidem, ut ostendit Strothius, ad originem Carthaginiensium Tyro repetendam referri, sed eam, quae Poenis non esset dedecori, parum apte orator spectaret. Et desideratur in hac lectione ante *ne* pronomen *ipse*.

freto Oceani) i. e. freto Gaditano.

humanae) Referendum hoc adiectivum non solum ad nomen *linguae*, sed etiam ad praecedentia nomina.

trahit) „*Trahit* apposite ad difficultates, quae per longa itinera et montium iuga superandae fuerunt exercitui Hannibalis, designandas?" Doering. Imo *trahere* in turba ponitur incondita et ad motum non satis expedita, ideoque bene cadit in rudem molem, qualia Hannibalis agmina esse ostendit. Cf. IX, 17 extr. *quem, mulierum ac spadonum agmen trahentem — incruentus devicit;* ibid. 19 ante med. *Persas, Indos aliasque si adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret;* XLV, 2 in. *ingentem secum occurrentium prosequentiumque trahentes turbam.*

12 *pontibus — faciendis*) Cf. Val. Max. IX, 2, 2 *Hannibal in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit;* Flor. II, 6, 18; Appian. b. Hannib. 28. Itaque Livius hic rem spectat, cuius ipse mentionem ante non fecit.

Vesci h. c.) „Conflat hanc invidiam Hannibali unus e comitibus eius Hannibal Monomachus, qui deliberanti de annona et commeatibus exercitui per longum ex Hispania in Italiam iter inter barbaras nationes comparandis consilium dedit

que, insuper dux ipse efferavit pontibus ac molibus ex
humanorum corporum strue faciendis et, quod proloqui
etiam piget, vesci humanis corporibus docendo. His in- 13
fandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit,
videre atque habere dominos et ex Africa et a Cartha-
gine iura petere et Italiam Numidarum ac Maurorum
pati provinciam esse, cui non, genito modo in Italia,
detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum 14
clade Romanum imperium vestra fide, vestris viribus
retentum ac recuperatum esse. Triginta milia peditum, 15

διδάξαι τὰς δυνάμεις ἀνθρωποφαγεῖν καὶ τούτῳ ποιῆσαι συνήθεις —, a quo tamen abhorruit, ut est apud Polybium in excerptis l. IX. (c. 24).“ Gronov. Adde quae ibidem ait Polybius: *Τούτου δὲ ἀνδρὸς (τοῦ Μονομάχου) εἶναί φασιν ἔργα καὶ τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἰς Ἀννίβαν ἀναφερόμενα περὶ τῆς ὠμότητος· οὐχ ἧττον δὲ καὶ τῶν περιστάσεων.*

His inf. p. e.) Libri typis expressi: *Hos infandis p. e.* 13
Sed *his*, quod cod. omnium optimus cum non paucis aliis habet, praeferendum videtur. Nam praeterquam quod minus concinnum est duorum deinceps enuntiatorum hoc initium, ad eosdem, sed sine anaphora, spectans: *Hunc — Hos*, si legas *hos*, desideres aliquid, quo referantur infandae epulae ad id, quod modo dictum est; quo factum est, ut Heusingerus tacite ita interpretaretur locum, quasi ante *infandis* positum esset *tam*. Contra in altera lectione oratio bene ita annectitur prioribus, ut, quae modo commemorata fuit res immanis, ea mutatis verbis graviter revocata transitum ad sequentia faciat. De participii pro substantivo positi structura cf. ad XXI, 5, 11.

et a C.) Adiungitur per *et*, quod angustius patet, sed inprimis grave est. V. de hoc ad XXI, 17, 4.

genito modo in I.) i. e. etiamsi nihil aliud quam genitus in Italia sit, nulla alia eius regionis beneficia expertus.

Romanum imp.) Freinshemius coniecit: *Romana*, id- 14
que unus, sed minoris auctoritatis cod. habet, ceteri omnes *Romanum*. Nec est, quod cum plerisque editoribus ab hac lectione discedas. Nam quod Dukerus ait, si legatur *Romanum*, deesse *nostra* vel aliud quid, quod ad *clade* referri possit, et recte sibi opponi *Romana clade* et *vestra fide, vestris viribus*, id ad reiiciendam optimorum plurimorumque codd. lectionem non sufficit. Neque enim opus est, ut ad *clade* referatur quicquam, si haec vox indefinite (cf. infra ad c. 14, 3) posita est (*durch Niederlage*, *durch Unglück*), nec desiderabis oppositionem, si cogites: Romanum imperium sive clarissimum orbis terrarum imperium Campanorum fide ac viribus restitutum est.

quattuor equitum arbitror ex Campania scribi posse. Iam pecuniae affatim est frumentique. Si parem fortunae vestrae fidem habetis, nec Hannibal se vicisse sentiet nec Romani victos esse.

1 VI. Hac oratione consulis dimissis redeuntibusque domum legatis, unus ex iis, Vibius Virrius, *Tempus venisse* ait, *quo Campani non agrum solum, ab Romanis quondam per iniuriam ademptum, recuperare, sed imperio*
2 *etiam Italiae potiri possint. Foedus enim cum Hannibale, quibus velint legibus, facturos; neque controversiam fore, quin, quum ipse, confecto bello, Hannibal victor in Africam decedat exercitumque deportet, Italiae*
3 *imperium Campanis relinquatur.* Haec Virrio loquenti assensi omnes, ita renuntiant legationem, uti deletum om-

---

15 *Iam*) Haec particula videtur eam vim hic habere, ut maius aliquid adiungat, ubi Germani dicimus: *vollends.* Cf. I, 9 med. *Multi mortales convenere — maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo-venit;* XXXVIII, 17 med. *vir unus cum viro congrediendo, T. Manlius, M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus, docuerunt. Iam M. Manlius unus agmine scandentes in Capitolium Gallos detrusit.* Alii interpretantur: porro, praeterea. Cf. infra ad XXIV, 10, 10.

VI.

1 *Hac oratione*) Gronovius contra codd. praefert: *Ab hac oratione.* Atque ita Livius fere loquitur. V. ad XXII, 40, 4; infra XXIV, 39 in.; ibid. 22, 6. Neque tamen necessaria mutatio videtur. Ablativus enim indicare potest, quo modo dimissi sint, ut in eam sententiam post orationes non semel Livius dicit *ita*, v. c. XXI, 54, 3 *Ita praetorium missum;* XXXI, 18 med. *Ita dimisso legato* etc.

per iniuriam) Ad rem cf. Liv. VIII, 11; praeterea de locutione *per iniuriam* i. e. iniuste ad XXI, 63, 4.

3 *renuntiant legationem*) *Legatio* nonnunquam ponitur in ipsis rebus, quas legati cognoverunt vel egerunt. Quare frequentes sunt locutiones *renuntiare* vel *referre legationem.* V. Liv. VII, 32 in.; IX, 4 post in.; XXIII, 20, 7; XXIV, 48, 5; XXXI, 17 in.; XXXVI, 9 med.

nomen Romanum) Unus ex deterioribus codd. minus bene *imperium Romanum.* Plus est *nomen Romanum.* V. ad XXII, 55, 5. Apte Gebhardus contulit Justin. V, 6 *Tantaque strages aut occisorum aut captivorum fuit, ut Athenien-*

nibus videretur nomen Romanum. Extemplo plebes ad de- 4
fectionem ac pars maior senatus spectare. Extracta tamen 5
auctoritatibus seniorum per paucos dies est res: postremo vicit sententia plurium, ut iidem legati, qui ad consulem Romanum ierant, ad Hannibalem mitterentur. Quo prius- 6
quam iretur, certumque defectionis consilium esset, Romam legatos missos a Campanis, in quibusdam annalibus invenio, postulantes, ut alter consul Campanus fieret, si rem Romanam adiuvari vellent. Indignatione orta, summoveri a cu- 7
ria iussos esse, missumque lictorem, qui ex urbe educeret eos atque eo die manere extra fines Romanos iuberet. Quia 8
nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coelius-

---

sium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur.

ad defectionem) V. de collocatione verborum ad c. 4, 8. 4

auctoritatibus) Auctoritates saepe dicuntur hominum 5
honoratorum sententiae, quae magnum apud alios pondus habent. Cic. nat. d. III, 4 *Sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas;* pro leg. Man. 17, 51 *tametsi cognoscitis auctoritates contrarias fortissimorum virorum et clarissimorum, tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem.* Cf. Liv. XLV, 21 extr.; ibid. 36 extr.

summoveri) Hoc verbum frequentissime de lictoribus 7
dicitur turbam molestam loco pellentibus. Id igitur videtur Livius hic respexisse, quum de senatorum indignatione loquatur. Sed idem omissa ea vi VII, 31 in. dixit: *Summotis deinde legatis.*

manere) i. e. ad pernoctandum. V. de hac verbi vi ad XXII, 13, 8.

Latinorum postulatio) V. de ea re Liv. VIII, 5. 8

Coeliusque) De hoc scriptore diximus ad XXI, 38, 7.

praetermiserant — sum veritus) Haec tempora posuit, quod rem iam narrando peregit. Itaque quae mens sua fuerit, quum de ea exponeret, ostendit. Ceterum ne mireris, quod non dixerit Livius, Coelium *non esse visum* sine causa eam rem praetermisisse, sive, se *non credere*, Coelium sine causa rem praetermisisse, respice vim particulae *haud*, qua res ad scribentis iudicium refertur, velut si Germani dicamus: *sicherlich nicht.*

ponere) Cf. VII, 2 extr. *Inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque prima origo ponenda visa est;* XL, 8 med. *Meliora quoque exempla parte altera posui* (de dicente); Cic. Off. II, 16, 56 *ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui.*

que et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus.

1 VII. Legati ad Hannibalem venerunt pacemque cum eo conditionibus fecerunt: *Ne quis imperator magistratusve Poenorum ius ullum in civem Campanum haberet, neve civis Campanus invitus militaret munusve face-*
2 *ret; ut suae leges, sui magistratus Capuae essent; ut trecentos ex Romanis captivis Poenus daret Campanis, quos ipsi elegissent, cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia stipendia facerent, permutatio fieret.*
3 Haec pacta; illa insuper quam quae pacta erant facinora

VII.

1 *conditionibus*) Nonnulli codd. addunt *his* ante *conditionibus;* ab optimis pronomen abest. Et sane potuit Livius primum communiter dicere, convenisse inter eos conditiones, deinde eas ipsas subiicere. De locutione *conditionibus aliquid facere* cf. VI, 42 sub fin. *conditionibus sedatae discordiae sunt;* IX, 15 in. *aliquot populos aut vi subegit aut conditionibus in societatem accepit*; XXIV, 3, 11; XXXIV, 23 extr.; XXXV, 42 in. V. et ad XXI, 12, 4.

munusve) Per *ve* aeque ac per *que* (v. ad XXI, 55, 2) adiici, quod latius patet, potest. VII, 19 med. *neque comitiorum curam publicave studia prae privatis incommodis plebs ad animum admittebat*; XXIX, 14 med. *imperia honoresve.*

2 *suae leges*) *Suum* hic opponitur *alieno;* non mirum igitur, id ad casum obliquum referri. V. ad XXI, 29, 5; infra c. 22, 3; 32, 11; XXIV, 37, 7.

3 *illa insuper*) *Illa* codd. optimi et plerique habent, alii *alia.* Eodem modo *haec* ad antecedentia spectat, *illa* ad insequentia in exemplo, quod Gronovius attulit, XLIII, 5 extr. *Haec missa: illa petentibus data, ut denorum equorum eis commercium esset.* Cf. et IV, 55 extr.; V, 5 post in.; ibid. 25 med.; VI, 20 post in.; VIII, 32 post in. Strothius et Bauerus praeferendum esse iudicant *alia*, quod subsequatur *nam.* Sed quod apud Graecos frequentissimum est, ut in explicanda sententia, cuius quasi praenuntia vox aliqua praecessit, ponant γὰρ (v. Kühner gr. §. 754 β), idem nonnunquam apud Latinos fit. Cf. Cic. Deiot. 2 *Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum, quod tamen, quum te penitus recognovi, timere desino. — Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare — grave est;* Fin. I, 6, 18 *Sed hoc commune vitium, illae Epicuri propriae ruinae. Censet enim* etc.; Off. II, 16, 56 *miror, quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem de divitiis scripsit: in quo*

Campani ediderunt: nam praefectos socium civesque Romanos alios, partim aliquo militiae munere occupatos, partim privatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos velut custodiae causa balneis includi iussit, ubi, fervore atque aestu anima interclusa, foedum in modum exspirarent. Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Poe- 4
num, summa ope Decius Magius, vir, cui ad summam auctoritatem nihil praeter sanam civium mentem defuit, restiterat. Ut vero praesidium mitti ab Hannibale audivit, 5
Pyrrhi superbam dominationem miserabilemque Tarentinorum servitutem exempla referens, primo, ne reciperetur praesi-

---

multa praeclare, illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia etc. De *insuper quam* cf. ad XXI, 25, 1.

praefectos socium) Doeringius cum nonnullis aliis interpretibus eos praefectos existimant dici, qui inde ab anno u. 436 quotannis Roma Capuam iuris dicendi causa mitti solebant. Sed quum singulis annis singuli tantum eiusmodi praefecti mitterentur, Livius h. l. non poterat numerum pluralem ponere. Neque magis additurus fuit genitivum *socium*. Rectius igitur intelliguntur ii praefecti, qui eodem, quo apud Romanos tribuni militares, iure utebantur apud socios et *praefecti sociorum* appellabantur. Ad eos igitur maxime referuntur verba: *partim aliquo militiae munere occupatos*. Eos autem non omnes sociorum e numero electos esse, in qua sententia fuit Niebuhrius (III, p. 623), et hic ipse locus docet et XXV, 1 in. coll. c. XXV, 3 med. Idem colligas ex XXXIII, 36 post in.; XXXIV, 47 in.

fervore atque aestu) Alterum ad magnitudinem caloris refertur, alterum ad sensum eius. V. Doederl. Syn. III, p. 89.

exspirarent) Id igitur ipsum spectabat plebs, ut exspirarent. Hinc antea dixit: *velut custodiae causa*.

summa ope) V. ad XXIV, 1, 3. 4

vir, cui) Quae nomina Germanico sermone pro appositione sunt, apud Latinos plerumque pronomini relativo, quum ad ea enuntiatum aliquod relativum refertur, subiunguntur. Cf. Weissenb. §. 383; Ramsh. §. 158. 3. 6. Nonnunquam tamen, ut vis emineat appositionis, quae in altera ratione minus cernitur, praemittuntur pronomini relativo. Cf. Liv. IV, 46 extr. *dictator ex senatusconsulto dictus Q. Servilius Priscus, vir, cuius providentiam in republica quum multis aliis tempestatibus ante experta civitas erat, tum* etc.; IX, 29 extr *Potitii, gens, cuius ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat;* Vell. Pat. II, 17 *vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari neque post victoriam abunde vituperari potest.*

6 dium, palam vociferatus est: deinde, ut receptum aut eiiceretur, aut, si malum facinus, quod a vetustissimis sociis consanguineisque defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, ut, interfecto Punico praesidio, restituerent
7 se Romanis. Haec (neque enim occulte agebantur) quum relata Hannibali essent, primo misit, qui vocarent Magium ad sese in castra; deinde, quum is ferociter negasset se iturum, nec enim Hannibali ius esse in civem Campanum, concitatus ira Poenus, comprehendi hominem vinctumque
8 attrahi ad se iussit. Veritus deinde, ne quid inter vim tu-

---

6 *deinde, ut* etc.) Haec, si verum quaerimus, non possunt ad eandem protasin referri, quo priora (neque enim sermo iam est de eo, quod, audito, praesidium mitti, fecit Decius, sed quod, iam recepto). Nihilominus id scriptor fecit, opponens inter se utraque per *primo* — *deinde* ut eius sententiae, ad quam praeparandam praemisit verba: *Ut* — *audivit*, membra. Praevaluit enim in eius mente ea ratio, ut, quaecunque sub unam cogitationem caderent, ea, ne diutius iisdem rebus immoraretur, uno verborum ambitu nexa inter se et iugata includeret. Eo factum est, ut per attractionem quandam posteriora eidem protasi subiicerentur, cui subiecta prior pars sententiae est.

ut rec. aut eiiceretur) Videtur scribendum fuisse: *ut aut eiiceretur receptum*, quum *receptum* prioris tantum membri pars sit. Sed propter oppositionem verborum *ne reciperetur* et *receptum*, et quia hoc vocabulo significatur, quod diserte non est dictum, Decium ea, intromisso iam praesidio, locutum esse, maluit id Livius cum emphasi quadam praemittere. Similia v. ad XXII, 6, 2.

purgare) Vis purgandi quum fere in tollenda re turpi cernatur, hinc fit, ut *purgare* saepe idem sit atque *rem turpem tollere*, sive facta spectes, quibus aliquid tollatur, sive orationem. Ita Livius dicere potuit *malum facinus purgare* i. e. facere, quo mali facinoris turpitudo tolleretur. Cf. XXV, 6 post in. *Sine, quaeso, — noxam, cuius arguimur, nos purgare;* XXXIV, 62 in. *ad purganda crimina;* XXXVIII, 48 sub fin. *quoniam suscepti belli purgatum est crimen.*

ut — rest. se R.) *Ut* repetitum est propter longiorem, quae interiecta est, sententiam. Similia v. ad XXII, 11, 4.

7 *nec enim — ius esse*) Ita Livius loquitur, quasi antea verbum aiens posuisset. V. Z. §. 774; Weissenb. §. 483. 1.

hominem) i. e. eum, sed accedit significatio contemtus. V. ad XXI, 4, 9.

8 *oreretur*) Ita hic duo optimi codd. Eandem formam in cod. omnium optimo fere ubique legi, docet Gronovius, neque

multus atque ex concitatione animorum inconsulti certaminis oreretur, ipse, praemisso nuntio ad Marium Blosium praetorem Campanum, postero die se Capuae futurum, proficiscitur e castris cum modico praesidio. Marius, concione 9
advocata, edicit, ut frequentes cum coniugibus ac liberis obviam irent Hannibali. Ab universis id non obedienter modo, sed enixe, favore etiam vulgi et studio visendi tot iam victoriis clarum imperatorem, factum est. Decius Ma- 10
gius nec obviam egressus est nec, quo timorem aliquem ex conscientia significare posset, privato se tenuit: in foro cum filio clientibusque paucis otiose inambulavit, trepidante tota civitate ad excipiendum Poenum visendumque. Hanni- 11

---

raro alii quoque libri mss. optimi eam suppeditant, ut II, 16 in.; ibid. 39 med.; IV, 7 med.; ibid. 45 med.; ibid. 50 in.; V, 42 post in.; pariter *exorerentur* XXVII, 27 post in. praestantissimus cod. Put. cum aliis nonnullis habet. Cf. Ramsh. p. 132; Sch. p. 290; Weiss. §. 131. 3.

Marium) Pro hoc contra codd. *Marcum* vel *Manium* poni, Sigonio placuit. Sed *Marius*, ut ostendit Drakenborchius, apud quosdam Italiae populos praenomen fuit. V. XXII, 42, 4 *Marius Statilius;* XXIII, 35, 13 *Marius Alfius;* Epit. Liv. 75 et Vell. Pat. II, 16 *Marius Egnatius.*

quo — posset) Referuntur haec verba tantum ad sequen- 10
tia: *privato se tenuit*, neque eadem ad praemissam his negationem. De coniunctivo v. Z. § 564; Weiss. §. 394; Sch. p. 472, de coniunctis verbis: *timorem ex conscientia* cf. ad XXII, 45, 2.

privato se tenuit) Codd. omnes *privatim se t.* Sed alterum cum Gronovio et Bekkero recipiendum visum est. Neque enim patet, qui adverbium *privatim* Livius ponere potuerit, quum aut ablativus loci ponendus esset (v. ad XXII, 18, 1) aut certe adverbium loci, quae vis non est in *privatim*. Accedit quod locutionem *privato se tenere* Livii esse Priscianus (XV, p. 1009; ed. Krehl. I, p. 620) laudato loco l. XIV docuit. De *privato* v. ad XXI, 14, 1.

in foro) Cf. supra ad c. 5, 11.

trepidante) Trepidantes, qui motus est fere turbide vel festinanter agentium, bene opponuntur otiose inambulanti. Nam metus etsi esse potest in trepidatione, saepe tamen abest. Cf. infra c. 16, 12; I, 7 post med. *concursu pastorum trepidantium circa advenam manifestae reum caedis excitus;* III, 49 extr. *assentiendo multis auctoribus trepidaverat*; IX, 37 sub fin. *maximam partem ad arma trepidantes caedes oppressit;* XLII, 45 sub fin. *trepidaturos tum repente paranda classe,*

bal, ingressus urbem, senatum extemplo postulat, precantibusque inde primoribus Campanorum, ne quid eo die seriae rei gereret, diemque ut ipse adventu suo festum lae-
12 tus ac libens celebraret, quanquam praeceps ingenio in iram erat, tamen, ne quid in principio negaret, visenda urbe magnam diei partem consumpsit.

1 VIII. Deversatus est apud Ninnios Celeres, Stenium

---

quum mittenda esset; III, 50 in. *ut iam ex trepidatione concurrentium turba constitit.* Atque ita plurimis aliis locis eo vocabulo usus est Livius.

11 *senatum postulat*) i. e. postulat, ut senatus sibi daretur sive adeundi senatus copia sibi fieret. Cf. de hac locutione ad XXI, 12, 8.

diemque ut ipse) *Que*, quod pro *sed* positum esse potest videri, ad explicanda verba: *ne — gereret* valet. V. de hoc ad XXI, 6, 7; infra c. 20, 9. Gruterus pro *ut* poni voluit *et*, quod nec sententia postulat nec leges grammaticae. Nam etsi saepe, praecedente *ne* particula, quum aiens sequitur enuntiatum, *ut* omittitur (cf. v. c. VI, 35 med. *ne tribunorum militum comitia fierent, consulumque utique alter ex plebe crearetur;* XXXII, 35 med. *ne tempus altercando tereretur, et aliquis finis rei imponi posset)*, id tamen non omnibus locis fit. V. III, 28 extr. *ne in occidione victoriam ponerent, ut inermes se inde abire sinerent;* VII, 42 in. *ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; neu duos magistratus uno anno gereret, utique liceret consules ambos plebeios creari.* Adiicitur autem *ut*, ut aut diversa altero membro contineri magis appareat, aut omnino, ut h. l., vis augeatur alterius membri.

12 *v. u. — consumpsit*) Quum id ageret Livius, ut, quidquid ad mutatum Hannibalis consilium (nam poenas expetiturus statim in Decium erat) pertineret, una verborum comprehensione coniungeret, orationem ita struxit, ut praemitteret eam sententiae primariae partem, quae ad prius consilium spectaret essetque exspectationis tantum movendae, deinde interiectis enuntiationibus secundariis, quibus ostenderetur, quid valuisset ad mutationem consilii, quid obstare potuisset, viam sibi muniret ad alteram sententiae primariae partem, eaque ita exitum imponeret verborum orbi, ut omissa, qua iam opus non esset, mutati consilii mentione, quid contra priorem sententiam Hannibal eo die fecisset, memoraret. Ita et brevitati orationis et concinnitati optime consuluit.

VIII.

1 *Ninnios Cel., Stenium P.*) De hoc loquendi genere,

Pacuviumque, inclutos nobilitate ac divitiis. Eo Pacuvius 2
Calavius, de quo ante dictum est, princeps factionis eius,
quae traxerat rem ad Poenos, filium iuvenem adduxit, abs- 3
tractum abs Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro
Romana societate adversus Punicum foedus steterat, nec
eum aut inclinata in partem alteram civitas aut patria ma-
iestas sententia depulerat. Huic tum pater iuveni Hanniba- 4
lem deprecando magis quam purgando placavit, victusque
patris precibus lacrimisque etiam ad coenam eum cum patre
vocari iussit: cui convivio neminem Campanum praeterquam 5

---

quum praenominibus in numero singulari positis praemittitur aut subiicitur nominum gentilitiorum num. plur., v. ad XXII, 15, 4; infra c. 21, 7; 26, 2. Rarius adiungitur numerus singularis nominis gentilis, ut VI, 22 in. *Sp. et L. Papirius;* Sall. Iug. 42 *Tiberius et Caius Gracchus;* Suet. Caes. 80 *Marcoque et D. Bruto.*

abs D. M. latere) Ita locum egregie ex optimi codicis lectione *(abstractum atsdecimagit latere)* restituit Gronovius. De locutione *ab latere* v. infra ad XXIV, 5, 12. 3

cum quo f. pro R. s. adversus P. f. st.) Dignae, quae observentur, h. l. sunt tres praepositiones cum verbo *standi* iunctae. De singulis cf. V, 38 med. *non fortuna modo, sed ratio etiam, cum barbaris stabat;* VIII, 34 in. *Stabat cum eo senatus maiestas;* XXV, 16 in. *quae* (pars) *cum Romanis stabat;* XXXVI, 7 med.; XLII, 56 in.; II, 12 extr. *si pro mea patria ista virtus staret;* XXXVIII, 25 med. *ni pro iure gentium stetisset fortuna;* XL, 10 extr.; XLV, 22 extr.; Nep. Ages. 5 *qui nobiscum adversus barbaros steterunt;* Phoc. 4 *quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Quod autem discrimen sit locutionum *stare cum al.* et *pro aliquo*, nulli non facile patebit.

nec eum — depulerat) Transitus fit a structura relativa ad demonstrativam. Cf. ad XXI, 46, 10 extr. (ubi quod exemplum laudavimus VII, 23 extr., delendum est); infra c. 36, 10; I, 31 in. *quae* (sacra) — *oblivioni dederant, et aut Romana sacra susceperant aut — cultum reliquerant deorum.* In talibus locis non est probanda, quam ante coniunctionem multi libri typis expressi habent, maior distinctio.

patria maiestas) Cf. IV, 45 extr. *patria maiestas altercationem istam dirimet*; VIII, 7 post med. *neque imperium consulare neque maiestatem patriam veritus;* Iustin. X, 2 *poenas parricidii diis paternae maiestatis ultoribus dedit.*

victusque — iussit) De frequenti eiusmodi ad aliud subiectum transitu cf. ad XXI, 1, 4; infra 22, 5. Praeterea v. ad §. 7. 4

hospites Iubelliumque Tauream, insignem bello virum, ad-
6 hibiturus erat. Coeperunt epulari de die, et convivium non ex more Punico aut militari disciplina esse, sed, ut in civitate atque etiam domo diti ac luxuriosa, omnibus voluptatium
7 illecebris instructum. Unus nec dominorum invitatione nec ipsius interdum Hannibalis Calavii filius Perolla vinci potuit, ipse valetudinem excusans, patre animi quoque eius haud
8 mirabilem interturbationem causante. Solis ferme occasu

---

6 *de die*) Cf. XXV, 23 extr. *ubi id temporis visum, quo de die epulatis iam vini satias principiumque somni esset.* V. Z. §. 308 extr.; Sch. p. 610; Weiss. §. 250 n. 1.

ex more Punico) Nam tristis ac tetrici ingenii homines Poeni erant, non, ut Campani, in laetitiam hilaritatemque proni. Iidem severa morum censura coercebantur, atque, ut auctor est Aristoteles (Oecon. I, in.), in castris vini usu abstinebant.

domo diti ac lux.) *Domo* pro *modo*, quod codd. habent, restituit Valla. Quod ad cetera attinet, optimi libri praebent: *diuadvariosa*, pro quo Gronovius dedit: *luxuriosa.* Sed verisimilius est, quod Kreyssigius substituit: *diti ac luxuriosa.* Ita *in diti domo* Livius dixit XLII, 34 in.

voluptatium) Ita optimi codd. V. supra ad c. 4, 4.

7 *dominorum*) „*Dominus appellatur convivii exhibitor, unde et dominia convivia.* Non. Marcell. c. 4. §. 125." Stroth. Cf. Cic. in Vat. 13, 31 et 32; Gell. XIII, 11 post med.

ipsius interdum H.) Adverbium hic pro adiectivo est, de quo dicendi genere v. ad XXI, 36, 6 et cf. infra XXIV, 32, 5.

vinci) i. e. ad alium animi habitum traduci, ita ut communis laetitiae particeps esset. Cf. supra §. 4. et infra ad XXIV, 25, 5.

valetudinem excusans) Similia v. ad XXII, 40, 6; et de genitivo *eius* ex altero genitivo pendente ibid. ad c. 22, 8; infra XXIV, 37, 9.

interturbationem) Ἅπαξ εἰρημένον. V. infra ad XXIV, 16, 3. Ceterum quum Gronovius animi mutationem intellexisset ex corporis tentatione ortam, recte Dukerus, Considerandum puto, inquit, an alia designetur causa perturbationis Perollae, et sententia horum verborum sit, patrem ad excusationem filii addidisse, praeterea non mirum esse, eum apud Hannibalem animo perturbari, ut qui sibi conscius esset eorum, quae adversus eum dixisset fecissetque, et etiam ob hanc perturbationem animi, quae ad valetudinem accederet, minus hilariter epulari.

8 *Solis f. occasu*) De hac locutione v. ad XXII, 4, 4.

posticis aed. partibus) Cf. ad c. 46, 2.

patrem Calavium, ex convivio egressum, secutus filius, ubi in secretum (hortus erat posticis aedium partibus) pervenerunt, *Consilium*, inquit, *affero*, *pater*, *quo non veniam* 9
solum peccati, *quod defecimus ad Hannibalem*, *impetraturi ab Romanis*, *sed in multo maiore dignitate et gratia simus Campani*, *quam unquam fuimus.* Quum 10
mirabundus pater, *quidnam id esset consilii*, quaereret, toga reiecta ab humero, latus succinctum gladio nudat:
Iam ego, inquit, *sanguine Hannibalis sanciam Roma-* 11
num foedus. Te id prius scire volui, si forte abesse, dum facinus patratur, malles.

IX. Quae ubi vidit audivitque senex, velut si iam 1
agendis, quae audiebat, interesset, amens metu, *Per ego* 2
te, inquit, *fili*, *quaecunque iura liberos iungunt parentibus*, *precor quaesoque*, *ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. Paucae horae sunt, intra* 3

---

simus Campani) Animadvertant tirones, quum nulla 9
hic sit oppositio, non potuisse scribi *nos Campani.* Cf. VI, 6 extr. *Te*, *Ser. Corneli*, *praesidem huius publici consilii* — *collegae facimus;* ibid. 26 in. *Soli adhuc*, *inquit*, *Tusculani, vera arma verasque vires-invenistis;* VII, 13 extr. *Te*, *imperator*, *milites tui oramus;* ibid. 30 post in. *Campani* — *haud parva accessio bonis rebus vestris in amicitiam venimus vestram;* XXV, 29 in.; XXVI, 36 med. etc. Contra cf. XXXII, 21 med. *Achaei arma Romana sustinebimus*, *quae vos Macedones non sustinuistis?* ubi *Macedones* per epexegesin graviter additur pronomini.

Iam ego, *inquit*) Haec simul gladium nudans dixit, 11
quod asyndeton ostendit. V. ad XXI, 58, 5.

si — *velles*) De hac particulae *si* significatione v. ad XXI, 62, 10.

IX.

Per ego te) V. Weiss. §. 490. n. 2 c.; Ramsh. p. 477 sq. 2
per quicquid deorum est) Cf. II, 5 sub fin. *quic-* 3
quid deorum hominumque Romanorum esset; ibid. 35 med. *quicquid erat Patrum*, *reos diceres;* II, 49 med.; III, 17 med.; 25 extr.; XXIX, 24 post med.

ut — *armaremus?*) Interrogatio tantummodo ad enuntiationem secundariam, quae praecedit, referenda est. Pari modo saepius sententiis consilium aliquod indicantibus continetur interrogatio cum admirationis vel indignationis vel alius similis affectus significatione. Cf. ea exempla, quae allata sunt ad

quas iurantes per quicquid deorum est, dextrae dextras iungentes, fidem obstrinximus, ut sacratas fide manus, digressi ab colloquio, extemplo in eum armaremus?
4 *remus? Ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine? Hannibalem pater filio meo potui placare, filium Hannibali non pos-*
5 *sum? Sed sit nihil sancti, non fides, non religio, non*

XXI, 30, 6. Büttnerus locum emendandum ratus coniecit legendum: *Paucae horae sunt, intra quas — obstrinximus: et — armaremus?* Sed mutatione opus non est, quum nihil insoliti esse in interrogatione eiusmodi enuntiato inclusa, ea, quae diximus, exempla ostendant. Nam quod illis locis additae voces interrogativae sunt, in eo verum discrimen non est, quum, si verum quaeris, illic coniunctae in unum duae sententiae interrogantes sint, quarum altera, ut ea, de qua hic sermo est, forma consilium significantis enuntiationis continetur. Adde etiam XXXIV, 3 med. *Volo tamen audire, quid sit, propter quod matronae — vix foro se et concione abstinent. Ut captivi ab Hannibale redimantur parentes, viri, liberi, fratres earum?*

in eum) Non distincte antea Hannibalem scriptor nominavit, sed per verba *dextrae* (i. e. Hannibalis) *dextras iungentes*, *fidem obstrinximus* (i. e. Hannibali), deinde *digressi ab colloquio* (i. e. Hannibalis) ita deducta nullius non ad Hannibalem est cogitatio, ut iam loqui posset, quasi ipsum eius nomen posuisset.

4 *tertius Campanorum*) i. e. cum duobus (tantum) adhibitus es, quod est magni honoris, magnae fiduciae. Loquendi genus Graecis quam Latinis usitatius, nisi quod illi *αὐτὸς* solent addere (v. Matth. gr. §. 469; Kühner §. 630. n. 3), quemadmodum etiam nostrates olim dicere solebant: *selbe vierde*, *selbe zwelfte* et quae sunt eiusdem generis.

cruentares?) Nonnullis editoribus offensioni fuit coniunctivus imperfecti, quod praecedit *surgis*. At hoc ipsum, qui loquitur, vividiore dicendi genere utens pro perfecto posuit; quare non magis hic a recta dicendi consuetudine Livius declinavit, quam plurimis aliis locis, ubi praesenti historico subiectum est imperfectum. Significatur igitur consilium, quod filius, quo tempore surrexit a mensa, mente agitavit.

5 *pietas*) Hanc vocem non recte interpretatus est Heusingerus *Redlichkeit*, quae notio vocabulo fidei potius respondet. Sed pietas ad officium filii adversus patrem refertur atque haec verba: *filium Hannibali non possum* (placare)? quemadmodum *fides* et *religio* ad ea, quae his verbis priora sunt, spectant. Nam quae adhuc commemoravit tria argumenta (*ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ*,

pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere ferunt. Unus aggressurus es Hannibalem? 6
Quid illa turba tot liberorum servorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextrae? torpescentne in amentia illa? Vultum ipsius Hannibalis, 7
quem armati exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu sustinebis? Et alia auxilia desint: me ipsum ferire, corpus meum opponentem pro corpore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus 8
petendus ille tibi transfigendusque est. Deterreri hic sine te potius quam illic vinci. Valeant preces apud

---

ut ait Sigonius), ea iam missa facit prae novo argumentorum genere (ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Sigon.)

ferunt) Hanc lectionem, quam et Drakenborchii codd. habent omnes et Gronovii optimus quisque, recte videtur Bekkerus recepisse pro *afferunt*, quae est vulgaris lectio. Nam in hanc sententiam saepe *ferre* dixit Livius. V. III, 54 med. *eam modestiam ferte in urbem;* VI, 3 med. *Etruscis se luctum lacrimasque ferre;* XXXIX, 50 med. *missusque, qui venenum ferret;* ita *venenum ferre* etiam XXX, 15 med. Cf. infra ad XXIV, 38, 8.

6 *Quid illa turba*) Ita saepe *quid* aut per se aut aliis adiunctis vocibus sine verbo ponitur, quo magis intenti fiant animi ad eam, quae subsequitur, interrogationem. Cf. Liv. II, 38 extr. *Quid? deinde illud non succurrit, vivere nos, quod maturarimus proficisci?* Ramsh. II, p. 705 sq.; Weiss. §. 192. n. 1.

in amentia illa) V. Z. §. 317; Sch. p. 616; Weiss. §. 274.

7 *quem horret*) De hac structura cf. ad XXI, 53, 2.

Et — desint) Ante Gronovium librorum typis expressorum haec lectio erat: *et si alia auxilia desint*. Sed verba *et si alia* non leguntur in codd.; pro iis optimus habet *italis*, alii *talis* vel *talia*. Itaque Gronovius reposuit quod proxime accedere videtur ad optimorum lectionem *et alia*. De coniunctivo, quo aliquid ponitur esse v. ad XXI, 47, 5. Ceterum Strothius praetulit: *Ut alia auxilia desint;* Bauerus: *Et, ut alia a. desint*. De vi coniunctionis *et* cf. Hand Tursell. II, p. 489. §. 6: In argumentatione adscendimus per *et* ad aliam rem atque per hanc copulam arctius continentur partes in orationis progressione.

8 *Deterreri*) Argumentatio haec est: Me occidere non sustinebis. *Atqui* nisi me occiso Hannibalem occidere non poteris; itaque ne Hannibalem quidem occides, i. e. vinceris. Deterreri igitur hic sine te potius etc.

9 *te meae, sicut pro te hodie valuerunt.* Lacrimantem
inde iuvenem cernens, medium complectitur, atque, osculo
haerens, non ante precibus abstitit, quam pervicit, ut gla-
10 dium poneret fidemque daret, nihil facturum tale. Tum iuve-
nis, *Ego quidem*, inquit, *quam patriae debeo pietatem,
exsolvam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditae*
11 *patriae sustinendum est crimen, semel, quum defectio-
nis ab Romanis, iterum, quum pacis cum Hannibale
fuisti auctor, tertio hodie, quum restituendae Romanis*

---

9 *medium complectitur*) Cf. Ter. Andr. I, 1, 106 *mediam mulierem complectitur;* id. Ad. III, 2, 18 *sublimem medium primum arriperem et capite in terram statuerem.* V. Z. §. 685; Sch. p. 525; Weiss. §. 199.

osculo haerens) *Osculo* ablativus videtur esse, qui dicitur instrumenti, ut vis locutionis sit quasi detineri sive affixum esse per osculum. Similiter Livius dixit I, 56 extr.; XLV, 44 extr. *osculo contingere.* Potest tamen osculum etiam ita dictum esse, ut filii os intelligatur, cui pater haesit, quemadmodum Latini dicunt *visceribus haerere* XXXIV, 48 extr.; *lateri alicuius haerere* Iustin. XXIX, 4.; Liv. II, 6 extr. *duabus haerentes hastis.*

10 *pietatem*) Non placet ea distinctio, quam interpretes fere praetulerunt, ut *pietatem* seiungerent ab enuntiatione relativa. Minus enim ita apparet sententia dicentis, quae haec est: Quam pietatem patriae debeo, eam exsolvam patri.

Tuam doleo vicem) V. Z. §. 453; Weiss. §. 279. n. 2. Cf. et ad XXI, 34, 5.

11 *semel — iterum — t.*) Hac enumeratione saepe Livius utitur, ubi eorum, quae ponuntur, numerus potius respicitur, quam ordo, qui respectus praevalet in *primum*, *deinde.* V. I, 19 in.; VII, 30 post med.; XLII, 34 post med.; XLIV, 24 extr.; XLV, 22 extr. Cf. infra ad c. 49, 2.

defectionis ab R.) Veteres libri typis exscripti fere: *quum defectionem inisti ab Romanis*, quod per se parum probabile codicum quoque auctoritate destituitur. Duo optimi codd. quum praebeant *defectione inissa* vel *imissa ab Romanis*, Gronovius repetitis aliquot literis eas natas esse lectiones probabiliter suspicatus dedit *defectionis ab Romanis*, in quo eum secuti sunt ceteri editores. De loquendi genere cf. infra ad c. 15, 7; XXIV, 36, 9; item de verbis *pacis cum Hannibale* ad XXI, 63, 2.

mora) *Mora* nonnunquam ipsa res dicitur, quae aliquid moratur. Cf. Ter. Ad. IV, 5, 78 *ne mora meis nuptiis egomet siem;* Virg. Aen. X, 427 *primus Abantem Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.*

Capuae mora atque impedimentum es. Tu, patria, fer- 12
rum, quo pro te armatus hanc arcem hostium inii, quoniam parens extorquet, recipe. Haec quum dixisset, 13
gladium in publicum trans maceriam horti abiecit, et, quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

X. Postero die senatus frequens datus Hannibali. 1
Ubi prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quod amicitiam suam Romanae societati
praeposuissent, et inter cetera magnifica promissa pollicitus, 2
brevi caput Italiae omni Capuam fore, iuraque inde cum
ceteris populis Romanum etiam petiturum. Unum esse ex- 3

---

arcem hostium inii) Ante Gronovium vulgaris scri- 12
ptura erat: *hanc arcem defendere volebam, hosti minime parcens, quando parens* etc. Sed neque *defendere volebam* neque *parcens* in optimis codd. legitur, quorum lectio est: *hostrimini, quoniam parens* etc. vel *hosti minime. Arcem hostium inii* a plerisque recentioribus editoribus receptum est ex coniectura Alberti Rubenii. Videtur, inquit Gronovius, non ineleganter domum, ubi Hannibal deversabatur, arcem hostium appellare. XXVIII, 42 post med. *ubi Hannibal sit, ibi caput atque arcem huius belli esse.* Cf. et ad XXI, 33, 2.

recipe) Quod Sigonius ex uno cod. commendat: *accipe*, ita reiicit Gruterus, ut recipere homines id quoque dicat, quod ante non dederint. Verum hoc quidem (v. infra ad c. 11, 7), sed nescio an satius sit hic alteram verbo vim tribuere. Videtur enim iuvenis dicere, reddere se patriae ferrum, quod ad occidendum hostem ab ea acceperit.

X.

prima eius oratio) V. Z. §. 685; Sch. p. 525. 4; 1
Weiss. §. 199.

et) Hoc deletum voluit Bauerus, sed sine idonea causa. 2
Et idem declarat quod *etiam*, ut Livius dicat: etiam hoc inter cetera pollicitus. Neque enim raro *etiam* vel *quoque* adiicitur verbis *inter cetera* vel *super cetera.* Exempla vide ad XXI, 46, 1.

quem — esse) De hoc accus. c. infinit. v. ad XXII, 3
53, 5; Weiss. §. 475. 2.

Eum postulare, ut etc.) Est attractio (antiptosis), cuius causa est in praemisso enuntiationi primariae nomine graviore. Saepius ita Livius locutus est. V. II, 57 post med. *distractam laceratamque rempublicam magis, quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quaeri;* III, 9 extr. *Neque illum se deprecari, quo minus pergat, ut coeperit;* XXXI, 27 med.

sortem Punicae amicitiae foederisque secum facti, quem neque esse Campanum neque dici debere, Magium Decium. Eum postulare, ut sibi dedatur, ac se praesente de eo re-
4 feratur, senatusque consultum fiat. Omnes in eam sententiam ierunt, quanquam magnae parti et vir indignus ea calamitate et haud parvo initio minui videbatur ius libertatis.
5 Egressus curia, in templo magistratuum consedit, comprehendique Decium Magium atque ante pedes destitutum
6 causam dicere iussit. Qui quum, manente ferocia animi,

Hic metus Codrionem, satis validum et munitum oppidum, sine certamine ut dederetur Romanis, effecit; XXXIV, 61 in. *Hunc Aristonem — non prius amici quam inimici Hannibalis, qua de causa venisset, cognoverunt;* XLII, 40 in. Cf. Weiss. §. 415. n. 3; Ramsh. §. 206. 5. a. V. etiam supra ad c. 3, 10.

4 *in eam sent. ierunt*) De hac dicendi formula, qua assensio significatur, v. ad XXII, 56, 1.

5 *in templo magistr.*) *Templum* locus inauguratus dicitur, eoque vocabulo Livius aliique utuntur etiam de curia vel rostris, quod ea augurato erant constituta. V. I, 30 in.; II, 56 med.; III, 17 in.; XXVI, 30 extr.; VIII, 14 extr.; ibid. 35 med. Pariter hic eam vocem de loco, ubi ad exercenda iudicia considere solebant magistratus, sive de tribunali, posuit, ut idem diceret quod XXVI, 15 med. *quum in tribunali consedisset.* Errat autem Dukerus verba *egressus* et *consedit* ad Marium Blosium referens, praetorem Campanum. Nam Hannibalem intelligi satis apparet, quod §. 6 Decius negat, se lege foederis cogi posse, ut causam dicat, quod negare non poterat, si causam dicere a magistratu Campano iuberetur. Accedit, quod dedendum Hannibali Decium senatus iam decreverat, ut Hannibalis esset, cetera, quae ad eum pertinerent, exsequi. Ceterum Drakenborchius aliique nonnulli editores minus recte receperunt *magistratus;* altera lectio, quae non dubium est quin vera sit, in compluribus iisque optimis libris superest.

ante pedes destitutum) *Destitutus* aptius dicitur quam *statutus*, quod Sigonius legendum coniecit. *Destitutus* enim proprie ponitur in eo, qui in loco collocatus est, ubi desertus ab aliis vel sine ope est. Cf. II, 12 med. ubi Mucius Scaevola dicitur *ante tribunal regis destitutus;* III, 38 post in. *destitutis inter patrum et plebis odia addidit terrorem insuper alium fortuna;* VII, 10 med. *duo in medio armati spectaculi magis more quam lege belli destituuntur;* ibid. 13 in. *condemnatum se universus exercitus a te ignaviae ratus et prope ignominiae causa destitutum sine armis;* VIII, 27 in.; XXVII, 13 sub fin.

6 *id cogi*) Ad ipsam rem cf. c. 7, 1; de structura: IV, 26 extr.

negaret lege foederis id cogi posse, tum iniectae catenae, ducique ante lictorem in castra est iussus. Quoad capite 7
aperto est ductus, concionabundus incessit, ad circumfusam undique multitudinem vociferans: *Habetis libertatem, Campani, quam petistis. Foro medio, luce clara, videntibus vobis, nulli Campanorum secundus vinctus ad mortem rapior. Quid violentius capta Capua fieret? Ite* 8
obviam Hannibali, exornate urbem diemque adventus eius consecrate, ut hunc triumphum de cive vestro spectetis. Haec vociferanti, quum moveri vulgus videretur, ob- 9
volutum caput est ociusque rapi extra portam iussus. Ita in castra perducitur; extemploque impositus in navim et Carthaginem missus, ne, motu aliquo Capuae ex indignitate 10

---

siquidem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules — possent; VI, 15 extr. *vos id cogendi estis;* XXXII, 21 sub fin. *quod rogant, cogere possunt.* Ita etiam Graeci non raro verbo ἀναγκάζειν accusativum pronominis neutr. gen. adiungunt. V. Matth. gr. §. 419 b.; Kühner. §. 549 b.

ante lictorem) Translatum est nomen Romanum ad apparitorem Punicum. Cf. infra ad c. 12, 8; 13, 8 et XXIV, 1, 5.

ad — mult. vociferans) *Vociferari* fere ita ponitur, 7
ut non addatur aliquis, quem spectet vociferatio, neque *dicere* et quae sunt eiusdem generis cum *ad* praepositione, sed cum dativo coniungi solent. Itaque *ad* hic idem significare crediderim quod *apud.* V. de hac vocis vi ad XXI, 46, 6; infra ad XXIV, 9, 9. Similiter explicandum videtur I, 46 extr. *nullis verborum contumeliis parcere, de viro ad fratrem, de sorore ad virum.*

Foro medio) i. e. per forum medium. V. de hac ablativi casus vi ad XXI, 38, 6; infra XXIV, 21, 7.

Haec vociferanti) Scribendum fortasse: *Haec voci-* 9
ferante quum moveri vulgus videretur, etc. Nam ita optimi codd. Et omitti nonnunquam in ablativis absol. subiectum, ostendimus ad XXII, 31, 6. Cf. infra ad c. 12, 1.

et — ne) Repetitae coniunctionis causam v. ad c. 7, 6 et 10
11; sive ad XXII, 1, 15. Bene autem hic Livius enuntiationem, qua expressit Hannibalis consilium, sententiae primariae, unde ea pendet, non anteposuit, sed subiunxit; partim ne, multis interiectis, separarentur cogitatione ac divellerentur inter se, quae uno quasi tenore facta essent (*perducitur extemploque impositus* etc.), partim quod non esset ea sententiae primariae ratio, quae praemunitione orationis egeret, quod fere fit, ubi res gravis aliqua et insignis narranda est. Ne autem languida esset subiuncta longior enuntiatio secundaria, poste-

rei orto, senatum quoque poeniteret dediti principis, et, legatione missa ad repetendum eum, ne aut negando rem, quam primam peterent, offendendi sibi novi socii, aut tribuendo habendus Capuae esset seditionis ac turbarum auctor.
11 Navem Cyrenas detulit tempestas, quae tum in ditione regum erant. Ibi quum Magius ad statuam Ptolemaei regis confugisset, deportatus a custodibus Alexandriam ad Pto-
12 lemaeum, quum eum docuisset, contra ius foederis vinctum se ab Hannibale esse, vinculis liberatur; permissumque, ut
13 rediret, seu Romam seu Capuam mallet. *Nec* Magius *Capuam sibi tutam* dicere, *et Romam eo tempore, quo inter Romanos Campanosque bellum sit, transfugae magis quam hospitis fore domicilium. Nusquam malle quam in regno eius vivere, quem vindicem atque auctorem habeat libertatis.*

---

riorem potissimum eius partem orbe verborum bene structo comprehendit divisionibusque partium (*aut* — *aut*) insigniorem reddidit.

legatione missa) i. e. si — missa esset. Cf. ad XXI, 33, 9.

11 *in ditione regum*) Nam erant in ditione regum Aegypti. Perperam autem, regem reginamque hic intelligi, Klaiberus existimat. *Regum* quidem nomen saepe Livius posuit, ubi de rege aliquo eiusque uxore vel etiam domo loquitur (cf. v. c. I, 39 in.; ib. 59 med.; II, 2 extr.; ibid. 3 post med.; ibid. 4 in. etc.) atque etiam de rege reginaque Aegypti idem dixit (v. XXVII, 4 med. *ad Ptolemaeum Cleopatramque reges*; XXXVII, 3 extr. *a Ptolemaeo et Cleopatra*, *regibus Aegypti*; XLV, 13 post in.); sed alia est illorum locorum ratio, quippe quum explicatio vocis vel adiecta sit vel ex superioribus satis cognoscatur. Hic autem Livius nihil tale significavit neque id coniiciendum legentibus relinquere potuit. Immo quum Cyrenaei, antequam in ditionem regum Aegyptiorum venissent, diu liberi fuissent, causa in promtu est, cur eos *tum* in ditione fuisse regum Livius memoret. Atque Aegypti reges tum iis praefuisse, quum ex iis, quae statim sequuntur, manifestum sit, non opus fuit, id diserte commemorari.

Ptolemaei regis) i. e. Ptolemaei IV Philopatoris (a. Chr. n. 221 — 204).

13 *Nec M. — dicere, et*) V. infra ad c. 23, 1 et de *neque — et* ad XXI, 1, 2.

vindicem atque auctorem h. l.) Dicit, a Ptolemaeo et susceptum esse libertatis suae ius ac defensionem et libertatem sibi datam.

1 XI. Dum haec geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam rediit responsumque ex scripto recitavit. Divi quoque in eo erant, quibus quoque modo supplicaretur.
2 Tum: *Si ita faxitis, Romani, vestrae res meliores faciliores que erunt, magisque ex sententia respublica vestra vobis procedet, victoriaque duelli populi Romani erit.*
3 *Pythio Apollini, republica vestra bene gesta servataque, lucris meritis, donum mittitote deque praeda,*

XI.

1 *Q. Fabius Pictor*) De hoc cf. ad XXII, 7, 4 et ibid. 57, 5.

Divi quoque) Retinendum visum est, donec certius quid repertum erit, quod libri typis expressi habent tantum non omnes, quanquam est quod de veritate scripturae dubitemus. Nam displicet *quoque* ab initio enumerandarum rerum, quae illo scripto continerentur, atque in re, quae neutiquam pro mero additamento habenda esset, positum. Ad hoc codices dissentiunt. Nam optimi libri praebent: *divinique in eo erant*, pauci ex deterioribus, *divina quae* vel *di'vaque* et similia. Nonnullis editoribus placuit: *Divi quique.* Sed ita scripturum fuisse Livium non crediderim, sed *Divi omnes*, ut §. 4; VI, 29 extr. Bekkeri coniectura est: *Divi Divaeque.* Sane haec verba aliis quoque locis coniunguntur, ut XXIX, 27 in. *Divi Divaeque, maria terrasque qui colitis;* VII, 26 in. *Si Divus, si Diva esset, qui sibi praepetem misisset.* Sed ibi ipsa precantium sunt verba, et alibi, ubi editos deos esse, quibus sacrificaretur, Livius memorat, dearum nomen non adiecit. Cf. XXX, 2 extr.; XL, 45 med.; XLI, 13 in.; XLII, 2 extr.; XLIII, 13 extr.

2 *faciliores que*) Nonnulli codd.: *felicioresque*, quod prope eandem vim habet quam *meliores.* Significantius igitur res dicuntur *faciliores; facilius* enim est, quod minus laboris vel molestiae obiicit agentibus. Et cf. exempla, quae laudata sunt a Gronovio: Cic. Fam. VI, 5 in. *Res et fortunae tuae — quae quidem quotidie faciliores mihi et meliores videntur;* Ter. Ad. III, 4, 56 *Quam vos facillime agitis, quam estis maxime Potentes, dites, fortunati, nobiles.*

duelli) De hac forma v. ad XXII, 10, 2.

3 *lucris meritis*) „Lucris perceptis, quae Deorum nutu et strenua virtute promeriti estis.“ Gronov.

deque) Additur per *que*, quod priora illustrat. V. ad XXI, 48, 4. Quod ad locum coniunctionis attinet, Livius eam plurimis locis praepositionibus etiam monosyllabis, non eis vocabulis, quae sequuntur, adiunxit. Ita posuit *deque* etiam XXVI, 28 in.; XXXI, 5 in.; XXXVIII, 35 sub fin.; XL, 42 sub fin.; XLII, 62 extr.; *inque* X, 37 extr.; XL, 57 med.; *exque* XXI, 46, 3; *postque* XLI, 9 sub fin.; *proque* IV, 26 med.; VI, 26

manubiis spoliisque honorem habetote; lasciviam a vo-
4 *bis prohibetote.* Haec ubi ex Graeco carmine interpretata
recitavit, tum dixit, *se oraculo egressum extemplo his*
5 *omnibus divis rem divinam ture ac vino fecisse, iussum-*
que ab templi antistite, sicut coronatus laurea corona
et oraculum adisset et rem divinam fecisset, ita coro-
natum navim ascendere nec ante deponere eam, quam
6 *Romam pervenisset. Se, quaecunque imperata sint, cum*
summa religione ac diligentia exsecutum coronam Ro-
mae in aram Apollinis deposuisse. Senatus decrevit, ut

---

med.; XXII, 59, 16; XXIX, 23 extr.; (*prove* XXXI, 44 extr.) XXX, 18 in. Contra alteri vocabulo adiuncta est coniunctio XXXI, 42 in. *in vicemque;* XXXVII, 31 sub fin. *ad traiiciendasque copias;* XXXIV, 3 in. *per quaeque;* XXXVI, 21 in. *post paucosque dies.*

praeda, manubiis spoliisque) i. e. de omnibus, quaecunque parta vobis ex hostibus erunt. Sed ne quid praetermitteretur, singula commemorata sunt. De discrimine vocum *praedae* et *manubiarum* v. Gell. XIII, 23 sub fin. *Praeda dicitur corpora ipsa rerum, quae capta sunt* (v. c. agros, mancipia, pecora etc.), *manubiae vero appellatae sunt pecunia a quaestore ex venditione praedae redacta. Spolia* proprie dicuntur, quae detracta caesis vel captis hostibus sunt; deinde maxime ponitur ea vox in significandis iis rebus captis, quae sunt testandae victoriae. *Que* cur additum sit tertio vocabulo, ex iis patebit, quae diximus ad c. 15, 13.

lasciviam) „Denotat hic *lascivia* irreligiosam exsultationem in rebus secundis atque ex ea Deûm incuriam atque oblivionem." Gronov.

4 *interpretata*) Cf. XLV, 29 in. *ea Cn. Octavius praetor — interpretata sermone Graeco referebat;* Cic. Div. I, 52 *male coniecta maleque interpretata;* Sall. Jug. 17, 7; Tac. Ann. XI, 4; Ramsh. p. 176; Z. §. 632; Weiss. §. 139.

rem d. ture — fecisse) V. ad XXII, 10, 3.

5 *laurea corona*) „Nam rem sacram faciebant ornati coronis et quidem ab arbore ei deo sacra, cui honor habebatur, desumta. V. XXV, 12 extr.; XXVII, 37 extr.; XXXIV, 55 med.; XL, 37 post in." Ruperti. Adde quae ex Scholiaste Sophoclis (Oed. tyr. v. 82) laudavit Lipsius: οἱ γὰρ ἐπί τινι αἰσίῳ παραγενόμενοι ἐκ Δελφῶν ἐστεμμένοι ἐπανῄεσαν.

6 *in aram Ap. deposuisse*) Accusativum *aram* optimi et plerique tuentur codd. Aliis locis ablativum Livius eidem verbo adiunxit. V. XLIV, 25 extr. *interea Samothracae in templo depositurum* (pecuniam); XLII, 5 extr. *ut ibi deponerentur obsides;* XLIV, 6 in. *ubi pecunia deposita erat.* Cf. Ramsh. p. 470; Sch. p. 423; Weiss. §. 269 n. 6.

eae res divinae supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent.

Dum haec Romae atque in Italia geruntur, nuntius 7
victoriae ad Cannas Carthaginem venerat Mago Hamilcaris filius, non ex ipsa acie a fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis civitatibus Bruttiorum, quaeque deficiebant. Is, quum ei senatus datus esset, res gestas in 8
Italia a fratre exponit: *Cum sex imperatoribus eum, quorum quattuor consules, duo dictator ac magister equitum fuerint, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse; occidisse supra ducenta milia hostium; supra*

Romae atque in It.) Cf. supra ad c. 2, 7. De structura: *dum — geruntur, — venerat* v. ad XXI, 29, 1. 7

victoriae ad Cannas) Similia attulimus ad XXI, 15, 6.

in recipiendis c. Br.) Cf. supra c. 1, 4. *Recipere* aliquid saepissime dicuntur, qui aliquid suum faciunt. V. II, 39 in. *Inde Lavinium recepit;* III, 29 in. *Castris hostium receptis;* XXIII, 44, 3. *Hoc colloquium abstulit spem Hannibali per proditionem recipiendae Nolae;* XXXII, 13 extr.; XXXVI, 13 med.; XXXVIII, 39 in. Atque ita plurimis locis, ut nequaquam id verbum ad ea tantum referri pateat, quae in veterum dominorum possessionem recidunt.

quaeque d.) i. e. et omnino iis, quae deficiebant, non Bruttiorum solum civitatibus. V. de hac particulae *que* vi ad XXI, 55, 2.

Cum sex imp.) Hannibal praeter dictatorem Q. Fabium 8
et M. Minucium magistrum equitum cum quinque consulibus conflixerat, P. Cornelio Scipione, Ti. Sempronio, C. Flaminio, L. Aemilio Paullo, C. Terentio Varrone. Hic autem quum quattuor tantum Livius significet consules, Scipionem, Flaminium, Paullum, Varronem, eum Ti. Sempronii oblitum esse, interpretes putant. Sed memoriae vitio in re celeberrima, quamque ipse pluribus persecutus esset, scriptorem errasse, qui potest credibile esse? Immo, quod aptissimum est, Magonem ita de rebus Hannibalis exponentem facit, ut potius, quid animos audientium movere possit, quam ordinem rerum spectet. Itaque quum in enumerandis maximis rebus gestis locus non esset equestri proelio ad Ticinum facto, nolletque tamen omittere, quod aliquod ad animos momentum facere posset rerumque discrimen melius ostenderet, vulnus consulis, pro Sempronio substituit Cornelium Scipionem, velut si is potissimum acie decertasset ad Trebiam ibique vulneratus esset. Ita factum, ut quoscunque consules memoraret magnis pugnis victos, de iis ipsis rem insignem ad Hannibalis victoriam posset prodere.

9 *quinquaginta milia cepisse. Ex quattuor consulibus duos occidisse; ex duobus saucium alterum, alterum, toto amisso exercitu, vix cum quinquaginta hominibus*
10 *effugisse. Magistrum equitum, quae consularis potestas sit, fusum fugatumque; dictatorem, quia se in aciem*
11 *nunquam commiserit, unicum haberi imperatorem. Bruttios Apulosque, partim Samnitium ac Lucanorum defecisse ad Poenos: Capuam, quod caput non Campaniae modo, sed post afflictam rem Romanam Cannensi pugna*
12 *Italiae sit, Hannibali se tradidisse. Pro his tantis totque victoriis, verum esse, grates deis immortalibus agi haberique.*

---

9 *ex duobus*) Germani dicimus: *von den zwei andern.* Sed *duo* quum hic sint *οἱ δύο*, Livius secutus est consuetudinem Graecorum, qui in significandis numeris, ubi totum et alteram partem prodiderunt, satis habent, si quod superest memorant, articulum cum nomine numerali ponere. Cf. Rost. §. 98 p. 456. Eodem modo locutus est Liv. II, 33 in. *hi tres collegas sibi creaverunt. In his Sicinium fuisse, seditionis auctorem; de duobus, qui fuerint, minus convenit.* Cf. et infra ad c. 49, 8.

10 *quae c. potestas s.*) Usitatissima synesi ita pergit dicere, velut si antea dixerit magisterium equitum. V. locos a Gronovio et Drakenborchio laudatos: I, 20 in. *Virginesque Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium;* IV, 44 post in. *preces tribunorum plebis, potestatis sacrosanctae;* VI, 37 in. *Contemni iam tribunos plebis, quippe quae potestas iam suam ipsa vim frangat;* VIII, 32 in. *consules, regia potestas;* XXIV, 26, 11; XXX, 7 post in.

unicum) Ita a Livio praestantissimum quidque crebro dici, ostendimus ad XXII, 14, 9. Cf. infra c. 21, 5; XXIV, 34, 2.

11 *partim*) De antiqua hac accusativi forma, quam et hic et XXVI, 46 extr. optimi codd. tuentur, cf. Z. §. 271; Sch. p. 90. Eadem ab aliis quoque optimis scriptoribus aliena non est.

quod caput) V. Z. §. 372; Sch. p. 371; Weiss. §. 383. V. II, 13 post in. *agrum dono dedere, quae postea sunt Mucia prata appellata;* III, 26 sub fin. *quattuor iugerum colebat agrum, quae prata Quinctia vocantur;* ibid. 34 sub fin. *decem tabularum leges perlatae sunt, qui nunc quoque — fons omnis publici privatique est iuris;* ibid. 54 extr. *Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant;* V, 34 in. *Celtarum, quae pars Galliae tertia est.* Eodem modo plurimis aliis locis Livius locutus est.

12 *verum esse*) De vi huius locutionis cf. II, 48 in. *capti-*

XII. Ad fidem deinde tam laetarum rerum effundi in 1
vestibulo curiae iussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut, metientibus dimidium super tres modios explesse, sint quidam auctores. Fama tenuit, quae propior vero est, 2

---

vum agrum plebi quam maxime aequaliter darent. Verum esse, habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit; III, 40 sub fin. *Ceterum neminem, maiore cura occupatis animis, verum esse, praeiudicium rei tantae afferre;* XXXII, 33 in. *ceterum et sociorum audiri postulata, verum esse;* XXXV, 8 extr. *quum etiam verius esset, Ti. Sempronio imperium habenti tradi exercitum quam legato;* XXXIX, 27 in.; XL, 16 med.

grates — agi haberique) Cf. c. 12, 7. Satis autem constat, fere dici *gratias* sive *grates agere*, quippe ubi sermones seu verba spectentur gratum animum significantia, et *gratiam habere.* Inveniuntur tamen alii quoque loci nonnulli, ubi hic pluralis adiunctus est verbo habendi, neque solum, ubi praecedit *gratias agere*, ut per zeugma possis alterum explicare, sed etiam, ubi non praecedit. V. Cic. Phil. III, 10, 25 *maximas vobis gratias omnes et agere et habere debemus*; Nep. Timol. 4 *se in ea re maximas diis gratias agere atque habere;* Curt. IX, 6, 17 *Vobis quidem — grates ago habeoque.* Per se posita est locutio infra XXIV, 37, 7 *ita sibi populum Romanum senatumque gratias habiturum;* Plaut. Trin. III, 2, 33 *Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias;* Ter. Andr. IV, 4, 31 *dis pol habeo gratias;* Curt. III, 6 sub fin. Ceterum in illis exemplis postponitur *grates habere*, quod ea locutio ad longius posteriusque tempus pertinet.

XII.

Ad fidem) i. e. ut fidem faceret sive confirmaret laetas 1
res. Exempla huius locutionis v. ad XXI, 34, 3.

metientibus) Videtur dativus esse. V. Z. §. 405; Sch. p. 404; Weiss. §. 305. Potest tamen et pro ablativo absol. accipi, cuius omissum subiectum est, quam dicendi rationem a Livii consuetudine alienam non esse, apparet ex iis, quae dicta sunt ad c. 10, 9 et XXI, 43, 4.

modios) V. Z. §. 856. Heusingerus, qui circiter duodenos nummulos aereos (*Kupferpfennige*) spatium aequasse statuit singulorum annulorum aureorum summam annulorum singulos modios explentium fere mille fuisse putat.

Fama tenuit) Cf. de hac locutione ad XXI, 46, 10. 2

atque — primores) Additur quod ad rem augendam valet. Itaque particulam explicare poteris per *atque etiam* vel *et quidem.* Cf. ad XXI, 4, 1; infra c. 15, 6. *Eorum ipsorum* refertur ad *equitem*, de quo cf. ad XXI, 11, 3. Ad rem ipsam annotat Dukerus, in turmis equitum etiam plebeios militasse (qui annulos aureos non gererent). Omnino equites discernendi

haud plus fuisse modio. Adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem atque eorum
3 ipsorum primores id gerere insigne. Summa fuit orationis: *Quo propius spem belli perficiendi sit, eo magis omni ope iuvandum Hannibalem esse. Procul enim ab domo*
4 *militiam esse, in media hostium terra; magnam vim frumenti, pecuniae absumi; et tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua*
5 *minuisse. Mittendum igitur supplementum esse, mittendam in stipendium pecuniam frumentumque tam bene*
6 *meritis de nomine Punico militibus.* Secundum haec dicta Magonis laetis omnibus, Himilco, vir factionis Barcinae, locum Hannonis increpandi esse ratus, *Quid est, Hanno?* inquit. *Etiam nunc poenitet belli suscepti adversus Ro-*
7 *manos? Iube dedi Hannibalem; veta in tam prosperis rebus grates diis immortalibus agi. Audiamus Roma-*
8 *num senatorem in Carthaginiensium curia.* Tum Hanno:

---

ab *equitibus Romanis*, quorum id insigne erat. Nam equites possunt etiam sociorum esse.

3 *propius sp. b. p. sit*) Repete ex sequentibus: *Hannibal.* Similia v. ad XXI, 17, 4. Praeterea cf. de locutione *propius sum* ad XXI, 1, 2. *Bellum perficere* saepe Livium dicere, exempla docent ad XXII, 38, 7 allata.

6 *factionis Barcinae*) Cf. ad XXI, 2, 4; praeterea ad rem ipsam ibid. c. 3 et 10.

Quid est, Hanno?) „Nos uno verbo quasi mirabundi: *Num?* Cic. in Cat. I, 5 *Quid est, Catilina? Num dubitas id, me imperante, facere, quod iam tua sponte faciebas?* ibid. c. 8 *Quid est, Catilina? Ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium?*" Stroth.

7 *grates*) Hanc formam, qua rarissime utitur Cicero, Livius multis locis habet, neque tamen nisi ubi locutio *grates agere* ad deos refertur, ut inde coniicere possis, proprie sollemnia ea verba religionum fuisse. V. V, 23 in.; VII, 36 med.; X, 25 post in.; XXVI, 48 in.; XXVII, 13 in.; ibid. 51 med. et post med.; XXVIII, 39 sub fin.; XXX, 17 post in.; ibid. 21 sub fin.; XLV, 14 in.; ibid. 39 sub fin. Rarissime in hanc sententiam dixit *gratias agere*, ut VI, 6 post in.; XLV, 2 med. (si vera ibi scriptura est); qua locutione semper utitur, ubi res ad homines refertur. Cf. v. c. II, 48 extr.; ibid. 57 post in.; III, 5 extr.; ibid. 18 extr.; ibid. 53 in.; IV, 48 extr.; V, 7 med. et extr.; ibid. 19 med.; V, 27 extr. et ita plurimis aliis locis.

Tacuissem hodie, Patres conscripti, ne quid in communi omnium gaudio, minus laetum quod esset vobis, loquerer; nunc interroganti senatori, poeniteatne me adhuc 9
suscepti adversus Romanos belli, si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar, quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum suae. Respondeam, 10
inquit, *Himilconi, non desisse poenitere me belli neque desiturum ante invictum vestrum imperatorem incusare, quam finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro; nec mihi pacis antiquae desiderium ulla alia res quam pax nova finiet. Itaque ista, quae modo Mago iactavit,* 11

Patres conscripti) Cf. supra ad c. 10, 6, et de omisso verbo dicendi ad XXI, 18, 4. 8

nunc) Hanc vocem locum habere, ubi veritas opponatur cogitationi, ostendimus ad XXI, 40, 3. De structura verbi cf. III, 41 in. *ad Valerium, negantem se privato reticere, lictorem accedere iussit;* Tacit. Ann. XIV, 49 *Vitellius optimum quemque iurgio lacessens et respondenti reticens;* Ovid. Met. III, 357 *reticere loquenti.* Absolute hoc verbum Livius posuit XXXII, 33 med. *Iam dudum se reticere.* 9

inquit) Sic optimi quique codd.; contra libri typis expressi: *igitur.* Hoc autem quanquam per se satis aptum est, tamen substituendum pro optimorum codicum lectione non videtur. Nam ut apud Graecos εἶπε vel ἔφη, ita apud Latinos *inquit* nonnunquam mediae interponitur orationi rectae, ubi nova orationis pars incipit aut ad aliqua verba potissimum converti legentium animos scriptor vult. Talia exempla habes Liv. III, 19 extr., ubi post longiorem L. Quinctii consulis orationem rectam haec sequuntur: *Iam primum omnium,* inquit, *Quirites, in Volscos et Aequos mihi atque collegae legiones ducere in animo est;* Caes. b. c. II, 31, ubi media in oratione Curionis *inquit* repetitur. Neque ab his Livii verbis eam vocem, quum iam ad ipsum responsum transeat Hanno, alienam esse crediderim. 10

vestrum imperatorem) *Vestrum* in optimis codicibus legitur, in aliis *nostrum.* Illud Hannonis personae accommodatius esse, facile est ad intelligendum. Et cf. ad XXI, 10, 6.

iam laeta sunt) Gronovius legi voluit: *tam laeta.* Sed *tam* aut nullam aut certe duriorem tantum explicationem, si suppleas cogitatione: quam videmus, vel simile quid, habet. Nam ita, ut augeat modo vim insequentis vocis idemque fere sit, quod *maxime* etc., hoc vocabulo veteres non utuntur. Videtur autem Gronovius neglexisse oppositionem, quae est in verbis *iam sunt* et *possunt esse. Iam esse* enim quum dicatur, 11

Himilconi ceterisque Hannibalis satellitibus iam laeta
sunt; mihi possunt laeta esse, quia res bello bene ge-
stae, si volumus fortuna uti, pacem nobis aequiorem
12 *dabunt. Nam si praetermittimus hoc tempus, quo ma-*
gis dare quam accipere possumus videri pacem, vereor,
ne haec quoque laetitia luxuriet nobis ac vana evadat.
13 *Quae tamen nunc quoque qualis est? Occidi exercitus*
hostium: mittite milites mihi. Quid aliud rogares, si
14 *esses victus? Hostium cepi bina castra, praedae vide-*
licet plena et commeatuum: frumentum et pecuniam date.
Quid aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, pete-
15 *res? Et, ne omnia ipse mirer, (mihi quoque enim, quon-*
iam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est)
velim seu Himilco seu Mago respondeat, quum ad inter-
necionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, con-
16 *stetque in defectionem totam Italiam esse, primum ec-*

---

quod verum evasit (*sich verwirklicht hat*), bene opponitur, quod *potest* verum evadere sive quod, si forte, futuro tempore erit. Hinc etiam patet, audiendos non esse Bauerum et Rupertum, qui *sint* aptius legi existiment quam *sunt*. Praeterea maxima distinctio, quam editores adhuc posuerunt ante *mihi*, probabilis non videtur, quum verba: *mihi possunt laeta esse*, referantur ad *Itaque*.

12 *luxuriet*) i. e. rectos fines excedat vel nimia sit. Cf. supra c. 2, 1; I, 19 med. *ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat;* II, 48 in. *nimia gloria luxuriare et evanescere vividum quondam illud Kaesonis ingenium;* ibid. 21 extr. *Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia: plebi — iniuriae a primoribus fieri coepere;* III, 33 in. *Laeta principia magistratus eius nimis luxuriavere. Eo citius res lapsa est.* Simili modo nomen *luxuriae* positum III, 64 in. Quod ad formam verbi attinet, Livius fere usus est genere activo, medium non alibi nisi I, 19 med. videtur posuisse. Cf. infra ad c. 33, 3.

14 *praedae v. pl.*) Est sententia Hannonis, Hannibalis verbis interiecta, quo magis admirationi sit postulatum. De vi vocis *videlicet* cf. Weiss. §. 338. 3; Z. §. 345; Sch. p. 584.

15 *ne o. ipse mirer*) *Ipse* i. e. solus. Cf. ad XXI, 8, 12. Sententia haec est: Ne unus omnia, quae in hac re mirabilia sunt, afferam, Himilconem vel Magonem interrogabo, quorum tale responsum erit, ut ipsi mira haec esse fateantur.

quoque enim) De harum particularum collocatione v. ad XXII, 50, 3.

quis Latini nominis populus defecerit ad nos, deinde ecquis homo ex quinque et triginta tribubus ad Hannibalem transfugerit. Quum utrumque Mago negasset: *Ho-* 17
stium quidem ergo, inquit, *adhuc nimis multum superest. Sed, multitudo ea quid animorum quidve spei habeat, scire velim.*

XIII. Quum id nescire Mago diceret, *Nihil facilius* 1
scitu est, inquit. *Ecquos legatos ad Hannibalem Romani miserunt de pace? Ecquam denique mentionem pacis Romae factam esse, allatum ad vos est?* Quum id 2
quoque negasset, *Bellum igitur,* inquit, *tam integrum habemus, quam habuimus, qua die Hannibal in Italiam est transgressus. Quam varia victoria priore Punico* 3

---

in defectionem esse) Vulgo: *in defectione.* Sed *in defectionem,* quod duo optimi libri cum nonnullis aliis habent, recipiendum visum est, ut cogitetur potissimum animorum ad defectionem inclinatio. V. de hoc loquendi genere ad XXII, 25, 6.

ex quinque et tr. tr.) i. e. Romanis. Hic enim nu- 16
merus tribuum expletus erat anno u. 512. duabus tribubus, Velina et Quirina, additis.

Hostium quidem) *Quidem* ad insigniendam vocem 17
praecedentem valet, quasi dicat: Quomodocunque cetera se habent, hostes certe nimis multi supersunt. Cf. ad XXI, 30, 7.

XIII.

id nescire) Codd. nonnulli: *se id nescire* aut *id nescire* 1
se. Optimi pronomen omittunt. V. ad c. 3, 10.

Ecquam denique m.) Hand. Tursell. II, p. 269. 8. „Propriam sedem particula (*denique*) occupat in interrogatione, quum gravior res in considerationem vocatur, ubi Germani dicimus *ja.*“ Potest etiam verti „*auch nur*“. Saepe autem *denique* in secundo membro locum habet, quum uno posito statim transeunt scriptores ad id, quod rem conficiat. Cf. Liv. IV, 56 extr. *qui non civium, non denique hominum numero essent;* V, 6 sub fin. *ut non obsidionis taedio, non denique regni quicquam apud eos novatum sit;* VIII, 21 extr. *An credi posse, ullum populum aut hominem denique in ea conditione mansurum.*

qua die) Feminino genere Livius usus est certum tem- 2
pus significans. V. ad XXII, 8, 6.

Quam varia v.) Sententiarum vis atque ordo hic est: 3
Bellum integrum habemus. Atqui si integrum bellum habemus, variare, id quod prioris belli casus ostendunt, fortuna potest;

bello fuerit, plerique, qui meminerimus, supersumus. Nunquam terra marique magis prosperae res nostrae visae sunt, quam ante consules C. Lutatium et A. Po-
4 *stumium fuerunt. Lutatio et Postumio consulibus devicti ad Aegates insulas sumus. Quod si (id quod dii omen avertant) nunc quoque fortuna aliquid variaverit, tum pacem speratis, quum vincemur, quam nunc, quum*
5 *vincimus, dat nemo? Ego, si quis de pace consulet, seu*

---

quod si fiet, pacem frustra desiderabimus, quae nunc fortasse contingere nobis poterit.

priore Punico b.) Quanquam vere observat Gronovius, ab homine Poeno non magis id bellum potuisse *Punicum* dici, quam ab Romano, si loqueretur, idem vocari possit *Romanum;* tamen neque quod ille suasit, ut aut induceretur *Punico* aut substitueretur *Romano* vel *Italico*, neque quod Heusingerus, ut ante *priore* insereretur: P. R. (i. e. populi Romani) probabile est. Neque enim obliviscendum, non alios nisi Romanos lectores obversatos scriptoris menti esse. Itaque non solum in ipsa narratione, quod compluribus locis ostendimus (cf. c. 12, 8), sed etiam quum verba facientes facit homines non Romanos, nomina interdum ponit ut a dicentium personis, si verum quaerimus, aliena, ita accommodata ad legentium cogitationes. Cf. ad XXI, 54, 3; XXII, 6, 3.

plerique, qui mem., supersumus) De hoc loquendi genere dictum ad XXII, 59, 8. Adde Weiss. §. 376; Ramsh. §. 158. 4. a.

fuerunt) Non supervacaneum cum Doeringio hoc verbum crediderim. Negat enim ne visas quidem ullo tempore magis prosperas res, quam tunc re vera fuerint.

4 *Lutatio*) Magna vis est in asyndeto, de quo cf. ad c. 5, 11. De ipsa re cf. ad XXI, 10, 7.

id quod d. omen av.) i. e. dii avertant, ne id, quod dico, pro omine sit.

f. aliquid variaverit) *Aliquid* hic pro adverbio est. V. ad XXI, 12, 4; XXXVII, 26 post in. *Aliquid etiam inflabat animos classis Rhodia;* XLI, 2 post in. *perlucens iam aliquid — lux.* *Variare* igitur hic est verbum neutrum, ut I, 43 extr. *ibi si variaret;* III, 45 in. *si nec causis nec personis variet* (lex); IX, 18 med. *Miremur, si — plus in tam longo spatio — fortuna variaverit;* XXVII, 27 extr. *fama variat;* XXXVIII, 57 extr. Alibi apud Livium etiam transitiva eius verbi vis valet, ut supra c. 5, 8; II, 57 in.; X, 29 med.; XXII, 2 extr.; XXV, 1 med. etc. Cf. ad XXI, 28, 5.

tum pacem sp.) Cf. supra ad c. 8, 7.

5 *Ego*) Nonnulli codd. et partim quidem optimorum ex numero habent *ergo*, quae discrepantia plurimis locis invenitur.

deferenda hostibus seu accipienda, habeo, quid sententiae dicam: si de iis, quae Mago postulat, refertis, nec victoribus mitti attinere puto, et frustrantibus nos falsa atque inani spe multo minus censeo mittenda esse. Haud multos movit Hannonis oratio: nam et simultas cum 6
familia Barcina leviorem auctorem faciebat, et occupati animi praesenti laetitia nihil, quo vanius fieret gaudium suum, auribus admittebant; debellatumque mox fore, si anniti paullulum voluissent, rebantur. Itaque ingenti consensu fit se- 7
natusconsultum, ut Hannibali quattuor Numidarum milia in

Hic *ergo*, quod ab editoribus compluribus receptum est, minus bene se habet. Nam quo loco posita est haec vox, non potest non ad utriusque, quae sequitur, enuntiationis hypotheticae apodosin referri, quum tamen eius vis ad priorem tantum conveniat, ubi de pace facienda Hanno loquitur. Nam altera, ubi de postulatis Magonis sermo est, non iis nititur, ad quae spectat *ergo*, sed verbis *victoribus* et *frustrantibus nos falsa atque inani spe*. Contra *ego* in clausula orationis, ubi graviter qui dicit in unum comprehendit, quae ipse contra atque alii sentiat, et aptissimum est et a Livii consuetudine minime abhorrens. V. de ea re ad XXI, 3, 6.

si — consulet — si — refertis) De pace num quis consulturus esset, res erat maxime dubia, contra, relaturos eos de Magonis postulatis, pro vero iam poterat poni. Quare altero loco *si* cum tempore praesenti positum. V. ad XXI, 41, 15.

nec vict. mitti attinere p.) *Victoribus* et *frustrantibus* enuntiationis hypotheticae vim habent. V. infra ad c. 44, 2. De *attinendo* v. ad c. 3, 13.

debellatumque — fore) Hoc dicendi genus a latinitate 6
non esse alienum, quod fuerunt qui contenderent, multa exempla comprobant. V. Liv. II, 34 extr. *domitos ipsos potius cultores agrorum fore;* V, 2 in. *id donum inimicorum veneno illitum fore;* XXXI, 13 med. *quid aliud quam publicatam — suam pecuniam fore;* Cic. Tusc. III, 28, 69 *brevi tempore philosophiam plane absolutam fore;* Caes. b. g. IV, 6 *omniaque — ab se fore parata.* Manifestum est autem, hanc formam ibi recte poni, ubi rem futuro tempore absolutam cogitari volumus. Itaque plus hic est *debellatum fore* quam *debellatum iri.*

quattuor N. m.) Infra c. 32, 5 quum etiam duodecim 7
milia peditum memorentur per Magonem in Italiam ad Hannibalem transmittenda, Drakenborchius hic peditum numerum scribarum culpa excidisse putat. Itaque quum omnia ibi minora memorentur, quam hic decernantur, legendum esse coniecit: *viginti peditum, quattuor Numidarum milia.* Sed ea mutatione

supplementum mitterentur et quadraginta elephanti et ar-
8 genti mille talenta. Dictatorque cum Magone in Hispaniam praemissus est ad conducenda viginti milia peditum, quattuor equitum, quibus exercitus, qui in Italia, quique in Hispania erant, supplerentur.

1 XIV. Ceterum haec, ut in secundis rebus, segniter

---

nonnullis editoribus probata supersedere videmur posse. Nam si pedites ex senatusconsulto non in Africa, sed in Hispania conducendi erant, non opus erat, eos hic commemorari, quum de militibus Hispanis Hannibali mittendis insequenti paragrapho dicatur.

mille talenta) Plerique libri: *multa talenta*. Sed vere Muretus: „Quis non miretur, inquit, quum et militum et elephantorum numerus senatusconsulto definitus ac certo comprehensus fuerit, de pecunia ita ἀορίστως decretum esse?" Accedit quod in duobus libris omnium optimis numerus nullus omnino est, sed: *et argenti talenta*, ut praetermissum esse numerum appareat. Itaque librarius aliquis, qui nullam eam sententiam esse videret, pro numero, quem ignoraret, videtur posuisse *multa*. Sed quum infra (c. 32, 5) mille talenta in Italiam transmissurus fuisse Mago dicatur, atque ibi quoque pro *mille* multi codd. habeant *multa*, nihil aptius videtur quam eundem quem illo loco, etiam hic reponere numerum. Fuerunt quidem qui crederent, quod equitum quoque et elephantorum minor ibi proderetur numerus quam hic, pecuniam quoque illam non posse non minorem esse; sed alia res est. Nam per se patet, conducendis instruendisque copiis, praesertim quum ea res segniter ageretur (v. c. 14, 1) plura obstare potuisse quam solutioni pecuniae, ita ut hanc quidem totam acciperet Mago, supplementa non item. Ceterum interpretes alii alia probarunt. Bekkerus retinuit *multa*, Muretus, quem nonnulli sequuntur, dedit *mille quingenta*, *multa* natum suspicatus ex *MVCta*, Kreyssigius *mille quinquaginta*, ut in codd. fuerit *MLta*. Sed cur hic multum tribuendum sit lectioni *multa*, c. 32, 5 nihil, parum liquet.

8 *Dictatorque*) Ita innumeris locis nova enuntiatio, sed quae rem contineat ita cum prioribus cohaerentem, ut pro complemento vel appendice eorum possit haberi, adiungitur per *que*. V. infra c. 15, 15; 17, 11; 20, 6; 23, 8; XXIV, 26, 14 (ubi cf.); 31, 14 etc. De nomine *dictatoris* cf. supra ad §. 3; ad c. 10, 6. Similiter a Catone in Originibus Hannibalem dictum esse dictatorem Carthaginiensium, Maharbalem magistrum equitum, quae Gellius X, 24 attulit, docent.

praemissus est) i. e. prius missus est, quam ea, quae modo commemorata sunt, mitterentur.

otioseque gesta. Romanos praeter insitam industriam animis fortuna etiam cunctari prohibebat. Nam nec consul ulli
rei, quae per eum agenda esset, deerat; et dictator M. 2
Iunius Pera, rebus divinis perfectis, latoque, ut solet, ad populum, ut equum escendere liceret, praeter duas urbanas legiones, quae principio anni a consulibus conscriptae fue-

---

XIV.

ut in secundis rebus) V. Sch. p. 634 extr.; Weiss. 1
§. 432. n. 1 et quae attulimus ad XXI, 7, 7; infra c. 35, 18.

segniter otioseque g.) Deerat animorum industria et in agendo labor.

Nam) Spectatur sententia, quae antecedentibus subest: Romani non cunctabantur. Etiam hic, quaecunque ad eam cogitationem illustrandam pertinent, in unum scriptor comprehendit, ita quidem, ut, quum duae essent sententiae primariae partes (*nec consul* etc. — *et dictator* etc.), eam, quae rem haberet non ita insignem, ab initio poneret, alteram, ubi rem proderet sanequam magnam ac mirabilem, ita divideret, ut nomine tantum dictatoris, ad quem posteriora omnia referrentur, praemisso, per minora paulatim ad id, quod in ea re gravissimum esset, edictum illud, ascenderet optimeque verborum orbem absolveret eo, ad quod maxime convertendi legentium animi essent. Nec sine causa positum *nec — et*, quod indicio est, novam eamque graviorem partem incipere a verbis *et dictator*. Cf. supra ad c. 1, 7.

latoque) De hac structura v. Z. §. 647; Sch. p. 316; 2
Weiss. §. 250. n. 3; ad XXII, 55, 3.

ut solet) Ita *solet* non raro absolute ponitur in eo, quod ex more fit. Cf. II, 34 in. *fames, qualis clausis solet*; VI, 34 post in. *parva (ut plerumque solet) rem ingentem moliundi causa intervenit*; XXX, 10 post in. *contra quam in navali certamine solet*; XXXVI, 23 in. *non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus*; XLI, 14 extr. Pariter *assolet*. V. I, 28 in.; XXXIV, 44 in.

ut equum escendere l.) Cf. de ea re Plutarch. Fab. p. 175 (c. 4): *Ἀποδειχθεὶς δικτάτωρ Φάβιος καὶ ἀποδείξας αὐτὸς ἵππαρχον Λεύκιον Μινούκιον πρῶτον μὲν ᾐτήσατο τὴν σύγκλητον ἵππῳ χρῆσθαι παρὰ τὰς στρατείας. Οὐ γὰρ ἐξῆν, ἀλλ' ἀπηγόρευτο κατὰ δή τινα νόμον παλαιὸν, εἴτε τῆς ἀλκῆς τὸ πλεῖστον ἐν τῷ πεζῷ τιθεμένων καὶ διὰ τοῦτο τὸν στρατηγὸν οἰομένων δεῖν παραμένειν τῇ φάλαγγι καὶ μὴ προλείπειν, εἴθ' ὅτι τυραννικὸν εἰς ἅπαντα τἄλλα καὶ μέγα τὸ τῆς ἀρχῆς κράτος ἐστὶν, ἔν γε τούτῳ βουλομένων τὸν δικτάτωρα τοῦ δήμου φαίνεσθαι δεόμενον.* Ab his non discrepat, ut Dukero aliisque visum est, quod Zonaras VII, 13 tradidit, non licuisse dictatori equum escendere nisi in bellum profecturo. Nam Plutarchus quoque diserte dicit, eam potestatem petitam

3 rant, et servorum delectum cohortesque ex agro Piceno et Gallico collectas ad ultimum prope desperatae reipublicae auxilium, quum honesta utilibus cedunt, descendit edixit-

---

a Fabio, ut παρὰ τὰς στρατείας equo uteretur. Omisit tantum Zonaras commemorare, ferendum dictatori, ut eam potestatem acciperet, ad populum fuisse. Atque id praetermissum ab eo credibile est, quod dicis causa, sive ut mori satisfieret, res videtur locum habuisse, quam etiam Livius hoc uno loco prodidit, quum saepe idem factum esse, declarent verba: *ut solet*. Cf. et III, 27 in., ubi equitantis dictatoris mentio fit.

praeter d. urbanas l.) *Praeter* cum nominibus suis vicem explet totius enuntiationis, quasi dictum sit: *praeterquam quod duas urbanas legiones* etc. *haberet*. Cf. VII, 37 ante med. *ut quibus praeter equos ceterorum iumentorum calonumque turba abesset;* ibid. 42 extr. *praeter Latinorum infidum iam diu foedus*, *Privernates etiam Norbam atque Setiam — depopulati sunt*. V. de hac praepositionis *praeter* aliarumque vi ad XXI, 29, 3 et ad XXII, 7, 5 vel ibid. ad 57, 6. Ita non videtur opus esse, ut cum aliis ἀνακόλουθον orationem dicamus, tanquam Livius dicturus: *praeter duas urbanas legiones* etc. *eos quoque*, *qui capitalem fraudem ausi* etc. *conscripsit*, partim interiiciendis verbis, quae rem summa necessitate expressam ostenderent, partim quod in ea re docere accurate, quali edicto dictator usus sit, vellet, a legitima structura deflexerit.

servorum delectum) V. XXII, 57 extr. Desideratur autem hic mentio earum quattuor legionum, quas ab ipso dictatore scriptas ibidem Livius tradidit.

3 *Gallico*) Gallicum agrum tunc dictum esse Crevierius docet eum, qui inter Aesim et Rubiconem fluvios captus ex Gallis Senonibus iisque expulsis divisus Romanis civibus esset.

desp. reipublicae) Indefinite hoc dicitur, qualem in modum etiam in numero singulari substantiva poni solent, neque solum, ubi communiter ad quoddam genus hominum vel rerum nomen spectat, ut I, 50 extr. *Nullam breviorem esse cognitionem quam inter patrem et filium* (cf. Z. §. 364; Sch. p. 521; Weiss. §. 156. n. 3), sed etiam ubi singuli dicuntur, ut II, 11 med. *Et sciere perfugae indicio*; XXIX, 9 in. *Rapto poculo argenteo ex oppidani domo;* XXXIX, 14 in. *Aebutius migrare ad consulis clientem iussus;* V, 47 in. *quum primo inermem, qui tentaret viam, praemisissent;* XXXIX, 8 in. *Graecus ignobilis in Etruriam primum venit*. V. infra c. 23, 4; 28, 11; 24, 10; 28, 11 etc.

descendit) „Dicuntur *aliquo descendere*, qui ad gravem aliquam conditionem inviti necessitate veniunt.“ Gronov. V. Liv. XLV, 15 med. *postremo eo descensum est*, *ut ex quattuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur;* Cic. Quinct. 16 *viri boni*, *quum palam fraudantur*,

que: *Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniae iudicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque sese exsolvi iussurum.* Ea 4
sex milia hominum Gallicis spoliis, quae triumpho C. Flaminii translata erant, armavit. Itaque cum viginti quinque milibus armatorum ab urbe proficiscitur.

Hannibal, Capua recepta, quum iterum Neapolitanorum 5
animos partim spe partim metu nequicquam tentasset, in

---

quum experiundi potestas non est, timide tamen et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inviti; Caes. b. c. I, 9 extr. *Sed tamen ad omnia se descendere paratum atque omnia pati reipublicae causa.*

pecuniae iudicati) i. e. qui in vinculis, donec multam iis impositam solvissent, detinerentur. De structura cf. VI, 14 in. *iudicatum pecuniae quum duci vidisset;* XXVI, 3 sub fin. *quod vel capitis vel pecuniae iudicasset privato;* ibid. *perduellionis se iudicare Cn. Fulvio.* V. Z. §. 446; Sch. p. 401; Weiss. §. 236 n. 3.

Qui — essent, qui eorum — f.) Forma orationis, quae talis est, ut enuntiatio relativa: *qui — fierent* epexegesin habeat antecedentium enuntiationum relativarum, ab ipso edicto aut certe forma talium edictorum videtur ducta esse. Prorsus eodem modo in commemorandis foederis cum Aetolis facti legibus XXXVIII, 11 extr. *Quae urbes, qui agri, qui homines Aetolorum iuris aliquando fuerunt, qui eorum T. Quinctio, Cn. Domitio consulibus — in ditionem populi Romani venerunt, ne quem eorum Aetoli recepisse velint.* Cf. praeterea XLIII, 14 extr. et ad XXI, 26, 7.

triumpho C. Fl.) Cf. ad XXI, 63, 2. Ablativus *triumpho* ad tempus declarandum valet. Simili modo Livius aliique multis substantivis utuntur, quae per se tempus non significant, ut *ludis:* II, 36 in.; XXXII, 26 med.; XXXIV, 44 med.; XXXIX, 7 extr.; *Latinis:* XXXII, 1 sub fin.; XLIV, 22 extr.; *comitiis:* VIII, 13 med.; XXXI, 50 med.; XXXIX, 39 med.; infra c. 24, 12 *sollemnibus.* 4

translata erant) *Transferri* proprie dictae sunt res, quae in triumphis ad spectaculum ferebantur. V. XXXIV, 52 in. *Triduum triumphavit. Die primo arma, tela signaque aerea et marmorea transtulit;* XXXVII, 58 med. *In eo triumpho undequinquaginta coronae aureae translatae sunt;* XXXIX, 42 in.; XL, 59 in.; XLI, 7 in. Pariter *transduci* sive *traduci* res dicuntur, quae ad spectaculum ducebantur, *transvehi,* quae vehebantur. V. II, 38 med.; XXXIII, 23 med.; XXXVI, 40 sub fin.

Capua recepta) V. ad c. 11, 7. Coniungendus autem hic ablat. absol. cum enuntiatione secundaria. 5

6 agrum Nolanum exercitum traducit, ut non hostiliter statim, quia non desperabat voluntariam deditionem, ita, si morarentur spem, nihil eorum, quae pati aut timere possent,
7 praetermissurus. Senatus ac maxime primores eius in societate Romana cum fide perstare; plebs novarum, ut solet, rerum atque Hannibalis tota esse, metumque agrorum populationis et patienda in obsidione multa gravia indignaque
8 proponere animo. Neque auctores defectionis deerant. Itaque ubi senatum metus cepit, si propalam tenderent, resisti multitudini concitatae non posse, secunda simulando

---

6 *ut non h.*) Codd. tantum non omnes habent: *et ut non h.*, unus omittit *ut*. Recentiores editores plerique recte videntur induxisse *et*, quod et facile hic potuit per errorem nasci et non aliam nisi duriorem hic explicationem admittit per *et quidem*.

7 *n. rerum atque H. tota esse*) Cf. ad XXII, 50, 3; praeterea III, 36 extr. *hominum, non causarum, toti erant;* ibid. 38 extr. *suarumque rerum erant, amissa publica;* VI, 14 post med.; VII, 30 ante med.

auctores defectionis) i. e. qui deditionem suaderent. V. ad XXII, 25, 17.

8 *si — tenderent*) De plurali numero ad nomen *senatus* referendo cf. ad XXI, 7, 7; infra §. 11; XXIV, 22, 6, et v. ad XXIV, 2, 8. *Tendere*, quod est acriter agentium facile patet, prout diversa sit totius sententiae vis non minus de iis dici posse, qui contra aliquam rem pugnent, quam qui pro al. re pugnent. V. IV, 8 extr. *Et tribuni — ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud sane tetendere;* V, 9 extr. *collegae aut facient, quod censet senatus, aut, si pertinacius tendent, dictatorem extemplo dicam;* VIII, 15 extr. *senatu, quum in summis imperiis id non obtinuisset, minus in praetura tendente;* X, 6 extr. Atque haec vis quum in verbo inest, nonnunquam, quo ea magis appareat, adiungitur *adversus* vel *contra*, ut XXXIV, 34 in.; XXXV, 51 med. De altera vi cf. IV, 7 post med.; VI, 34 in.; X, 24 in.; ibid. 26 med. etc.

secunda simulando) Magna est hoc loco et librorum manuscriptorum et interpretum dissensio. Optimi tres codd. habent: *posse secunda simulanda simulando d. m. i.;* proxime accedunt verba nonnullorum aliorum: *posse secum dissimulanda simulando* etc. et unius: *posse sed clam simulanda simulando.* Inde, quum aut *simulando* aut *dissimulando* eiecta pro supervacuis additamentis sint, nata sunt haec: *si clam simulando dilationem* aut *sed clam dissimulando dilationem.* Verum, ut iam Gronovius vidit, videtur esse: *secunda simulando.* Nam si statuas, per errorem scribarum satis vulgarem bis positam esse vocem *simulando,* manifestum est, quomodo et optimorum

dilationem mali inveniunt. Placere enim sibi defectionem 9
ad Hannibalem simulant; quibus autem conditionibus in foedus amicitiamque novam transeant, parum constare. Ita 10
spatio sumpto, legatos propere ad praetorem Romanum Marcellum Claudium, qui Canusii cum exercitu erat, mit-

---

codicum et inde ceterorum omnium nata sint menda. *Secunda* eandem vim habet quam II, 38 in. *audientes secunda irae verba*; VIII, 12 extr. *tres leges secundissimas plebei*, *adversas nobilitati*, *tulit*. Itaque *secunda simulare* hic dicuntur, qui mentem ostendunt plebis voluntati gratam (Heusingerus: *durch scheinbare Begünstigung*). Ceterum Drakenborchius recepit: *clam simulando;* Strothius, quem sequuntur Heusingerus aliique: *clam*, *secunda simulando*. Walchius, qui satis mirum in modum optimorum codd. lectionem originem duxisse statuit a deteriorum, coniecit: *clam stimulando*, quum neque de stimulando hic sermo sit, et hoc palam potius quam clam senatui faciendum fuisset. Kreyssigius probavit: *clam simulando*. Sed *clam* et supervacaneum est et ortum videtur ex posteriore syllaba lectionis *secum*, sive forte sive quod erant, qui antitheton quaererent adverbii *propalam*, non animadvertentes illi quidem, eam vim inesse in simulando, quum simulare secunda senatores non possent nisi adversam voluntatem clam habendo. Bekkerus alteram Gronovii coniecturam secutus recepit: *obsecundando dilationem mali inveniunt* (cf. III, 35 post med.), in quo nimio plus videtur a codicibus discessisse.

defectionem ad H.) Cf. ad XXI, 15, 6; supra ad 9
c. 9, 11.

Canusii) Drakenborchii quidem codices omnes habent 10
Casilini, quod nomen post Drakenborchium editores receperunt omnes, sed videtur etiam *Canusii* in libris manuscriptis esse, quum Sigonius alteram lectionem ex uno tantum cod. laudet. Et *Casilini* quidem quin falsa sit lectio, non potest dubitari. Nam cap. 17. Livius quicquid post pugnam Cannensem usque ad Hannibalis obsidionem factum Casilini est, enarrans nec commemorat Marcelli cum exercitu adventum et ita rem exponit, ut de eo ne cogitari quidem possit. Accedit quod, si tam propinquus Capuae exercitus Romanus fuisset, Hannibalem vix credibile est Nolam discessurum fuisse. Cf. c. 17, 7. Deinde Livius diserte dixit XXII, 57, 1 et §. 8, et iussum a Senatu Marcellum esse Canusium ad exercitum proficisci et magnis itineribus eo contendisse. Advenisse autem eum Canusium atque ab ea urbe initium fecisse belli adversus Hannibalem gerendi, Plutarchus tradidit (Marcell. c. 9 et 10 p. 302 et 303) et ex ipso Livii silentio potest colligi. Denique quod non recta tetendit Nolam, sed per ambages itinerum, id eo consilio videtur fecisse, ut ne hostes, quem locum peteret, ante cognoscere et occurrere venienti possent.

4 *

tunt docentque, quanto in discrimine sit Nolana res: *agrum*
Hannibalis esse et Poenorum, urbem extemplo futuram,
11 *ni subveniatur; concedendo plebei senatum, ubi velint,*
12 *defecturos se, ne deficere praefestinarent, effecisse.* Mar-
cellus, collaudatis Nolanis, eadem simulatione extrahi rem
in suum adventum iussit; interim celari, quae secum acta
13 essent, spemque omnem auxilii Romani. Ipse a Canusio
Calatiam petit, atque inde, Vulturno amni traiecto, perque
agrum Saticulanum Trebulanumque super Suessulam per
montes Nolam pervenit.

1 XV. Sub adventum praetoris Romani Poenus agro
Nolano excessit et ad mare proxime Neapolim descendit,
cupidus maritimi oppidi potiundi, quo cursus navibus tutus
2 ex Africa esset. Ceterum, postquam Neapolim a praefecto
Romano teneri accepit (M. Iunius Silanus erat, ab ipsis
Neapolitanis accitus), Neapoli quoque, sicut Nola, omissa,
3 petit Nuceriam. Eam quum aliquamdiu circumsedisset, saepe
vi, saepe sollicitandis nequicquam nunc plebe nunc princi-

---

11 *defecturos*) V. ad §. 8.

13 *a Canusio*) Etiam hic ceteri editores habent: *a Casilino.* Sed quae ad §. 10. diximus, etiam hic valere, manifestum est.

Vulturno amni traiecto) His verbis quum et ipsis indicetur spatii, per quod a Calatia Nolam Marcellus pervenit, pars, cur Livius *que* adiunxerit *per* praepositioni, apparet. Cf. infra ad c. 41, 11. De forma *amni* v. ad XXI, 5, 15.

XV.

1 *Sub adventum*) Heusingerus significari putat, paulo ante adventum Marcelli Poenum agro Nolano excessisse, sed altera interpretatio, quam secutus est Klaiberus, ut paulo post praetoris adventum id factum dicatur, probabilior est. Nisi tamen ipse Livius, circa illud tempus rem factam, minus diligenter significavit. De vi praepositionis cf. ad XXI, 2, 1.

3 *saepe vi*) „Ex sequentibus *in deditionem accepit* intellige *in deditionem accipere conatus.*“ Stroth. Ita alii quoque locum interpretantur. Sed Livius si verba *in deditionem accipere conatus* cogitasset, adiecturus non fuit *nequicquam* ad *sollicitandis.* Immo ablativum adiecit, ut modum agendi ostenderet, quasi dicturus: *ita circumsedisset, ut saepe vim adhiberet* etc. Nam verbum *circumsidendi* etiam in iis ponitur, qui circumventis vim inferunt. V. XLII, 65 extr. et 66 in. De

pibus, fame demum in deditionem accepit, pactus, ut in-
ermes cum singulis abirent vestimentis. Deinde, ut qui a 4
principio mitis omnibus Italicis praeter Romanos videri vel-
let, praemia atque honores, qui remanserint ac militare se-
cum voluissent, proposuit. Nec ea spe quemquam tenuit: 5

---

tali autem ablativo cf. quae exempla allata sunt ad XXII, 42, 8. Neque aliter accipiendus ablativus: *sollicitandis — principibus*. Similiter enim saepe ablativus gerundiorum vel gerundivorum usurpatur, ita ut ad participiorum praesentis temporis vim proxime accedat. V. de gerundiis: II, 32 post in. *Ibi — rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo per aliquot dies — sese tenuere;* III, 36 in. *iam haud dissimulando superbiam — ad Idus Maias rem perduxere;* VIII, 17 in. *populando usque ad moenia atque urbem pervenerunt;* XXV, 19 extr. *inter — exercitus — alterum vincendo veteranum, alterum novum totum;* XXX, 28 med. *qui senex vincendo factus;* de gerundivis: III, 65 in. *insectandisque Patribus — tribunatum gessit*; V, 43 extr. *quum Diis hominibusque accusandis senesceret;* XXI, 2 in. *ita se Africo bello — ita in Hispania augendo Punico imperio gessit;* XXXIII, 3 med. *exercendo quotidie milite hostem opperiebatur.*

qui remanserint) *Iis*, quod nonnulli editores ante 4
qui addiderunt, ab codd. plerisque et optimis abest, et recte hic potest abesse, quanquam pron. relativum non in eodem casu positum est, quum nulla in eo vis sit, nec significentur certi homines. Cf. II, 23 extr. *Patrum qui abessent, non casu — abesse;* VI, 4 post in. *dies deinde praestituta capitalisque poena, qui non remigrasset Romam;* X, 36 med. *ut, quicunque ad vallum tenderet — pro hoste haberent;* XXIX, 6 ante med.; ibid. 7 med. etc. V. Weissenb. §. 377. Ceterum codd. prope omnes habent: *remanserant*, unus *remanserint*, editores plerique Gronovii coniecturam probarunt: *remanerent*. Sed *remanserant* positum a librariis esse pro *remanerent*, verisimile non est, nec magis, recte se habere *remanserant*, quod Bekkerus retinuit. Nam primum durius iunguntur haec: *qui remanserant ac — voluissent*, deinde locum non habet indicativus in eo, quod non potest nisi ad Hannibalis sententiam referri, neque rem factam continet. Neque enim credibile est, Hannibalem tum demum ea proposuisse, quum iam abiisset civium pars aliqua, nec Livius *qui — remanserant* de iis dixisset, qui et ipsi profectionem pararent. Quum nihil frequentius sit in codd. quam formarum in *erint* et *erant* confusio (v. c. hoc ipso cap. §. 12 in verbis *militaverit* et *fecerint*, ubi in plurimis codd. altera forma est) veram esse lectionem *remanserint* crediderim, eodemque modo iunctas inter se formas *remanserint* et *voluissent*, atque XXII, 32, 8 *si omnes res Neapolitanorum suas duxissent dignosque iudicaverint*, ubi cf.

dilapsi omnes, quocunque hospitia aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniae urbes, maxime Nolam Neapolim-
6 que. Quum ferme triginta senatores, ac forte primus quisque, Capuam petissent, exclusi inde, quod portas Hannibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriae praeda militi data est, urbs direpta atque incensa.
7 Nolam Marcellus non sui magis fiducia praesidii quam voluntate principum habebat. Plebes timebatur et ante omnes L. Bantius, quem conscientia tentatae defectionis ac metus a praetore Romano nunc ad proditionem patriae nunc, si
8 ad id fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat iuvenis acer et sociorum ea tempestate prope nobilissimus eques. Seminecem eum ad Cannas in acervo caesorum corporum inventum curatumque benigne etiam cum donis Han-
9 nibal domum remiserat. Ob eius gratiam meriti rem Nolanam in ius ditionemque dare voluerat Poeno; anxiumque

---

5 *Nec ea spe*) V. ad c. 3, 3.

per C. urbes) V. Z. §. 301; Sch. p. 603; Weiss. §. 286, n. 6; infra XXIV, 19, 11.

6 *ac f. primus quisque*) Cf. ad c. 12, 2. *Primum* saepe ad praestantiam vel dignitatem referri, ostendimus ad XXI, 4, 8.

7 *conscientia tentatae d.*) Optimi codd.: *consensu attentatae* (vel *attentantem*) *defectionis*. Itaque plerique editores receperunt: *consensus attentatae defectionis*. Sed displicet et verbum *attentandi*, quum Livius in tali sententia semper posuerit *tentare*, neque omnino ullo loco apud eum illud alterum legatur, et locutio *consensus defectionis* ad unum hominem relata. Gronovius ex coniectura dedit: *conscientia tentatae defectionis*, quam coniecturam satis per se probabilem quum etiam cod. unus confirmet, recte Bekkerus videtur revocasse. Cf. ad XXI, 63, 7.

metus a pr. R.) De hac praepositionum structura v. ad XXI, 11, 3. *A* saepe ita ponitur, inprimis ubi ad locum designandum valet. V. XXXII, 23 med. *metu poenae a Romanis;* III, 22 in. *bellum ingens a Volscis;* XXVII, 5 post in. *fides a consule*; IV, 3 sub fin. *incola ab Tarquiniis;* XXXII, 1 post med. *legati ab Ardea;* I, 50 in. *Turnus Herdonius ab Aricia;* II, 22 in. *principum a Cora atque Pometia liberi;* VI, 17 extr. *colonis Circeiensibus et a Velitris;* XXXI, 22 med.; ibid. 23 in.; XXVII, 26 post in. *ab Tarento via.*

9 *Ob eius gratiam m.*) *Ob* saepe poni in afferendis causis, quae in animo alicuius positae sunt, dictum ad XXI, 2, 6, ubi cf.

eum et sollicitum cura novandi res praetor cernebat. Ce- 10
terum, quum aut poena cohibendus esset aut beneficio conciliandus, sibi assumpsisse quam hosti ademisse fortem ac strenuum maluit socium, accitumque ad se benigne appellat:
Multos eum invidos inter populares habere, inde existi- 11
matu facile esse, quod nemo civis Nolanus sibi indicaverit, quam multa eius egregia facinora militaria es-
sent. Sed, qui in Romanis militaverit castris, non posse 12
obscuram eius virtutem esse. Multos sibi, qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui vir esset ille, quaeque et quoties pericula pro salute ac dignitate populi Ro-
mani adisset, utique Cannensi proelio non prius pugna 13
abstiterit, quam prope exsanguis ruina superincidentium virorum, equorum armorumque sit oppressus. Ita- 14

---

in ius ditionemque) De hac locutione v. ad XXI, 61, 7.

anxiumque eum et sollicitum) *Anxium* eum Livius dixit spectans prementem animi eius aegritudinem (v. Cic. Tusc. IV, 8), *sollicitum* cogitationes ac metus, quibus turbabatur animus. Quippe aegritudo illa nasci potuit, quod vanos desciscendi conatus ad id tempus videret esse, turbabatur autem animus cogitatione, quum metueret, ne quid sibi consiliisque suis infestum eveniret.

fortem ac strenuum) Haec saepe in laudem virorum 10
iungi, ostendimus ad XXI, 4, 4.

eum invidos habere) V. ad c. 2, 8; infra §. 15; 11
c. 22, 7.

non posse obscuram) Haec verba ante *eius* scriptor 12
posuit, ut, nullam esse conditionem latendi sive obscuritatis, maxima vi efferret. Cf. V, 1 extr. *qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe — habebat;* VII, 30 sub fin. *quicquid ipsi fuerimus, vestrum id omne existimatuvi.*

ille) Bene hoc pronomine usus est, quum ea ex sententia referentium dicantur.

utique) Cf. I, 24 extr. *ut illa palam prima postrema—* 13
recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt; VII, 42 in. *neu duos magistratus uno anno gereret, utique liceret consules ambos plebeios creari;* XXVIII, 39 extr. *id uti permittatis, quaesumus, utique — ea rata atque perpetua auctoritate vestra faciatis;* XXXVI, 2 in. *ut eius rei causa supplicationem imperarent consules, utique M. Acilius consul ludos magnos Iovi voveret.*

armorumque) *Que* Clericus et Crevierius contra co-

que macte virtute esto, inquit. *Apud me tibi omnis honos atque omne praemium erit; et, quo frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati atque emo-*
15 *lumento esse.* Laetoque iuveni promissis equum eximium dono dat bigatosque quingentos quaestorem numerare iubet; lictoribus imperat, ut eum se adire, quoties velit, patiantur.

1 XVI. Hac comitate Marcelli ferocis iuvenis animus adeo est mollitus, ut nemo inde sociorum rem Romanam

---

dices, ut videntur, deleverunt. Verum saepissime Livius *que* tertio nomini addidit, ubi duo priora nomina sine copula posita sunt, siquidem tertium non prorsus eiusdem generis est atque priora vel tale, quod non adiiciatur ad augendam priorum vim, sed tantum pro complemento, ne quid desit. Ita etiam XXVI, 5 med. dixit: *virorum, equorum armorumque sonum.* Cf. praeterea infra XXIV, 40, 15; XXIX, 10 extr.; ibid. 20 extr.; ibid. 22 extr.; 27 in.; XXXI, 17 sub fin.; XXXII, 21 post med. etc.

14 *macte virtute*) V. Z. §. 453; Sch. p. 117 et 441; Weiss. §. 253. n. 2; ad XXII, 49, 9. De transitu ab orat. obliqua ad rectam v. ad XXI, 10, 4.

senties) Multis locis, ubi positum *quo* cum comparativo, in altero membro *eo* omissum est, ut II, 51 med. *Quo plures erant, maior caedes fuit;* XXV, 38 extr. *quo audacius erat* (consilium), *magis placebat;* ibid. 36 extr. *Cnaeum tamen magis* (lugebant), *quo diutius praefuerat eis;* XXVI, 20 med.; ibid. 38 post med.; XXXIX, 40 in. Nonnunquam autem in enuntiatione primaria non solum *eo* omittitur, sed etiam, ut in hoc loco, comparativus. V. II, 45 med. *quo minus consules velle credunt, crescit ardor pugnandi;* XXV, 1 med. *Quo diutius trahebatur bellum — tanta religio et ea magna ex parte externa, civitatem incessit;* XL, 22 med. *Vexati omnes et ante alios rex ipse, quo gravior aetate erat, difficultate viae est,* ubi vis comparativi est in verbis *ante alios.* Neque sine causa hoc fit. Nam, quum omissis verbis ad comparationem pertinentibus, subsequitur statim sententia primaria, efficitur, ut multo magis eius vis emineat, quae quasi illas voces loco movit. Ita h. l. multo plus ponderis habet *senties*, quam si dixisset Livius: *eo magis senties.*

eam rem) i. e. quod mecum frequens es.

15 *Laetoque*) V. ad c. 13, 8.

bigatosque) Intelliguntur denarii argentei. V. ad XXII, 52, 3.

eum se adire) V. supra ad §. 11.

XVI.

1 *fortius ac fidelius*) Haec laus saepe impertitur ho-

fortius ac fidelius iuverit, quum Hannibal ad portas esset 2
(Nolam enim rursus a Nuceria movit castra), plebesque Nolana de integro ad defectionem spectaret. Marcellus sub 3
adventum hostium intra muros se recepit, non castris metuens, sed ne prodendae urbis occasionem nimis multis in
eam imminentibus daret. Instrui deinde utrimque acies coe- 4
ptae, Romanorum pro moenibus Nolae, Poenorum ante castra sua. Proelia hinc parva inter urbem castraque et vario eventu fiebant, quia duces nec prohibere paucos temere provocantes nec dare signum universae pugnae volebant.

---

minibus reipublicae militarem operam praestantibus. V. infra c. 46, 6; XXIV, 47, 11; XXVIII, 9 extr.; XXXVII, 54 extr.; XL, 49 extr.; XLV, 14 in.

ut — iuverit) Sub unum quasi aspectum quae postea egit Bantius, Livius collegit. V. de hac structura ad XXI, 2, 6; adde Weiss. §. 409. n.

quum — esset) Ab his verbis ante Heusingerum nova 2
enuntiatio initium habebat, cuius apodosis erat in verbis: *Marcellus — se recepit.* Sed recte Heusingerus, quem Kreyssigius et Bekkerus secuti sunt, haec prioribus subiunxit, ita ut maiorem distinctionem poneret post *spectaret.* Neque enim verisimile est, Marcellum tum demum se recepisse, quum Hannibal ad portas esset, et displicet in eadem re duplex haec temporis designatio: *quum H. ad portas esset* et *sub adventum hostium.*

movit) Hoc plerique atque optimi libri suppeditant, sed editores plerique receperunt: *moverat.* Quum per se constet parenthesis, neque opus sit, ut, quod in ea ponatur tempus, referatur ad earum partium enuntiationis, quibus illa inseritur, tempora, nihil hic attinet, ab optimorum codicum scriptura discedere. Ita XXVI, 6 sub fin. *immissis ab Hannibale, qui (habuit aliquot) gnari Latinae linguae iuberent* etc. Livius non dixit *habebat aliquot*, quod necesse erat, si enuntiationis relativae tempus spectaret.

castris metuens) V. Z. §. 414; Sch. p. 455; Weiss. 3
§. 299.

in eam imminentibus) Cf. XXV, 20 extr. *in alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminebat;* XXX, 28 extr. *quo magis in propinquam eam* (i. e. victoriae spem) *imminebant animis.*

pro m. Nolae — ante) De diversis praepositionibus 4
cf. quae dicta sunt ad XXI, 41, 14. Et aptius quidem hic altero loco *pro* positum esse, altero *ante*, facile est intellectu.

et vario eventu) Cf. de collocatione verborum ad c. 4, 8.

5 In hac quotidiana duorum exercituum statione principes No-
6 lanorum nuntiant Marcello, *Nocturna colloquia inter ple-
bem ac Poenos fieri; statutumque esse, ut, quum Ro-
mana acies egressa portis iret, impedimenta eorum ac
sarcinas diriperent, clauderent deinde portas murosque
occuparent, ut, potentes rerum suarum atque urbis,*
7 *Poenum inde pro Romano acciperent.* Haec ubi nuntiata
sunt Marcello, collaudatis senatoribus Nolanis, priusquam
aliquis motus iniuriave oreretur, fortunam pugnae experiri

---

provocantes) *Provocare* nonnunquam in re militari absolute Livius ponit, ita quidem, ut omittat mentionem et eorum, quos provocat aliquis, et rei, ad quam provocat. Cf. infra c. 47, 1; II, 45 in.; III, 60 in.; XXIV, 8 in.; XXVIII, 21 post in.; XXXVII, 26 extr.

universae pugnae) Ita *universa dimicatio* legitur XXII, 32, 2, ubi vide.

5 *quotidiana*) Plerique libri inepta hic praebent. Optimus codicum habet *coditia* et a manu sec. *comitia*, quae lectio, addita fere particula *iam*, etiam in aliis plerisque invenitur. Septem, sed minoris illi auctoritatis, suppeditant: *continua iam*, quod a plerisque recentioris aetatis editoribus receptum est. Laudat Drakenb. X, 21 med. *perpetua statio* et XXXVII, 15 in. *assidua statio.* Sed continuam stationem num hic Livius dicturus fuerit eam, a qua singulis diebus sub vesperem discedere solebant, dubium videtur. Verisimillima est Gronovii coniectura, qui ex codicis optimi lectione exigua mutatione fecit *cotidiana* sive *quotidiana.* Itaque quum quotidie eius stationis causa egrederentur Romani, deliberare cum Hannibale Nolani, quid, si rursus illi exirent urbe, faciendum esset, poterant.

6 *egressa p. iret*) Gronovius contra codd., ut videtur, pro *iret* dedit *foret.* Et sane displicet *iret.* Nulla enim causa apparet, cur eo potissimum tempore haec facienda censuerint, quo portis egressi in itinere essent Romani ac non potius, quum in acie starent adversus Hannibalem. Nam quod Heusingerus et Doeringius ablat. *portis* pendere voluerunt ex *iret*, non ex *egressa*, ut *ire portis* sit *discedere a portis*, parum probabilitatis habet. Itaque nescio an hic quoque verum viderit Gronovius.

potentes rerum s.) De hac locutione dictum ad XXII, 42, 12. V. et infra XXIV, 4, 9.

7 *iniuriave oreretur*) Vulgo: *intus oriretur.* Sed *intus* quattuor tantum, iique deteriorum ex numero libri mss. habent, plerique alii *in muris* vel *in viris.* Quae lectiones unde natae sint, ostendunt optimi codd., quorum praestantissimus habet *iniurise*, alii *iniuris.* Nihil igitur verisimilius quam quod

statuit. Ad tris portas in hostes versas tripartito exercitum 8
instruxit; impedimenta subsequi iussit, calones lixasque et invalidos milites vallum ferre. Media porta robora legionum et Romanos equites, duabus circa portis novos milites levemque armaturam ac sociorum equites statuit. Nolani mu- 9
ros portasque adire vetiti, subsidiaque destinata impedimentis data, ne, occupatis proelio legionibus, in ea impetus fieret. Ita instructi intra portas stabant. Hannibali, sub 10
signis, id quod per aliquot dies fecerat, ad multum diei in acie stanti, primo miraculo esse, quod nec exercitus Romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam in muris esset. Ratus deinde prodita colloquia esse, metuque resi- 11

Gronovius coniecit: *iniuriave.* Cf. quae exempla ad illustrandam locutionem interpretes attulerunt: IV, 7 med. *ne qua iniuria in eos oriretur;* XXXII, 10 med. *Cui enim non apparere, ab eo, qui prior arma intulisset, iniuriam ortam*; Ter. Ad. II, 1, 35. *Tamen tibi a me nulla orta est iniuria.* Si alteram lectionem *intus* probes, certe, ut propius accedas ad optimorum librorum lectionem, scribendum: *intus exoreretur.* De vi vocis *intus* v. infra ad c. 18, 3; de forma *oreretur* supra ad c. 7, 8.

tris) Haec accusativi forma, quam, ut auctor est Drakenborchius, et hic plerique codd. habent et alibi quoque meliores tuentur, ut VIII, 24 post in.; XXV, 36 in.; XXIX, 33 med., recipienda visa est. V. Z. §. 68; Sch. p. 93 sq. 8

Media porta — duabus c. portis) Livium frequenter ablativum sine praepositione in declarando loco ponere, ostendimus ad XXI, 8, 2. De vi praepositionis *circa* v. ad XXI, 7, 5.

robora legionum) Cf. infra ad XXIV, 46, 2.

subsidiaque destinata) *Destinata* nonnullis interpretibus offensioni fuit. Nam Gronovius legendum coniecit: *subsidiaque et stationes impedimentis datae;* alii aut hoc verbum aut *data* delendum censuerunt. Denique Döringius, Heusingerus, alii *destinata* perperam interpretantur *certa*, *selecta.* Sed recte Strothius *subsidia destinata* intelligit copias in subsidia destinatas. Ita saepe a Livio substantiva et adiectiva participiis adiungi, ostendimus ad XXI, 55, 3. Marcellus igitur milites subsidiarios impedimentis addidit, ut his praesidio essent. 9

ad multum diei) Alia huius locutionis exempla v. ad XXII, 45, 1. 10

resides factos) i. e. Romanos, quod ex superioribus facile intelligitur. *Resides* autem Döderlinius (Synon. IV, p. 217) 11

des factos, partem militum in castra remittit, iussos propere apparatum omnem oppugnandae urbis in primam aciem afferre, satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum ali-
12 quem in urbe plebem moturam. Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa, succeditque ad muros acies, patefacta repente porta, Marcellus signa canere, clamoremque tolli, ac pedites primum, deinde equites, quanto
13 maximo possent impetu, in hostem erumpere iubet. Satis terroris tumultusque in aciem mediam intulerant, quum duabus circa portis P. Valerius Flaccus et C. Aurelius legati
14 in cornua hostium erupere. Addidere clamorem lixae calonesque et alia turba custodiae impedimentorum apposita, ut paucitatem maxime spernentibus Poenis ingentis repente ex-
15 ercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim affirmare, quod

---

docet eos, qui cessent, ita dici, si aut strenue antea egerint, aut dum alii agant, ipsi agendi munus sedendo praetermittant. V. VI, 23 ante med. *qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere;* XXV, 6 extr. *clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus, resides ipsi ac segnes, tanquam nec manus nec arma habeamus;* II, 32 ante med.

iussos) Refertur hoc ad *partem militum.* Cf. ad XXI, 27, 9.

12 *trepidat*) V. supra ad c. 7, 10.

signa canere) *Canere* in hac locutione saepissime intransitive ponitur. V. I, 1 med.; X, 40 extr.; XXIV, 15 in.; ibid. 46, 2; XXVII, 46 med.; XXVIII, 27 extr.

quanto max. possent imp.) Hoc dicendi genus frequentissimum esse apud Livium, ostendimus ad XXI, 41, 4.

14 *custodiae imp. apposita*) Perperam hunc locum ceperunt interpretes, tanquam turba ea ad custodiam sive ad custodiendum apposita impedimentis fuisset. Hoc ut a loquendi consuetudine abhorret, qua dativus verbo apponendi iunctus significat rem, prope quam aliquid ponitur sive cum qua coniungitur aliquid, ita discrepat ab iis, quae a Livio §. 8 et 9 dicta sunt. Intellige igitur turbam custodibus impedimentorum, quo maior horum videretur numerus, additam. Nam etiam in numero singulari *custodia* dicuntur homines custodiam agentes. V. XLV, 28 extr. *Quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta curis custodia processisset.*

ut — fecerint) i. e. ita ut. V. ad XXII, 43, 4; infra ad c. 26, 2.

15 *quod — auctores sunt*) *Auctorem esse* quum idem

quidam auctores sunt, duo milia et octingentos hostium caesos, non plus quingentos Romanum amisisse. Sive tanta sive minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio, an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.

XVII. Hannibal, spe potiundae Nolae adempta, quum 1
Acerras recessisset, Marcellus extemplo, clausis portis custodibusque dispositis, ne quis egrederetur, quaestionem in foro de iis, qui clam in colloquiis hostium fuerant, habuit:
supra septuaginta damnatos proditionis securi percussit, 2
bonaque eorum iussit publica populi Romani esse, et, summa 3

---

fere declaret quod prodere vel tradere, et ipsum hic accusativum adiunctum habet. Eodem modo Livius dixit XXX, 26 med. *quod quidam auctores sunt.* Neque tamen credibile est, Livium accusativum alium huic locutioni additurum fuisse nisi pronominis in genere neutro positi. Cf. supra ad c. 10, 6.

duo milia et octingentos) Plutarchus hic videtur legisse: *quinque milia.* Ait enim in Marcello p. 304 in. (c. 11 extr.): *Λέγονται γὰρ ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ Ῥωμαίων οὐ πλείονας ἢ πεντακοσίους. Ὁ δὲ Λίβιος οὕτω μὲν οὐ διαβεβαιοῦται γενέσθαι μεγάλην ἧτταν οὐδὲ πεσεῖν νεκροὺς τοσούτους τῶν πολεμίων, κλέος δὲ μέγα Μαρκέλλῳ καὶ Ῥωμαίοις ἐκ κακῶν θάρσος ἀπὸ τῆς μάχης ἐκείνης ὑπάρξαι θαυμαστὸν, ὡς οὐχὶ πρὸς ἄμαχον οὐδ᾽ ἀήττητον, ἀλλά τι καὶ παθεῖν δυνάμενον διαγωνιζομένοις πολέμιον.*

Romanum) Hoc ex optimis libris mss., qui habent *Romanorum,* Gronovius restituit. Antea legebatur: *non plus uno Romanos amisisse.* V. de structura ad c. 15, 15.

ac nescio an m.) V. Z. §. 354 et §. 721; Sch. p. 576 sq.; Weiss. §. 428 et n. 1; ad XXI, 43, 3.

Non vinci enim etc.) i. e. illis, qui tunc vincebant, difficilius fuisse, non vinci ab Hannibale, quam postea fuit victoriam reportare. Drakenb. Tres codd. minoris fidei ante *vincentibus* habent *tunc,* quod a Strothio aliisque editoribus receptum est. Sed quum nemo non ex omni scriptura videat, vincentes dici eos, qui tunc victores essent, sequenda potius plurimorum optimorumque librorum, a quibus id additamentum abest, auctoritas.

XVII.

spe — ademta) i. e. ei. De tali ablativo absoluto, ubi 1
actio non oritur a subiecto enuntiationis primariae v. ad XXI, 5, 4.

publica p. R. esse) Verba *populi Romani* non super- 2
sunt nisi in duobus optimis codd. Ita autem Livius saepe dixit.

rerum senatui tradita, cum exercitu omni profectus, supra
4 Suessulam castris positis consedit. Poenus, Acerras pri-
mum ad voluntariam deditionem conatus pellicere, postquam
obstinatos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. Ce-
5 terum Acerranis plus animi quam virium erat. Itaque, de-
sperata tutela urbis, ut circumvallari moenia viderunt, prius-
quam continuarentur hostium opera, per intermissa muni-
menta neglectasque custodias silentio noctis dilapsi, per
6 vias inviaque, qua quemque aut consilium aut error tulit,
in urbes Campaniae, quas satis certum erat non mutasse
fidem, perfugerunt.

7 Hannibal, Acerris direptis atque incensis, quum a Ca-
silino dictatorem Romanum legionesque novas acciri nun-
tiassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuae

V. III, 71 extr. *agrum — iure belli publicum populi Romani factum;* XXVI, 16 post med. *ager omnis et tecta publica populi Romani facta;* ibid. 47 in. *eos* (i. e. opifices) *publicos fore populi Romani edixit;* XXXI, 4 in.; XL, 38 in.; XLIV, 16 sub fin. Eodem referenda sunt I, 32 med. *publicus nuntius populi Romani;* VIII, 9 in. *pontifex publicus populi Romani.*

4 *obstinatos*) Ita orationem persequitur, ut si antea Acerranos posuisset, non Acerras. Frequentissima est haec synesis. V. ad XXI, 7, 2; ibid. ad 20, 1; infra XXIV, 12, 2; ibid. 35, 1.

animi — virium) Saepissime haec inter se opponuntur. V. ad XXII, 47, 4.

5 *continuarentur*) i. e. ita inter se coniungerentur, ut continua essent seu nullo loco intermitterentur.

per intermissa m.) Cf. XXXIV, 37 extr. *ut quidam milites Romani — per intermissa, ut tunc erant, moenia urbem intrarint;* Caes. b. g. VII, 71 *qua erat nostrum opus intermissum — equitatum dimittit;* ibid. VII, 70 *quam* (planitiem) *intermissam collibus — demonstravimus;* ibid. 23.

silentio noctis) De hac locutione conferre poteris ad XXII, 60, 22.

7 *a Casilino — acciri*) i. e. a Casilinatibus, ut supra VIII, 11, 3 *Latinis quoque a Lavinio auxilium ferri coeptum.* Drakenb. Cf. ad XXI, 9, 3. *Novas*, quod prius Valla ex coniectura dederat, in uno tantum inventum est codice, ceteri pro eo inepta suppeditant, ut *minus*, *nimis* vel similia. Unus ex optimis vocem omnino non habet. *Nuntiassent* eodem modo infinite positum est atque ea, quae allata sunt ad XXI, 38, 6. V. Z. §. 381; Sch. p. 550; Weiss. §. 153. n. 2. 2.

ne quis — Capuae quoque oreretur tumultus)

quoque oreretur tumultus) exercitum ad Casilinum ducit.
Casilinum eo tempore Praenestini habebant cum paucis Ro- 8
manis Latinique nominis, quos eodem audita Cannensis cla-
des contulerat. Hi, non confecto Praeneste ad diem de- 9

Libri typis expressi fere habent, quod prorsus absonum esse apparet: *ne quis tam propinquis hostium castris Capuam quoque recurrat.* Idem in plerisque codicibus legitur; nisi quod multi habent *Capuae* et *recurrant* vel *recurrerant*, unus exiguae fidei *quid* pro *quis*. Optimus praebet: *Capuae quoque orere currunt*, ita ut a manu sec. deletum sit *ore*. Itaque Gronovius primo coniecit: *ne quis t. pr. h. c. Capuae quoque oreretur motus*, deinde: *ne quid t. p. h. c. Capuae quoque moveretur*, quae posterior coniectura a Bekkero recepta est. Sed utraque coniectura Gronovii longius abesse videtur a codicum scriptura. Idem in Böttcheri coniecturam videtur cadere, quam nuper proposuit: *ne quis tumultus, propinquis hostium castris, Capuae quoque oreretur, raptim exercitum* etc. Equidem potius scribendum existimo, quod proxime abest ab optimi codicis verbis: *ne quis tam propinquis hostium castris Capuae quoque oreretur tumultus, exercitum* etc. Nam vestigia syllabarum *tumult* superesse verisimile est in *runt*, *us* autem ante *ex* excidisse. Itaque haec ut maxime probabilia recipienda duximus. Ad sententiam cf. XXIX, 28 in. *Carthaginis prope ut captae tumultus fuit.*

Praenestini) Omnes editores hic posuerunt: *quingenti Praenestini*, quanquam numerus in nullo codice legitur. Verum quidem est, praetermissam saepe a librariis esse numeri quingenarii notam (IↃ), sed hic cur inseratur contra codices numerus, causa non patet. Immo ne verisimile quidem est, eum hic additum esse a Livio, quum c. 19, 17 commemorandum eum duxerit, ubi contra de Perusinorum numero tacet, quippe quem h. l. (§. 11) dixerit. Neque magis verisimile est, scriptorem in Praenestinis numerum traditurum fuisse non plenum quingentorum septuaginta (v. c. 19, 17), quum tamen Perusinos (§. 11) accurate dicat quadringentos sexaginta fuisse. Itaque nihil aliud hic dixisse Livium crediderim nisi cuiates tum Casilinum tenuissent i. e. homines Praenestinos paucosque Romanos et Latini nominis. 8

audita C. cl.) Participium nominis substantivi vices explet, de quo dicendi genere cf. ad XXI, 52, 1; supra c. 1 extr.; infra c. 39, 4.

contulerat) Doniatius coniecit: *compulerat* (cf. §. 11). Et sic Livius fere loquitur. Sed recte Drakenborchius: „Potest et vulgatum servari, si *contulerat* accipiamus pro effecerat, ut se conferrent.“ Cf. ad XXI, 2, 3; supra §. 6; VI, 42 med. *quod passim eos simul pavor terrorque distulerant.*

ad diem) Cf. infra c. 21, 2; XXVIII, 25 med. *stipen-* 9

lectu, serius profecti domo, quum Casilinum ante famam adversae pugnae venissent, et aliis aggregarent sese Romanis sociisque, profecti a Casilino quum satis magno agmine irent, avertit eos retro Casilinum nuntius Cannensis pugnae. Ibi quum dies aliquot, suspecti Campanis timentes-

---

dium non datum ad diem; XXXVI, 4 extr. *de pecunia item responsum, nullam ante diem recepturos.* Z. §. 296; Sch. p. 598.

ante famam adv. p.) Aptiorem hanc verborum collocationem habet unus ex optimis codd.; de optimo nihil constat, ceteri: *ante adversae pugnae famam.*

et — aggregarent sese) Hunc locum libri typis descripti ita exhibent: *quum Casilinum ante adversae pugnae famam venissent et aliis aggregarent sese Romanis sociisque, profecti a Casilino cum satis magno agmine irent, avertit* etc. In his primum magnopere offendunt verba: *quum — venissent et — aggregarent sese — profecti — irent* propter tertium enuntiatum duriore modo ἀσυνδέτως positum, deinde *aggregarent*, quum scribendum videatur fuisse *aggregassent*, denique nullo modo ferri possunt verba *cum s. magno agmine.* Neque enim Livius addere potuit praepositionem *cum.* V. ad XXI, 30, 8 et XXII, 30, 1. Itaque ut haec orationis menda, quae Livii non possunt esse, tollantur, pro *et* scribendum videtur *ut*, quae duo vocabula frequentissime confudit librariorum incuria, deinde *quum s. m. agmine* pro *cum s. m. a.* Ita et tollitur soloecismus verborum *et a. aggregarent* et bene declaratur, quo consilio Casilinum venerint Praenestini, i. e. ut ibi coniungerentur aliis militibus, cum quibus ad exercitum Romanum una tenderent. Verba *profecti — irent* ad apodosin referenda, quasi scripsisset Livius: *avertit eos, quum profecti a C. s. m. a. irent* etc. Nihil autem insoliti habet *quum* bis in eadem enuntiatione positum, inprimis ubi altero loco apodosi inseritur. V. supra c. 2 §. 3 et 4; 10, 11; infra c. 19, 7 et 8; 22, 4; II, 12 sub fin. *Quam quum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo rex, quum ab sede sua prosiluisset — inquit;* VI, 34 med. *incidit, ut — sorores Fabiae quum inter se, ut fit, sermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum is de foro se domum reciperet, forem virga percuteret;* VII, 2 med. *Livius — dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse* etc.; VIII, 18 med.; 38 extr. et saepe alibi. Ceterum pro *aggregarent* duo omnium optimi codd. habent *aggregantur*, tres *aggregarentur*. Hinc Crevierius scribendum coniecit: *et aliis aggregantibus sese Romanis*, quae emendatio valde probabilis videtur, si etiam in illis codd. additum est *sese*, de quo editores tacent, si deest, nescio an verisimilior sit ea, quam ipsi proposuimus, mutatio.

timentesque) V. supra ad c. 4, 8.

que, cavendis ac struendis in vicem insidiis traduxissent,
iamque de Capuae defectione agi, accipique Hannibalem
satis pro certo haberent, interfectis nocte oppidanis, par-
tem urbis, quae cis Vulturnum est (eo enim dividitur amni),
occupavere. Idque praesidium Casilini habebant Romani. 11
Additur et Perusina cohors, homines quadringenti sexaginta,
eodem nuntio, quo Praenestini paucos ante dies, Casilinum
compulsi. Et satis ferme armatorum ad tam exigua moe- 12
nia, et flumine altera parte cincta, tuenda erat; penuria
frumenti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat.

---

cavendis ac str. inv. insidiis) i. e. ita ut caverent insidias a Campanis structas et invicem insidias struerent. De ablativo gerundivi v. supra ad c. 15, 3. Possunt tamen haec verba etiam ad utrosque referri, et milites illos et Campanos, siquidem *cavendis etc. — insidiis* pro ablativis absolutis habeas, ut sententia sit: dum caventur ac struuntur invicem insidiae. Neque enim haec structura a Latine loquentium consuetudine abhorret. Cf. Z. §. 643; Sch. p. 561; Liv. VIII, 36 med. *ut medendis corporibus animi multo prius militum imperatori reconciliarentur;* Cic. Att. IV, 1, 2 *quum — plausum, meo nomine recitando, dedisset;* Tusc. III, 34, 82 *ut medici, toto corpore curando, minimae etiam parti — medentur.* Videtur autem altera ratio ut simplicior praeferenda esse.

iamque — haberent) Pro *iamque* quum in plerisque et optimis codicibus sit *ita*, iidemque praebeant *habere*, Crevierius legendum censuit: *ut de Capuae defectione agi — habuere.* Probabilius legas, quod ab utraque codicum lectione propius abest, aut *atque — haberent* (nam *atque* et *ita* vel *itaque* saepe a librariis confusa sunt, et hic *que* ante *de* facillime potuit excidere); aut, quam coniecturam Otto, factum esse *ita* ratus ex *et iā* nuper proposuit: *et iam de Capuae defectione agi — haberent. Habere* in codd. qui ortum sit pro *haberent,* facile patet, quam sequatur *int.*

interfectis n. oppidanis) Caesos non omnes esse, ex c. 19, 2, apparet. Itaque Livius hic rem minus accurate prodidit non commemorans, parte aliqua oppidanorum eos abstinuisse, haud dubie ea, a quibus nihil timeretur. Heusingerus excidisse putat post *haberent: quos suspectos habuere*, quod parum credibile est.

cis Vulturnum) i. e. si Romam spectes.

dividitur) Cf. ad XXII, 15, 4. Ibi Livius dixit: *urbs Vulturno flumine dirempta;* sed recte hic videtur praetulisse verbum *dividendi.* Neque enim magis respicit eorum, quae iuncta esse solent, discidium quam partitionem, atque hoc di-

1 XVIII. Hannibal quum iam inde haud procul esset, Gaetulos cum praefecto, nomine Isalca, praemittit, ac primo, si fiat colloquii copia, verbis benignis ad portas aperiendas praesidiumque accipiendum pellicere iubet, si in pertinacia perstent, rem gerere ac tentare, si qua parte invadere ur-
2 bem possit. Ubi ad moenia accessere, quia silentium erat,

---

cit: Vulturnus flumen duas partes efficit huius urbis, quarum alteram Praenestini occupavere. Cf. infra ad XXIV, 6, 7.

12 *moenia*) i. e. locum munitum. De ablativo *altera parte* v. ad XXI, 8, 2; infra ad c. 46, 2.

nimium etiam) Perperam Döringius: „iunge: *etiam* (immo) *penuria frumenti efficiebat, ut nimium hominum videretur.*“ *Etiam* coniungendum cum *nimium*, in quo oppositio est vocis *satis*, ut sententia sit: penuria frumenti effecit, ut non modo satis, sed etiam nimium hominum videretur.

XVIII.

1 *iubet*) Bene hoc verbum non, ut saepe alias, ubi inter aliquot sententiae primariae partes cetera, quae ad eam illustrandam valent, interponuntur, in exitu verborum orbis Liv. collocavit, sed mediis inseruit orationis membris, quae ex eo pendent. Ita providit, ut ea pars imperii, quae gravior esset, magis emineret. V. ad c. 4, 8.

si in p. p.) *Sin in*, quod ingrati soni est, duo tantum viliores codd. habent; ceteri *si in* vel, quod indidem ortum videtur, *sin*. Neque Livius semper, ubi enuntiatio hypothetica opponitur praecedenti enuntiationi hypotheticae, *sin* ponit, sed interdum etiam *si*. Prorsus eodem modo, sequente praepositione *in*, altero loco *si* posuit III, 67 post in. *Si culpa in nobis est, auferte imperium indignis —; si in vobis, nemo Deorum nec hominum sit, qui vestra puniat peccata.* V. de ea re infra ad XXIV, 28, 4.

2 *moliri portas*) *Moliri* saepe ii dicuntur, qui rem magnae molis vel multum impedimenti obiicientem nituntur loco movere. Cf. IX, 3 in. *Num montes moliri sede sua paramus?* XXV, 36 med. *neque transilire neque moliri onera obiecta — facile erat;* XXVIII, 7 post in. *molientibus ab terra navibus Philippus supervenit;* ibid. 17 extr.; 36 extr.; XXXIII, 5 post med. Hinc frequens locutio est *moliri portas*. Cf. infra XXIV, 46, 5; XXV, 36 extr. *exustis foribus, quas nulla moliri potuerunt vi;* XXVII, 28 med. *Vigiles — tumultuari, trepidare, moliri portam;* VI, 33 extr. *molientes obices portarum.* Additur autem per *et* quod angustius patet, sed maxime valet ad rem declarandam. V. ad XXI, 17, 4. Ceterum verbis: *moliri portas et claustra refringere* quinque versus hexametri pedes continentur. V. de ea re ad XXII, 50, 10.

solitudo visa; metuque concessum barbarus ratus, moliri
portas et claustra refringere parat, quum, patefactis re- 3
pente portis, cohortes duae, ad id ipsum instructae intus,
ingenti cum tumultu erumpunt stragemque hostium faciunt.
Ita primis repulsis, Maharbal, cum maiore robore virorum 4
missus, nec ipse eruptionem cohortium sustinuit. Postremo 5
Hannibal, castris ante ipsa moenia oppositis, parvam urbem
parvumque praesidium summa vi atque omnibus copiis op-
pugnare parat. Ac dum instat lacessitque, corona undique
circumdatis moenibus, aliquot milites et promptissimum quem-
que, e muro turribusque ictos, amisit. Semel ultro erum- 6
pentes agmine elephantorum opposito prope interclusit tre-
pidosque compulit in urbem, satis multis, ut ex tanta pauci-
tate, interfectis. Plures cecidissent, ni nox proelio inter-
venisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum ac- 7
cenduntur; utique postquam corona aurea muralis proposita

---

intus) Cf. XXXI, 46 extr. *praesidium, quod intus* (i. e. 3
Orei) *erat;* XXXII, 23 in. *sperantes seditionem intus* (i. e.
Corinthi) *fore;* XLIII, 18 extr. *ne frumenti quidem aut ullius
alterius rei copia intus* (i. e. Uscanae) *erat;* XXXVIII, 6 extr.
Ambracienses quique intus erant Aetoli.

virorum) Unus cod.: *virium.* Sed cf. ad XXII, 52, 5. 4

nec ipse) i. e. ne ipse quidem. V. de hac vi particulae
nec ad XXI, 36, 7; XXXIV, 32 med. *Non quidem nec ipsa
mediocria* (crimina).

ante ipsa moenia) i. e. proxime moenia (*unmittelbar* 5
vor, dicht vor), ut XXII, 22, 10 *Castra extra urbem in ipso
litore habebat Bostar.*

oppositis) Hoc verbum saepe absolute ponitur. V. ad
XXI, 47, 4; infra XXIV, 39, 1.

corona) *Corona moenia circumdare* duces dicuntur, qui,
ut omnibus locis impetum facere possint, continua militum serie
moenia cingunt. Cf. infra c. 44, 3.

et promptissimum) i. e. et quidem promptissimum
quemque. V. ad XXII, 1, 19.

ut ex t. paucitate) *Ut* saepe infert quae alicuius sen- 6
tentiae vel verbi vim elevant. Cf. de ea re ad XXI, 34, 1;
Weiss. §. 432. n. 1.

ad oppugnandum) *Oppugnare* aliis quoque locis Li- 7
vius absolute posuit, v. c. X, 43 in. *partem copiarum revo-
care instructam intentamque ad oppugnandum;* XXXVI, 25
med. *Macedones cuniculis oppugnabant;* XL, 27 in. *qui iam
segnius socordiusque oppugnabant;* XLII, 8 extr.

est, atque ipse dux castelli, plano loco positi, segnem oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat, Cannarum Trasimenique et Trebiae singulos admonens universos-
8 que. Inde vineae quoque coeptae agi cuniculique. Nec ad
9 varios conatus hostium aut vis ulla aut ars deerat: socii Romanorum propugnacula adversus vineas statuere, transversis cuniculis hostium cuniculos excipere, et palam et clam coeptis obviam ire, donec pudor etiam Hannibalem ab incepto avertit, castrisque communitis ac praesidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hiberna Capuam concessit.

10 Ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala saepe ac diu duratum, bonis

---

corona a. muralis) Gell. V, 6 med. *Muralis est corona, qua donatur ab imperatore, qui primus murum subiit inque oppidum hostium per vim escendit.* De verbo *proponendi* v. ad XXI, 45, 7; de *utique* ibid. ad c. 54, 9.

8 *vineae*) De his diximus ad XXI, 61, 10.

Nec ad v. c.) Quid *nec* declaret, v. supra c. 3, 3. *Ad conatus* quum proprie valeat: respectu habito conatuum, hic explicari posse per *adversus*, facile intelligitur.

9 *socii Rom.*) Suppleri cogitatione potest: *et quidem.* Sed dissolute poni, quae ad accuratius exponenda ea, quae praemissa sunt, dicuntur, satis constat. Gronovius locum ita mutavit, ut daret: *Nec ad v. c. h. aut vis ulla aut ars deerat sociis Romanorum. Propugnacula* etc., quod a Bekkero receptum est. Sed quum codd. omnes in vulgatam consentiant, nec necessaria sit Gronovii coniectura, nihil videtur mutandum esse.

pudor etiam) *Etiam*, quam vocem Heusingerus omisit, coniunxit Klaiberus cum *Hannibalem*, ita refertur ad pudorem, ut sententia sit: Non solum ea, quam expertus erat, resistentium acriter vis, sed etiam pudor frustra in oppugnatione ea tempus terendi Hannibalem avertit. De loco particulae *etiam* cf. ad XXI, 1, 5.

castrisque comm. — concessit) Nulla in oratione inest scabrities, quam hic deprehendisse sibi visus est Drakenborchius. Nam cf. supra ad c. 8, 4. De verbis *in hiberna Capuam* v. ad cap. 19, 8.

10 *bonis inexp. atque insuetum*) *Bonis* qui sit casus dubitari potest. Ablativum videtur huic verbo iunxisse Tacitus Hist. I, 8 *pacis artibus, bellis inexpertus;* ibid. II, 75 *suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices.* Ita et *expertus* saepius cum ablativo coniungitur, v. c. Liv. II, 42 extr.

inexpertum atque insuetum. Itaque, quos nulla mali vicerat 11
vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicae; et eo impensius, quo avidius ex insolentia in eas se merserant.
Somnus enim et vinum et epulae et scorta balineaque et 12
otium, consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde praeteritae victoriae eos
quam praesentes tutarentur vires, maiusque id peccatum 13
ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romanam duxisset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit,
hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque, hercule, 14
velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam
pristinae disciplinae tenuit. Nam et redierunt plerique scor- 15

---

expertos tribuniciis certaminibus. Hoc tamen loco *bonis* potius dativus videtur esse; nam hic casus et propius accedit ad structuram eam, quae opponitur: *adversus humana mala* et idem convenit *insueto*, quod non ablativum, sed dativum habet adiunctum. Accedit quod VI, 18 post in. Livius dixit: *in animo ad contumeliam inexperto*, cui structurae et ipsi videtur dativus propior esse, quemadmodum et *insuetus* utramque admittit. Nam et huic voci, praeterquam quod dativum et genitivum (v. c. VI, 34 med.) non raro habet, *ad* praepositio iuncta est: XXXI, 35 extr. *insuetus ad stabilem pugnam;* XLI, 20 extr. *cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum.*

ex insolentia) V. Z. §. 309; Weiss. §. 256; ad XXI, 11
39, 2.

urbem Romanam) Ita saepe Livium dicere, ostendi- 13
mus ad XXI, 35, 9. De verbo *ducendi* absolute posito cf. ibid. ad c. 22, 5.

velut si) Harum particularum iunctarum plura exempla 14
v. ad XXI, 8, 6. Saepe omittitur *si*, v. c. II, 36; ibid. 41 sub fin.; 50 in.; XXXIX, 11 extr.; XL, 12 in.

a Capua exiret) De hac structura v. ad XXI, 13, 7; XLI, 10 extr. *quo minus — paludatus ab urbe exiret;* XLIV, 43 extr. *nocte a Pella exierat.* Cf. infra ad XXIV, 40, 11.

usquam) i. e. ulla parte sive ulla in re. Cf. XLII, 6 post med. *se nullo usquam cessaturum officio;* ibid. 34 extr. *quum adolescentes nihil adversus magistratuum senatusque auctoritatem usquam feceritis.*

tenuit) Cf. II, 1 med. *Omnia iura, omnia insignia* (i. e. regum) *primi consules tenuere;* IV, 10 extr. *concordiae pacisque domesticam curam — ita tenuit;* XXXVII, 35 post med. *parari singula acquirendo facilius potuisse, quam universa teneri posse.*

tis impliciti, et, ubi primum sub pellibus haberi coepti sunt,
viaque et alius militaris labor excepit, tironum modo cor-
16 poribus animisque deficiebant; et deinde per omne aestivo-
rum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabe-
bantur, neque aliae latebrae quam Capua desertoribus erant.
1 XIX. Ceterum, mitescente iam hieme, educto ex hi-
2 bernis milite, Casilinum redit. Ubi, quanquam ab oppugna-
tione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos
3 praesidiumque ad ultimum inopiae adduxerat. Castris Ro-
manis Ti. Sempronius praeerat, dictatore auspiciorum re-
4 petendorum causa profecto Romam. Marcellum, et ipsum
cupientem ferre auxilium obsessis, et Vulturnus amnis in-

---

15 *sub pellibus*) *Sub pellibus esse* vel *sub pellibus haberi* saepe dicuntur milites, qui in tentoriis habentur, quippe quae fere ex corio sive pellibus facta essent. Cf. V, 2 med.; XXXVII, 39 in.; infra ad c. 48, 2.

excepit) i. e. eos. V. de hoc verbo ad XXI, 48, 8.

16 *per omne aestivorum t.*) i. e. per omnem insequentis aestatis expeditionem. Nam *aestiva* (castra), quia aestas fere expeditionum tempus est, saepe pro expeditione (*Feldzug*) dicuntur. V. XXXVII, 5 med. *ne tamen segnia aestiva essent;* Caes. b. g. VIII, 46 *Caesar quum iudicaret — superioribus aestivis Galliam devictam et subactam esse.*

et — et — et) Quum simplicior sit, ut in enumeratione, periodi conformatio, oppositione membrorum per *et — et* et chiasmo *redierunt — impliciti et — deficiebant* et interiecta enuntiatione secundaria: *ubi — excepit* cavit scriptor, ne languida fieret et enervis oratio.

XIX.

2 *ab opp. cessatum erat*) Frequens est haec *cessandi* structura. V. ad XXI, 11, 5.

ad ultimum inopiae) Plura huius structurae exempla v. ad XXI, 33, 7.

3 *Ti. Sempronius*) Erat enim magister equitum. V. XXII, 57, 9.

4 *et ipsum cupientem*) Neminem antea dixerat, qui obsessis auxilium ferre cuperet. Sed facile per se intelligitur, eiusdem rei Ti. Sempronium cupidum fuisse. Atque hunc in modum *et ipse* saepe poni, ut ea verba ad rem referantur cogitatione supplendam, verbis non expressam, ostendimus ad XXI, 23, 6. De pronominis casu obliquo ad participium adiuncto cf. ad XXI, 46, 3 et XXII, 60, 9.

Acerranorum) Quum Acerrae, ut cap. 17 §. 7 Livius

flatus aquis et preces Nolanorum atque Acerranorum tenebant, Campanos timentium, si praesidium Romanum abscessisset. Gracchus, assidens tantum Casilino, quia praedictum 5
erat dictatoris, ne quid absente eo rei gereret, nihil movebat, quanquam, quae facile omnem patientiam vincerent, nuntiabantur a Casilino. Nam et, praecipitasse se quosdam 6

---

tradidit, captae ab Hannibale direptaeque et incensae essent, Gronovius legendum censuit: *Avellanorum*, nisus loco Justini XX, 1 *Iam Falisci, Nolani, Avellani nonne Chalcidensium coloni sunt?* Codices tamen omnes pro vulgata sunt. Dukerus eos Acerranos intelligit, qui Nolam fugerunt. Cf. c. 17, 6. Sed nec nominari hos diserte attinebat, et mirum est, quod, si eos Livius diceret, nihil, quod certius rem declararet, addidit, inprimis quum Nolam potissimum perfugisse Acerranos c. 17. non docuerit. Itaque valde verisimilis Gronovii coniectura videtur.

tenebant) In hoc saepe vim retinendi esse, apparet ex iis, quae ad XXII, 19, 10 attulimus.

si — abscessisset) V. supra ad c. 8, 11.

praedictum) i. e. mandatum. V. de hac verbi vi ad 5
XXI, 10, 3.

nihil movebat) nullum motum faciebat. Ita frequenter *aliquid*, *quicquam*, *nihil* adiungi verbo *movendi*, ostendimus ad XXI, 52, 4.

vincerent) Cf. Z. §. 558 n.; Weiss. §. 390.

praecipitasse se) Dukerus, quem plerique interpretes 6
secuti sunt, haec adnotavit: „In fluvium, credo, ut IV, 12, 11 de gravi fame: *capitibus obvolutis in Tiberim se praecipitavere.*“ Sed ita nemo Latinus absolute *se praecipitare* dixit. Immo quum per se non expleat sententiam ea locutio, repetendum quod deest ex omni scriptura et hic quidem ex iis, quae sequuntur, ita ut, quum sequatur *in muris* huc referas *de muris.* Cf. XLI, 11 med. *palam in muris, trucidatos praecipitabant.* Nec raro ita Latini loquuntur, ut ex posteriore orationis membro aliquid repetendum sit, quod prioris sententiam expleat. Cf. quae exempla attulimus ad XXI, 17, 4 et 52, 11; praeterea XXV, 8 sub fin. *consuetudinem nocte egrediundi* (i. e. ex urbe) *redeundique in urbem frequentiorem facere;* XXIX, 26 post med. *quod ad — transferendum et finiendum in Africa bellum se transire vulgaverat* i. e. ad transferendum in Africam; vel quae paulum differunt: XXXV, 19 extr. *Odi odioque sum Romanis*; XXVI, 27 sub fin. *Nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano.* Nec obstat oppositio membrorum per *et — et.* V. Cic. Fam. I, 7, 2 *qui te et maxime debuerunt et plurimum iuvare potuerunt;* Liv. XLV, 3 sub fin. *Rhodios nec utilitatium Graeciae neque cura impensarum populi Romani — legationem eam misisse;*

non tolerantes famem, constabat, et stare inermes in muris, nuda corpora ad missilium telorum ictus praebentes.
7 Ea aegre patiens Gracchus, quum neque pugnam conserere dictatoris iniussu auderet (pugnandum autem esse, si palam frumentum importaret, videbat), neque clam importandi spes
8 esset, farre, ex agris circa undique convecto, quum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum Casilinum
9 misit, ut exciperent dolia, quae amnis deferret. Insequenti nocte, intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano factam, dolia medio missa amni defluxerunt. Aequa-
10 liter inter omnes frumentum divisum. Id postero quoque die ac tertio factum est. Nocte et mittebantur et perveniebant:
11 eo custodias hostium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior solito amnis transverso vortice dolia impulit ad ripam, quam hostes servabant. Ibi haerentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur; nuntiatumque Hannibali est, et

---

Sall. Cat. 36, 5 *neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat.* Ceterum patet, Livium hic rectius plenam sententiam in altero membro posuisse. Omitti enim non potuit murorum mentio in altero membro, quippe ubi, si ea deesset, supplendum quicquam esse, non appareret, potuit in priore propter non plenam vim locutionis *se praecipitare.*

ad m. t. ictus praebentes) Eadem structura, sed translato verbo, usus est IV, 35 extr. *desisse postremo praebere ad contumeliam os.*

7 *importaret*) i. e. si importare conaretur. Ita coniunctivum quoque imperfecti non raro referri ad conatum, ostendimus ad XXI, 6, 6. V. cap. 20, 2; 32, 7.

8 *ad magistratum Casilinum*) „Intellige *misit Casilinum ad magistratum*, non, ut quidam volunt, *ad magistratum Casilinum.*" Drakenb. V. de hoc dicendi genere ad XXI, 49, 3. Unus tantum isque exiguae auctoritatis cod.: *ad magistratus.* Sed videtur praesidii praefectus vel praetor intelligi. Cf. infra §. 17 et 18. Similiter infinite numerus singul. legitur XXVI, 15 med. *magistratum Sidicinum citari iussit imperavitque, ut produceret Campanos, quos in custodia haberet;* XLII, 1 post med. *literas Praeneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi deverteretur* etc.; ibid. 26 med.

10 *perveniebant*) i. e. ad locum destinatum veniebant. V. de hoc ad XXII, 18, 2.

11 *nuntiatumque H. est*) *Nuntiare* aliaque id genus

deinde intentiore custodia cautum, ne quid falleret Vulturno ad urbem missum. Nuces tamen fusae ab Romanis castris, 12
quum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur. Postremo ad id ventum inopiae est, ut lora de- 13
tractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur nec muribus aliove animali abstinerent et omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent. Et, quum hostes obarassent, quicquid herbidi 14
terreni extra murum erat, raporum semen iniecerunt, ut Hannibal, *Eone usque, dum ea nascantur, ad Casilinum*

---

verba saepe ita ponuntur, ut non addatur, quid *nuntietur* etc., sed ex ratione omnis sententiae intelligendum sit, quo spectent. Cf. II, 36 post med. *Satin' magnam spreti numinis haberet mercedem? Maiorem instare, ni eat propere ac nuntiet consulibus;* XXIV, 47 extr. *dixerunt, colloqui sese cum praetore velle. Cn. Fulvius castris praeerat; cui ubi nuntiatum est — in fidem omnes accepti;* XL, 57 in. *gens Bastarnarum, diu sollicitata — Istrum traiecit. Inde praegressis, qui nuntiarent regi, — nuntii occurrerunt, mortuum esse regem.*

falleret — missum) *Fallere* saepe, ut apud Graecos *λανθάνειν*, adiunctum habet participium. Cf. ad XXI, 48, 5.

ab Romanis castris) Cf. IV, 22 extr. *perfosso a castris monte;* infra ad XXIV, 13, 3. 12

ubi mollissent) Coniunctivus in re repetita ponitur. V. 13
ad XXI, 4, 4; Weiss. §. 449, n. 3.

Et — iniecerunt) i. e. Etiam ad id confugerunt, ut, 14
quum h. — obarassent — iniicerent. Vides igitur, quam vim habeat *et*. Cf. ad XXII, 22, 20.

obarassent) „Locum obararunt, ut, herbis ac radicibus peremtis, hoc quoque obsessis adversus famem auxilium adimerent.“ Duker. *Obarare* est *ἅπαξ εἰρημένον*. Cf. infra ad XXIV, 16, 3.

herbidi terreni) „Terra, in qua herba crescit.“ Drakenb. *Terrenum* substantive positum. Ita alii quoque scriptores. V. Colum. II, 2 in. *genera terreni tria esse dixerunt, campestre, collinum, montanum;* III, 12 in. *cui superpositum est modicum terrenum;* Plin. h. n. IX, 51 post med. *Sepia in terreno parit.* De vi vocis conf. Liv. XXXIII, 17 med. *campus terrenus omnis operique facilis;* XXXVIII, 20 post in. *animadvertit, meridiana regione terrenos et placide acclivos ad quendam finem colles esse, ad septentrionem arduas et rectas prope rupes;* et ibid. paulo post: *unum* (iter) *medio monte, qua terrena erant.*

Eone usque, dum etc.) *Eo usque* nonnunquam ad tempus refertur. V. Liv. III, 65 in. *ut qui plebem Romanam tri-*

15 *sessurus sum?* exclamaret. Et, qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus
16 de redemptione liberorum capitum. Septunces auri in singulos pretium convenit. Fide accepta, sese tradiderunt. Donec omne aurum persolutum est, in vinculis habiti; tum
17 remissi Cumas cum fide. Id verius est, quam ab equite in abeuntes immisso interfectos. Praenestini maxima pars fuere. Ex quingentis septuaginta, qui in praesidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit: ceteri incolumes Praeneste cum praetore suo M. Anicio (scriba is antea fuerat)

---

bunos plebi rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebi faceret; XL, 8 extr. *Eo usque me vivere vultis, donec, alterius vestrum superstes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam?* Similiter dicitur *usque dum* omissa voce *eo*. V. XXXIII, 18 sub fin. *usque dum ordine et velut stipata phalanx constabat, moveri nequierunt.*

sessurus sum?) Adiuvat hoc verbum indignitatem rei. V. ad XXI, 48, 9.

15 *Et*) Hand Tursell. II, p. 491: „Historiarum auctores nectunt orationis partes hac particula etiam eo consilio, ut vel nexum ipsarum rerum gestarum indicent, vel proxime et statim eventa demonstrent, vel orationi adiiciant aculeum."

16 *Septunces auri*) Singulos septunces auri sive septenas uncias auri eiusdem pretii esse atque 182 florenos ad normam conventionis, quam vocant, cusos, Heusingerus docet.

17 *minus dimidium*) Duo codices deteriorum ex numero ante *minus* addunt *haud.* Sed *minus* saepe ita scriptores ponunt, ut aliquem numerum non plene effectum vel expletum esse significent, ubi Germani dicimus: *nicht ganz, nicht völlig.* Cf. infra c. 46, 5; X, 37 in. *capta amplius duo milia hominum, minus duo milia circa muros caesa;* ibid. 46 post med. *Caesa ibi hostium duo milia quadringenti; minus duo milia capti.*

cum praetore s. M. Anicio) Ita frequenter per *cum* ducis adiungi nomen, ubi significetur, quo duce aliquid factum a militibus sit, ostendimus ad XXI, 47, 6. Ibidem c. 3, 4 adnotavimus, antiquitus omnem magistratum, cui pareret exercitus, praetorem dictum. Sed interdum etiam, qui alicui exercitus parti, ac praecipue qui cohortibus socialibus praefuerunt, communi hoc nomine dicuntur. Cf. Liv. VIII, 11 in.; IX, 16 extr.; Caes. b. c. I, 12. Pro *M. Anicio* libri omnes habent *Manicio* et postea (§. 18) *Manicium.* Sed utroque loco nomen mutandum esse docuit Heusingerus. Neque enim defuturum fuisse in titulo inscripto, qui statim commemoraretur, praenomen, et alibi quoque Aniciorum, qui Praenestini fuissent, mentionem fieri.

redierunt. Statua eius indicio fuit, Praeneste in foro sta- 18
tuta, loricata, amicta toga, velato capite; et tria signa cum titulo lamnae aeneae inscripto, *M. Anicium pro militibus, qui Casilini in praesidio fuerint, votum vovisse.* Idem titulus tribus signis in aede Fortunae positis fuit subiectus.

XX. Casilinum oppidum redditum Campanis est, fir- 1
matum septingentorum militum de exercitu Hannibalis praesidio, ne, ubi Poenus inde abscessisset, Romani oppugnarent. Praenestinis militibus senatus Romanus duplex sti- 2
pendium et quinquennii militiae vacationem decrevit. Civitate quum donarentur ob virtutem, non mutaverunt. Peru- 3

---

signa) Intelliguntur deorum imagines. Hae enim saepe 18
praecipue signa dicuntur. Cf. v. c. XXVII, 16 med.; XXXIII, 27 in.

pro militibus) Heusingerus interpretatur: pro salute militum. Sed videtur potius *pro militibus* esse *militum nomine*, quae vis saepe est in ea praepositione. V. XXVII, 10 in. *Pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: et milites ex formula paratos esse* etc.; ibid. 17 post med. *Indibilis et Mandonius cum suis copiis occurrerunt. Indibilis pro utroque locutus.*

votum vovisse) i. e. ea signa. *Votum* videtur pro diligentia formularum additum. Nec raro Livius sustantiva eiusdem stirpis verbis adiungit vel ex formularum consuetudine vel ut vim verbi accurate ostendat vel expleat. Cf. IX, 10 extr. *noxam nocere;* VIII, 39 extr. *hoc bellum — bellatum;* XL, 25 in. *pacem pacisci;* XL, 16 extr. et XLV, 15 med. *servitutem servire;* VI, 42 post in. et IX, 37 extr. *pugnam pugnare;* I, 41 post in.; XXIV, 22 extr. *facinus facere;* XXIV, 16, 9, XXV, 18 extr. et saepius *donis donare;* ibid. 16, 11 *nota notare;* XXIII, 11, 5 *coronatus laurea corona;* XXIX, 27 in. *bonis auctibus auxitis.*

in aede Fortunae) quae aedes celeberrima Praeneste erat.

XX.

quinquennii mil. vacationem) Uterque genitivus 2
pendet ex nomine vacationis; alter est subiectivus, quem vocant, alter obiectivus. Et *militiae vacatio* haberi pro una notione potest, unde pendet genitivus *quinquennii.* Cf. Weissenb. §. 216 n. 3.

Civitate) i. e. Romana. De coniunct. imperf. *donarentur* v. ad c. 19, 7.

sinorum casus obscurior fama est, quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus nec decreto Romanorum.

4 Eodem tempore Petelinos, qui uni ex Bruttiis manserant in amicitia Romana, non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Bruttii quoque ceteri ob separata
5 ab se consilia oppugnabant. Quibus quum obsistere malis nequirent Petelini, legatos Romam ad praesidium petendum miserunt. Quorum preces lacrimaeque (in questus enim flebiles, quum sibimet ipsi consulere iussi sunt, sese in vestibulo curiae profuderunt) ingentem misericordiam Patribus
6 ac populo moverunt. Consultique iterum a M'. Pomponio praetore Patres, circumspectis omnibus imperii viribus, fateri coacti, nihil iam longinquis sociis in se praesidii esse, redire domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibi-
7 met ipsos in reliquum praesenti fortuna iusserunt. Haec postquam renuntiata legatio Petelinis est, tantus repente

---

non mutaverunt) i. e. civitatem suam, sive cives Praenestini manserunt, quod non poterant, si plenam civitatem Romanam acciperent. Erat autem Praeneste aequo iure sive isopolitia, quam Graeci dicunt, cum Romanis coniuncta. Ad locutionem *civitatem mutare* cf. XLI, 8 extr.; ibid. 9 extr.

4 *uni ex Bruttiis*) Negat haec Valesius consentanea esse iis, quae cap. 30 exponantur; ibi enim Livium scribere, Consentiam post Petiliae oppugnationem intra paucos dies, quum minus pertinaciter defendisset se, in deditionem Hannibalis venisse, Rheginos vero et in fide erga Romanos et potestatis suae ad ultimum mansisse. Sed quas illo loco commemorat urbes, eae, si verum quaerimus, partim Graecorum coloniae erant, Consentiam autem Livius VIII, 24 Lucanis attribuit. Itaque nescio an id discrimen spectans unos ex Bruttiis Petelinos in amicitia Romana mansisse hic dicat.

ob separata a se consilia) Referenda haec ad comparationem rerum hominumque, de qua dictum est ad XXI, 11, 2.

6 *Consultique*) V. ad c. 13, 8.

iterum) i. e. de Petelinis, quos prius consulti sibimet ipsos consulere iussissent. Dukerus vocem *iterum* perperam ad eam consultationem refert, quae XXII, 55 commemorata est.

in reliquum pr. fort.) i. e. in futurum, dum praesens fortuna duraret. Gronov. Est igitur *praesenti fortuna* ablativus absolutus. Ad locutionem *in reliquum* cf. XXVI, 32 sub fin.; XXXVI, 10 extr.; XLI, 23 extr.

7 *renuntiata legatio*) V. supra ad c. 6, 3.

maeror pavorque senatum eorum cepit, ut pars profugiendi, qua quisque posset, ac deserendae urbis auctores essent, pars, quando deserti a veteribus sociis essent, adiungendi 8
se ceteris Bruttiis ac per eos dedendi Hannibali. Vicit ta- 9
men ea pars, quae nihil raptim nec temere agendum consulendumque de integro censuit. Re laxata, postero die 10
per minorem trepidationem tenuerunt optimates, ut, convectis omnibus ex agris, urbem ac muros firmarent.

---

qua — posset) Heusingerus et Klaiberus ita haec interpretantur, quasi Livius *qua* posuisset pro *quo*. Sed ut accurate haec scriptor discernit IX, 3 in. *Quo aut qua eamus?* ita nusquam alterum pro altero posuit. Et hic quidem non id respiciebatur, in quem locum possent fugere, sed qua via, quum regionem hostes obtinerent (v. §. 4).

pars — essent) V. ad XXI, 27, 9; infra c. 44, 6.

deserti a. v. s. essent) V. supra ad c. 2. 8

per eos) i. e. interponentibus eis operam suam. V. ad XXI, 10, 5; infra XXIV, 32, 4.

consulendumque) V. supra ad c. 7, 11 et de verbo 9
consulendi absolute dicto ad XXI, 16, 2.

Re laxata) Laxata res est per dilationem. Dicuntur 10
enim laxata esse, quae eo devenerunt, ut minore impetu vel ardore sive lentius remissiusque quam antea aguntur. Cf. XXI, 59, 6 *Quod ubi Hannibal accepit, laxatamque pugnam — vidit;* ibid. 32, 12 *ubi primum degressos tumulis montanos laxatasque sensit custodias.* Itaque h. l. dum impetratur, ut postero die de integro deliberetur, sublatus ille omnia desperantium primus impetus est resque eo devenit, ut remissius ageretur, i. e. res laxata est. Cf. et V, 5 sub fin. *quis est, qui spondeat, eundem, si differtur bellum, animum postea fore? quum, si laxamentum dederis, maior frequentiorque legatio itura sit;* ubi pariter laxamentum in dilatione positum est, verbaque *si laxamentum dederis* idem fere declarant, quod *si res laxata erit.* Supervacaneae igitur videntur nonnullorum virorum doctorum illud verbum (*laxata*) mutantium coniecturae, ut Crevierii, qui, quod duo optimi codd. per errorem, credo, scribarum praebent: *re laxa* scribendum censuit: *Relata postero die per minorem trepidationem re;* aut Jacobsii: *re iactata.*

tenuerunt) Cf. exempla a Gronovio et Drakenborchio allata: II, 42 in. *Tenuere tamen Patres, ut cum L. Aemilio K. Fabius consul crearetur;* III, 29 extr. *ne quid ferretur ad populum, Patres tenuere;* ibid. 41 med. *quum libertas non ultra vocem excessisset, decemviri propositum tenuere;* IV, 10 extr. *Et adversus tribunos auctoritate plura quam certamine tenuit;* ibid. 30 extr.; XXIV, 19 sub fin.

omnibus) Frequentissime a Livio adiectiva gen. neutr.

1 XXI. Per idem fere tempus literae ex Sicilia Sardi-
2 niaque Romam allatae. Priores ex Sicilia T. Otacilii pro-
praetoris in senatu recitatae sunt: *P. Furium praetorem
cum classe ex Africa Lilybaeum venisse. Ipsum gra-
viter saucium in discrimine ultimo vitae esse; militi et
navalibus sociis neque stipendium neque frumentum ad
3 diem dari, neque, unde detur, esse. Magnopere sua-
dere, ut quam primum ea mittantur; sibique, si ita
4 videatur, ex novis praetoribus successorem mittant.* Ea-
demque ferme de stipendio frumentoque ab A. Cornelio Mam-
mula propraetore ex Sardinia scripta. Responsum utrisque,
non esse, unde mitteretur, iussique ipsi classibus atque ex-
5 ercitibus suis consulere. T. Otacilius, ad unicum subsidium

---

in casu genitivo, dativo, ablativo numeri pluralis pro substantivis poni, etsi forma ea nihil indicet genus, ostendimus ad XXI, 11, 12. Cf. infra XXIV, 21, 4.

urbem ac muros) Adiunctum est per *ac*, quod angustius patet, sed maxime pertinet ad rem. Cf. ad XXI, 17, 4.

XXI.

2 *Priores ex S. T. Otacilii*) V. Z. §. 686 et 767; Sch. §. 94. 6; Weiss. §. 200. 3 et §. 212.

navalibus sociis) De his cf. ad XXI, 49, 7.

ad diem) V. ad c. 17, 9.

3 *si ita videatur*) Hac formula dicendi cavebatur, ne quid odiose, ut ait Drakenborchius, videretur imperari. Cf. XXXIV, 46 med. *nuntium ad collegam mittit, ut, si videretur ei, maturaret venire;* pariter VI, 25 in.; II, 56 sub fin. *Si vobis videtur, discedite, Quirites*; XLV, 39 extr. Eadem senatum, si quae magistratibus mandaret, usum esse, diximus ad XXII, 33, 9.

4 *utrisque*) Unus ex optimis libris: *utrique.* Sed Livium non raro numero plurali eius vocis uti, ubi de rebus vel hominibus singularibus, quos duos cogitatione coniungat, loquatur, ostendimus ad XXII, 46, 3.

5 *consulere. T. Otacilius*) Codd. tantum non omnes: *consulerent. Otacilius*, unde veram scripturam Gronovius coniectura restituit. Atque eam ipsam a manu pr. in codice omnium praestantissimo superesse, auctor est Crevierius. Verum quidem est, quod memorat Drakenborchius, *iubere* apud Livium interdum adiunctam habere particulam *ut*, vel, ea omissa, coniunctivum, ut XXXII, 16 med. *iussitque, ut, quae ex sua classe venissent naves, Euboeam peterent;* XLII, 39 extr. *legati vel cum tribus venire iubebant, vel — obsides daret;*

populi Romani Hieronem legatos quum misisset, in stipendium quanti argenti opus fuit, et sex mensium frumentum accepit. Cornelio in Sardinia civitates sociae benigne con- 6
tulerunt. Et Romae quoque propter penuriam argenti triumviri mensarii rogatione M. Minucii tribuni plebis facti, L. Aemilius Papus, qui consul censorque fuerat, et M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat, et L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat. Et duumviri creati M. et C. Ati- 7
lii aedem Concordiae, quam L. Manlius praetor voverat, dedicaverunt. Et tres pontifices creati, Q. Caecilius Metellus et Q. Fabius Maximus et Q. Fulvius Flaccus, in locum P. Scantinii demortui et L. Aemilii Paulli consulis et Q. Aelii Paeti, qui ceciderant pugna Cannensi.

XLIV, 2 post in. *quum, exponerent in consilio, iussisset, qua quisque ducturus esset.* Sed differunt nonnihil haec exempla, quippe in quibus non idem sit enuntiationis secundariae atque primariae subiectum.

unicum) V. supra ad c. 11, 10.

quanti argenti) De genitivo locutioni *opus est* addito v. ad XXII, 51, 3.

b. contulerunt) Aliter res exponitur infra c. 32, 9. Ne- 6
que tamen obliviscendum, inimicos ibi Romanorum loqui. *Conferre* absolute posuit Livius, quum, quae dicatur collatio, post ea cognita, quae modo commemorata sunt, nemini possit dubium esse.

Et Romae quoque) Hand Tursell. II, p. 490. 9. „In narratione transeunt Latini per *et* ad alteram partem, ubi Graeci ponunt δέ.“ Scilicet aliud per *et* additur inopiae insolito modo levandae genus. *Quoque* sententiam spectat latius patentem, quam quae a scriptore posita est, talem fere, qualem modo diximus. Cf. ad XXII, 23, 1 et ibid. ad 7, 5.

triumviri mensarii) Magistratus hi erant extraordinarii, quibus negotium datum erat, ut rei nummariae difficultatibus subvenirent. Cf. de nomine eorum et munere Liv. VII, 21; XXIV, 18 extr.; XXVI, 36.

qui consul censorque f.) Addidit haec Livius, ut doceret, quantum muneri eis viris mandato esset tributum.

M. et C. Atilii) De numero plurali nominum gentilium 7
duobus pluribusve praenominibus in numero singul. positis addito v. supra ad c. 8, 1. De re cf. XXII, 33, 7 sq.; infra ad c. 30, 14.

demortui) *Demori* Doederlinius (Syn. III, p. 182) docet in iis valere, quorum morte aliis aufertur aliquid. Frequentissime igitur ut h. l., quum id nomen ponitur, iactura specta-

1 XXII. Quum cetera, quae continuis cladibus fortuna
minuerat, quantum consiliis humanis assequi poterant, Pa-
2 tres explessent, tandem se quoque et solitudinem curiae
paucitatemque convenientium ad publicum consilium respexe-
3 runt. Neque enim post L. Aemilium et C. Flaminium cen-
sores senatus lectus fuerat, quum tantum senatorum adver-
sae pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium
4 absumpsissent. Quum de ea re M'. Pomponius praetor,
dictatore post Casilinum amissum profecto iam ad exercitum,

---

tur collegii alicuius, in quo fuerunt, qui mortui sunt. V. cap. sq. §. 5; c. 23, 4; V, 31 extr.; IX, 34 post med.; XXVI, 23 extr.; XXVII, 8 in. etc.

pugna Cannensi) V. ad c. 14, 4.

XXII.

2 *publicum consilium*) V. supra ad c. 2, 4. Perperam autem ante Gronovium editores praetulisse *concilium*, ex iis apparet, quae de vocum earum discrimine dicta sunt ad XXII, 53, 6.

3 *post L. Aem. et C. Fl.*) i. e. ex quo — fuerant. Cf. ad XXII, 40, 8. L. Aemilius non differt ab eo L. Aemilio Papo, quem superiore cap. §. 6 memoravit Livius; C. Flaminius is est, qui viam Flaminiam (v. ad XXII, 11, 5) muniit consulque cecidit ad lacum Trasimenum.

ad hoc sui quemque c.) *Adhoc* quomodo dicatur, v. ad XXI, 54, 8; de pronomine possessivo v. supra ad c. 7, 2. *Sui casus* opponuntur *adversis pugnis*; nam hi publici erant casus plurimosque eodem fato absumserant. Contra illa locutio mortes spectat, quibus alio atque alio tempore singuli, prout fortuna eorum ferret, ablati sunt.

4 *Quum — retulisset — quum — conquestus esset*) Cf. ad c. 17, 9. Scilicet quae ad Carvilii sententiam spectarent, ea omnia in unum Livius coniunxit. In quo ita versatus est, ut sententiam primariam (*tum Sp. Carvilius — dixit*) mediae verborum comprehensioni insereret, cetera vel praemitteret, vel ipsi interponeret sententiae primariae, vel in exitu poneret. Praemisit igitur et protasin fecit, quod viam panderet ad orationem Carvilii, deinde, commemorato nomine viri, interposuit per enuntiationem secundariam, quae iam ipsam sententiam eius praemunirent, tum hanc, ut in qua summa rei esset posita, extremo loco collocavit. Praeterea concinnitati ita consuluit, ut, quum ipsa sententia primaria brevior esset, ea tamen, quae illi interponerentur et adiungerentur, et ambitu et membrorum divisione extremae parti paria essent.

post Cas. amissum) V. ad c. 17, 8.

exposcentibus cunctis, retulisset, tum Sp. Carvilius, quum longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, e quibus in Patres legerentur, conquestus esset, explendi senatus causa et iungendi artius Latini nominis cum populo Romano magnopere se suadere dixit, ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si Patres Ro-

---

non solum inopiam etc.) Walchius, quem alii sequuntur, „Inopiam, inquit, accipimus de egestate exhaustorum diutino bello, e quibus pauci nunc essent, qui haberent censum senatorium.“ Sed hoc si dicere vellet Livius, scripturum eum fuisse, credibile est: *non solum paucitatem*, *sed inopiam etiam civium* etc., ut ostenderet, non solum paucos fuisse cives tales, qui senatorum munere fungi possent, sed etiam eos ipsos fere inopes esse. Nam si communiter cives, qui legi possent, iam non censum haberent senatorium, ut discedendum a lectione eorum esset, nihil intererat, utrum pauci illi essent an multi. Itaque, commemorata eorum inopia, supervacaneum erat de numero dicere, nedum is ad rem augendam addi posset per *sed etiam*. Et mirum sane est, quod, si pauperiores fere fuerunt cives, unde in Patres legerentur, nulla tamen cap. insequenti, ubi exponitur senatus lectio, significetur inde nata legendi difficultas. Itaque aliter interpretanda vox *inopiae*. Intelligitur enim ea inopia, de qua iam antea in hoc cap. Livius locutus est, i. e. inopia senatorum, ut XXXVIII, 44 med. et XXXIX, 4 post med. *infrequentia* dicitur pro infrequentia senatus. Conquestus est enim Carvilius non solum id, de quo retulerat praetor, quod exiguus numerus esset senatorum, sed addidit etiam, eorum quoque, qui legi in senatum possent, exiguum esse numerum, ut ne facultas quidem augendi senatum daretur. Quae autem diceretur inopia, id plenius efferre, opus non fuit post ea praemissa, quae ante dicta erant. Strothius, qui et ipse hanc sententiam Livii putat esse, in eo videtur errare, quod legendum putat esse cum paucis deterioribus libris: *non solum inopiam senatus*. Sed vix credi potest, Livii verba esse: *inopia senatus*, quum Latine loquentium more dicendum fuerit aut *infrequentia senatus* aut *inopia senatorum*, ut XXV, 5 post in. *inopia iuniorum*.

legerentur) V. supra ad c. 17, 7.

cum pop. Rom. magnopere se s.) Ita Livii verba restituit Crevierius ex iis, quae optimi libri habent: *cum pro magna re se suadere*. Nam et pro *populo Romano*, quod per compendium scribebatur *p. ro.*, scribarum error saepe substituit *pro*, et *magna re* facile nasci potuisse ex *magnopere* facile apparet. Hoc autem adverbium saepius verbo suadendi Livius adiungit. V. cap. proximo sup. §. 3; III, 71 extr.; XLIV, 36 sub fin.

Patres Romani) Ita non raro Livius dixit. V. ad

mani censuissent, civitas daretur, atque in demortuorum
6 locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud aequioribus animis quam ipsorum quondam postulatum Latinorum
7 Patres audierunt; et, quum fremitus indignantium tota curia esset, et praecipue T. Manlius, *esse etiam nunc stirpis eius virum*, diceret, *ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset*, *quem Latinum in curia vidisset, eum sua manu se interfecturum*, Q. Fabius Maxi-
8 mus, *Nunquam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in senatu* dixit, *quam inter tam suspensos sociorum animos incertamque fidem id tactum, quod insuper*
9 *sollicitaret eos. Eam unius hominis temerariam vocem silentio omnium exstinguendam esse; et, si quid un-*

XXII, 32, 7; praeterea I, 18 med.; III, 68 med.; XXVI, 17 in. Et hic quidem eam locutionem videtur praetulisse propter oppositionem senatorum Latinorum.

legerentur) V. supra ad c. 8, 4.

7 *tota curia*) Perperam Doeringius et Rupertus contra codd. addendum putaverunt *in*. V. Z. §. 482; Weiss. §. 269 n. 2. Eandem legem Livius sequitur nec nisi rarissime addit *in*, ut XXXVII, 25 sub fin. *toto in orbe terrarum* aut, quod non plane eiusdem generis est, XXIX, 14 med. *in tota civitate*. Contra, ut ex multis exemplis aliquot ponamus, cf. V, 53 extr. *Si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit;* XXII, 2, 9 *Iumentorum itinere toto prostratorum acervi;* XXVII, 41 extr. *incompositos toto passim campo se fudisse;* XXVI, 44 med.; XXVIII, 44 med.; XXXVIII, 43 post in.; XXXIX, 32 med.; ibid. 46 in.

T. Manlius) Cf. de eo XXII, 60; praeterea ad rem VIII, 5. De toto verborum orbe conferenda quae supra dicta sunt ad c. 14, 1. Concinne autem quae in protasi T. Manlius dicit eodem fere modo structa eiusdemque fere ambitus sunt, quam quae in apodosi Fabius.

ex qua) Est ea brevitas orationis, de qua diximus supra ad c. 1, 8.

8 *Nunquam — dixit*) Cf. ad c. 23, 1. Magna cum vi ab initio hic positum *nunquam*, aptissimamque eam collocationem in alteram structuram non cadere, facile intelligitur.

inter t. s. s. animos) i. e. quo tempore — animi essent. V. Weissenb. §. 288. n. 3; Z. §. 300; Sch. p. 602.

id tactum) Cf. Cic. de orat. II, 10, 43 *illud tertium, quod et a Crasso tactum est;* Acad. II, 44, 136 *ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit?* Rosc. Am. 30 *tametsi neque omnia dicam et leviter unumquodque tangam.*

quam arcani sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviscendum, pro non dicto habendum esse. Ita eius rei oppressa mentio est. Dictatorem, qui censor ante fuisset vetustissimus- 10
que ex eis, qui viverent, censoriis esset, creari placuit, qui senatum legeret; accirique C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum iusserunt. Qui, quum ex Apulia, re- 11

---

9 *si quid — f.*) *Si quid* hic maiore quam fere aliis locis vi positum est propter oppositionem verborum: *id omnium maxime* etc., quam in sententiam alias fere dicitur *si quicquam.* V. Z. §. 710; Weiss. §. 225 n. 2. Illud ponere Livius potuit, quod vis locutionis hic amplificatur adiecta voce *unquam.*

ad silendum) De *ad* praepositione adiectivis adiuncta cf. ad XXI, 25, 6.

tegendum etc.) Vide, ut per gradus ascendat ad graviora et fortiora, quum semper priore loco videatur sibi dixisse, quod nondum ad rem satis declarandam sufficiat. Nam *tegit* aliquam rem, qui involucrum ei imponit, *occulit*, qui involucrum ita imponit, ut eam studeat oculis subtrahere, *obliviscitur*, qui ex memoria dimittit, *pro non dicto habet*, qui nullam eam esse putat. Et quemadmodum priores duae locutiones *alienam* auferendam esse rei cognitionem ostendunt, ita duae posteriores *suam.*

10 *qui censor — fuisset*) Hoc ideo decretum est, quod, quum nulli essent censores, muneris censorii i. e. lectionis senatus extraordinaria cura dictatori mandanda esset. Unum hoc est exemplum censoriae potestatis ad dictatorem delatae.

vetustissimusque) Referunt nonnulli vv. dd. ad aetatem, quod tamen Livium expressurum ita fuisse credibile est, ut *maximum natu* diceret. Rectius ad tempus referes, quo censor fuit, ut scriptor eum creatum dicat, cuius censura ceteros, qui viverent, censorios antecesserit. Similiter Tac. Ann. XI, 25 *in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu;* ibid. 32 *Vibidiam virginum Vestalium vetustissimam oravit pontificis maximi aures adire;* Hist. I, 23 *vetustissimum quemque militum nomine vocans;* ibid. II, 19. Cf. et supra c. 7, 6 *quod a vetustissimis sociis — defecissent;* V, 12 extr. *vetus tantum senator et aetate gravis.*

qui viverent) *Vivere* saepe est in vita remansisse sive adhuc in vita esse, ut II, 38 extr. *illud non succurrit, vivere nos, quod maturarimus proficisci?* ibid. 47 in. *vivere clamitans collegam;* IX, 38 post med. *nec vivere Marcium consulem satis fidebant;* XXXIII, 41 med.; XXXIV, 32 post med.; XXXIX, 52 med. etc. Cf. infra ad XXIV, 25, 7.

11 *nocte proxima, ut mos erat*) Captis enim auspiciis

licto ibi praesidio, magnis itineribus Romam redisset, nocte proxima, ut mos erat, M. Fabium Buteonem ex senatusconsulto sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit.

1 XXIII. Is, ubi cum lictoribus in Rostra escendit, *neque duos dictatores tempore uno, quod nunquam antea*
2 *factum esset, probare se* dixit, *neque dictatorem se sine magistro equitum, nec censoriam vim uni permissam et eidem iterum, nec dictatori, nisi rei gerendae*

---

nocte silentio a consule dicebatur dictator. V. IV, 57 med.; IX, 38 extr.

sine magistro equitum) Ne hoc quidem unquam alias factum. Ceterum haec pro tota enuntiatione sunt. V. ad XXII, 7, 5.

in sex menses) Cf. de semestri dictatoris imperio ad XXII, 31, 7.

XXIII.

1 *neque — dixit — neque*) Cf. ad XXI, 9, 3. Quae ibi allata sunt exempla I, 36 med.; VI, 23 extr., ea quum eiusmodi sint, ut praemittendum verbum dicendi enuntiationi inde suspensae Livius duxerit, praetulit *negare*, ut, qualis futura esset sententiae insequentis ratio, ante appareret; hoc autem loco et pariter XXXVII, 19 in., quum interpositum ceteris sit verbum dicendi atque, praemissa voce *neque*, iam significatum, negantem esse sententiam, aptius posuit *dicere*. Ceterum oppositione membrorum per *neque — neque — nec — nec* taedium cavetur enumerationis.

2 *dictatorem se*) *Se* in plurimis optimisque codicibus legitur. Est autem accusativus obiecti, quem vocant. Cf. supra ad c. 15, 11.

nec censoriam vim) „Improbat, ut observat Crevierius, M. Fabius Buteo primum, quod vis censoria, quae secundum leges duobus permitti debebat, sibi *uni* permissa sit; deinde, quod sibi *iterum* illa permissa sit, quum lege a Marcio iterum censore lata (a. u. c. 488) cautum esset, ne quis *bis* censor fieret." Döring.

nisi rei gerendae c.) Nam qui dictatores ob minores res ut clavi figendi causa vel ludorum vel comitiorum causa et quae sunt eiusdem generis dicebantur, ii peracto eo negotio statim magistratu abibant. *Rem gerere* ut *rempublicam gerere* (v. ad XXII, 25, 6) ad pugnas vel bella potissimum refertur. V. II, 30 sub fin. *ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere;* V, 28 med. *Imperatores Romani fuere — C. Aemilius, Sp. Postumius. Primo rem communiter gesserunt;* IX, 35 med. *neque missilia habebant, quibus*

causa creato, in sex menses datum imperium. Quae 3 *immoderata fors, tempus, ac necessitas fecerint, iis se modum impositurum. Nam neque senatu quemquam moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Aemilius censores in senatum legissent: transscribi tantum recitarique eos* 4 *iussurum, ne penes unum hominem iudicium arbitriumque de fama ac moribus senatoris fuerit; et ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini praelatus videretur.* Recitato vetere senatu, inde 5 primos in demortuorum locum legit, qui post L. Aemilium et C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent necdum in senatum lecti essent, ut quisque eorum primus

---

eminus rem gererent; X, 43 med. *Sic ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res.* Cf. et supra c. 18, 1; infra c. 26, 2.

fors, tempus ac necessitas) Videtur spectare, quod 3 forte accidit, ut nulli essent censores abessetque dictator ante creatus; quod reipublicae conditio ea esset, ut qui alias servaretur legitimus rerum ordo, iam non posset respici; denique quod illi senatus solitudini celeriter consulendum esset. Cf. infra ad XXIV, 9, 10.

neque) V. ad c. 1, 7.

transscribi) „i. e. in alias tabulas referri. — Nos si- 4 militer: *umschreiben lassen.*" Stroth. Cf. et ad XXI, 26, 3.

penes unum h.) quum alias bini censores essent nec nisi consensu possent rata facere, quae de senatoribus statuerent. Cf. Liv. XL, 51; XLII, 10; XLV, 15.

senatoris) V. ad c. 14, 3.

inde) Hoc similem in modum in apodosi ponitur atque 5 *tum*, de quo cf. ad XXI, 11, 8; infra ad XXIV, 13, 7. Praeterea v. VIII, 9 extr. *ubi vero corruit obrutus telis, inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum fugam ac vastitatem late fecerunt.* Similiter *hinc* Livius posuit VIII, 12 post med. Hoc loco particula addita Livius accuratius significavit, a dictatore veteres senatores omnes transscriptos esse, antequam ad novos legendos animum adiiceret.

c. magistratum cepissent) V. II, 33 in. *neve cui Patrum capere eum magistratum liceret;* V, 13 in. *ut ceperat haud tumultuose magistratum, — ita etiam gessit;* VII, 25 in. *qui legis Liciniae spretae mercedem consulatum — cepisset;* XL, 44 in. *quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque.* Cf. etiam VII, 1 in. *Patres praeturam Sp. Furio —; aedilitatem Cn. Quinctio Capitolino et P. Cornelio Scipioni — gratia campestri ceperunt.*

ut quisque — primus cr. erat) Codices optimi ante

6 creatus erat; tum legit, qui aediles, tribuni plebei quaestoresve fuerant; tum ex iis, qui magistratus cepissent,

---

primus habent *senatus*, alii *senator*. Hinc Gronovius coniecit scribendum: *ut quisque eorum magistratus primus creatus erat. Primus* autem hic refertur ad tempus, non, ut supra (c. 15, 6) *primus quisque*, ad dignitatem.

6 *aediles*) i. e. plebei, quod per se patet, quum curules iam antea significaverit. Sed potest etiam vox *plebei*, quae sequitur, huc referri.

qui magistratus cepissent) Haec scriptura quum in omnibus libris supersit, editores tamen plerique omnes de Sigonii coniectura inserendum *non* ante *cepissent* putaverunt. Videtur autem ea mutatio parum probabilis esse. Nam si Fabius in legendis iis, qui hic commemorantur, non ordinem spectasset, sed solam virtutem, non fecisset, quod se facturum antea (§. 4) professus erat. Contra si hos quoque ex numero eorum, qui magistratus gessissent, peteret, etiam hic ordinis rationem tenebat. Accedit, quod in iis, qui spolia ex hoste fixa domi haberent, multi potuerunt esse, qui alios, quam quos modo Livius dixit, magistratus minores gessissent, ideoque, si iam eos tantum legeret Fabius, qui non fuissent in magistratibus, excludendi essent, quod credi nullo pacto potest. Praeterea si census tum fuit senatorius, id quod maxime verisimile est, si conferas infra XXIV, 11, 8 (v. ibi); nonne fieri potuit, ut multi, qui spolia domi fixa haberent aut civicam coronam accepissent, eum censum non haberent? Ne hoc quidem verisimile est, numerum novorum senatorum non maiorem fuisse, quam centum septuaginta septem hominum, si et magistratibus iis, qui memorati sunt, functi, et praeterea omnes quicunque spolia fixa domi haberent aut civicam coronam accepissent, lecti essent. Horum quidem in tanto populo assiduisque illis bellis illaque Romanorum virtute numerum non maiorem fuisse, quis credat? Denique nulla est satis idonea inserendae negationis causa. Nam quod Fabius non alios nisi qui functi magistratibus essent, legit, id rei et consuetudini quam maxime consentaneum erat, quum fere ex magistratibus senatorum numerus suppleretur, iidemque ex locupletioribus civibus essent. Hac re tantum a more recessit, quod necessitate coactus non maiores solum magistratus respexit, quod fere fiebat (cf. Liv. XXII, 49, 17), sed etiam minores. Quare primum omnes eos legit, qui curulem magistratum gessissent, deinde ad minores magistratus transeundo hoc discrimen fecit et dignitatis et virtutis, ut propter dignitatem magistratus gesti aediles, tribunos plebei, quaestores et ipsos legeret omnes, ex ceteris v. c. eis, qui triumviri capitales, triumviri monetales, quattuorviri viarum curandarum, decemviri litibus iudicandis fuissent vel alios id genus magistratus tenuissent, ne in nimium numerus senatorum cresceret, eos tantum faceret senatores, qui belli illis

qui spolia ex hoste fixa domi haberent aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum in- 7
genti approbatione hominum in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit privatusque de Rostris descendit, lictoribus abire iussis. Turbaeque se immiscuit privatas agen- 8
tium res, tempus hoc sedulo terens, ne deducendi sui causa populum de foro abduceret. Neque tamen elanguit cura hominum ea mora, frequentesque eum domum deduxerunt.

---

decoribus conspicui essent. Si quis autem dicat, scribendum fuisse: *qui magistratus alios cepissent*, potuit quidem Livius ita dicere, sed necessarium non fuit, quum per se intelligatur, nomen *magistratuum* ad eos, qui ante memorati sint, iam non posse referri.

spolia — fixa domi) Respicitur mos ille Romanorum foribus spolia hostium praefigendi. Plin. h. n. XXXV, 2, 7 *Aliae foris et circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emtori refigere liceret; triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus, et erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Cf. et Liv. X, 7 sub fin.; XXXVIII, 43 extr.

civicam coronam) *Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in proelio, testem vitae salutisque perceptae dat. Ea fit e fronde querna — etiam ex ilice.— Massurius autem Sabinus — civicam coronam tum dari solitam dicit, quum is, qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat neque locum in ea pugna reliquerat: aliter ius civicae coronae negat concessum.* Gell. V, 6.

tempus hoc) Id tempus significatur, per quod peracto 8
negotio in turba versatus est. Dixit autem Livius *hoc tempus*, quasi antea non posuisset *se immiscere turbae*, sed potius, quod inde sequitur *versari in turba* vel similem locutionem. Duo tantum exiguae auctoritatis libri praebent, quod probatum a nonnullis interpretibus est: *hic* i. e. in turba privatas agentium res. Doeringius autem *hoc* idem esse putat quod *ob hoc* vel *ideo.* Sed quum in hanc sententiam alias *eo* dicat Livius, etiam ubi ea spectat, quae sequuntur (cf. v. c. VI, 6 in. *eo abnuentes, fuisse publicum consilium, quod* etc.; VIII, 30 post med. *eo factum, ne suae gloriae fructum dictator caperet;* XXXIV, 31 med. *Tempus autem eo me liberat, quod* etc.; XXXVII, 23 in. *eo maxime, ut in obvio classi hostium essent, electus locus est;* praeterea ad XXI, 39, 8), eo magis credibile est, hoc loco eadem eum voce usurum fuisse.

deducendi) i. e. domum. Cf. quae statim sequuntur. Et ita frequentissime *deducere* dicuntur, qui aliquem honoris

9 Consul nocte insequenti ad exercitum rediit, non facto certiore senatu, ne comitiorum causa in urbe retineretur.

1 XXIV. Postero die consultus a M'. Pomponio prae-
tore senatus decrevit, dictatori scribendum, uti, si e re-
publica censeret esse, ad consules subrogandos veniret cum
2 magistro equitum et praetore M. Marcello, ut ex iis prae-
sentibus noscere Patres possent, quo statu respublica esset,
consiliaque ex rebus caperent. Qui acciti erant, omnes
3 venerunt, relictis legatis, qui legionibus praeessent. Dicta-
tor, de se pauca atque modice locutus, in magistrum equi-
tum, Ti. Sempronium Gracchum, magnam partem gloriae
vertit; comitiaque edixit, quibus L. Postumius tertium ab-
sens, qui tum Galliam provinciam obtinebat, et Ti. Sem-
pronius Gracchus, qui tum magister equitum et aedilis cu-
4 rulis erat, consules crearentur. Praetores inde creati, M.

---

causa domum prosequuntur, id quod saepe iuniores senioribus, patronis clientes, viris illustribus vulgus tribuebat.

9 *facto certiore s.*) Cf. supra ad c. 16, 9; prox. cap. §. 10.

XXIV.

1 *e republica*) V. Z. §. 309 extr.; Sch. p. 612; Weiss. §. 261 n. 2.

ad coss. subrogandos) „*Subrogare magistratum* est alium in locum eius, qui vel mortuus erat vel anno exacto honore abibat, substituere.“ Drakenb. V. II, 7 ante med.; ibid. 8 in.; III, 19 in.; ibid. 38 in.; IX, 34 med.; X, 11 in. etc.

3 *pauca atque modice*) Vulgo: *ac modice.* Sed duo omnium optimi codd. quum habeant: *pauca ac demodice*, veram scripturam esse *atque modice*, Drakenborchius probabiliter censet. *Modice* est modeste, de qua vocis vi v. ad XXII, 25, 10; ad hoc de iuncto adiectivo et adverbio ad XXI, 8, 9.

magister equitum et aed. cur.) Cf. infra cap. 30, 16. Duos igitur curules magistratus simul gerebat, quod non licuisse constat. V. XXXIX, 39 et cf. VII, 42. Sed poterat aut tempori aliquid dari aut hoc respici, quod, creato dictatore et magistro equitum, aliorum magistratuum potestas tolleretur, ideoque ne Gracchus quidem quicquam videretur, dum magister equitum esset, aedilitatis iure agere.

crearentur) „Huius sermonis ea vis est, edicto comprehensum fuisse, hos consules creandos esse.“ Duker. Videtur igitur propter eas, quae tunc erant, temporis angustias, quibus fortissimum quemque exercitibus praefici oportebat, prae-

Valerius Laevinus, Ap. Claudius Pulcher, Q. Fulvius Flac-
cus, Q. Mucius Scaevola. Dictator, creatis magistratibus, 5
Teanum in hiberna ad exercitum rediit, relicto magistro
equitum Romae, qui, quum post paucos dies magistratum
initurus esset, de exercitibus scribendis comparandisque in
annum Patres consuleret.

Quum eae res maxime agerentur, nova clades nuntiata, 6
aliam super aliam cumulante in eum annum fortuna, L. Po-
stumium, consulem designatum, in Gallia ipsum atque ex-
ercitum deletos. Silva erat vasta (Litanam Galli vocabant), 7
qua exercitum traducturus erat. Eius silvae dextra laeva-
que circa viam Galli arbores ita inciderunt, ut immotae sta-
rent, momento levi impulsae occiderent. Legiones duas 8
Romanas habebat Postumius, sociûmque ab supero mari tan-
tum conscripserat, ut viginti quinque milia armatorum in
agros hostium induxerit. Galli oram extremae silvae quum 9

---

dixisse dictator, aliorum se rationem non habiturum. Cf. XXIV, 7 extr. et c. 8 et 9; VIII, 15 extr.; XXXIX, 39.

Teanum in hib. ad ex.) V. ad c. 19, 8. 5

in annum) V. ad XXIV, 8, 7.

Quum — maxime) Cf. I, 50 extr. *Haec atque alia — quum maxime dissereret, intervenit Tarquinius;* III, 31 in. *Quum maxime haec agerent, trepidi nuntii ab Tusculo veniunt;* VIII, 33 in. *Quum maxime conquereretur apud Patres vim atque iniuriam dictatoris, repente strepitus ante curiam — auditur;* XXIX, 17 extr.; XXX, 10 in.; ibid. 33 sub fin. etc. V. Z. §. 285; Weiss. §. 455 n. 3. 6

aliam super aliam) De hac locutione diximus ad XXI, 35, 12.

L. Post. — ipsum atque ex. d.) Cf. XXXIII, 26 extr. *P. Villius eques Romanus, in Sabinos proficiscens, fulmine ipse equusque exanimati fuerant.*

momento l. imp.) i. e. exigua vi. Nam vide ad XXI, 43, 11. De perf. *inciderunt* v. ad c. 44, 5. 7

occiderent) Quae hic tribuenda verbo *occidendi* vis, alias apud Livium nusquam legitur. Cf. ad XXI, 35, 12. Accedit, quod nonnulli libri habent *caderent*, alii *ceciderent* vel *deciderent*. Itaque Gronovius scribendum putavit *conciderent*, quod et ad sententiam aptissimum est et facile in illam scriptionem mutari potuit.

oram extremae s.) Iacobus Gronovius et Drakenborchius ostendunt, aliis locis Livium *extremum* vel *ultimum* non addere genitivo ex nomine *orae* pendenti, sed huic ipsi voci, 9

circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt. Quae alia in aliam, instabilem per se ac male haerentem, incidentes, ancipiti strage arma, viros, equos obruerunt, ut vix decem homines effu-
10 gerent. Nam quum exanimati plerique essent arborum truncis fragmentisque ramorum, ceteram multitudinem, inopinato malo trepidam, Galli, saltum omnem armati circumsedentes, interfecerunt, paucis e tanto numero captis, qui, fluminis pontem petentes, obsesso ante ab hostibus ponte, interclusi

---

ut XXI, 31, 9 *per extremam oram Vocontiorum agri;* I, 18 in. *in ultima Italiae ora;* V, 37 in. *ab Oceano terrarumque ultimis oris.* Itaque hypallagen Drakenborchius hic statuendam censet. Cf. ad XXI, 11, 8. Videtur autem Livius oppositionem spectasse silvae extremae et silvae interioris, ubi Romani erant, ideoque alterum dicendi genus praetulisse.

Quae alia in aliam) Frequentissime hunc in modum in eodem casu totum poni et partes, ostendimus ad XXI, 15, 4.

male haerentem) i. e. non satis haerentem. *Male* enim saepe aut nimium significat aut parum, prout diversa est sententiae ratio. Cf. I, 25 extr. *Male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit;* X, 5 sub fin. *male densatus agger pondere superstantium in fossam procubuit;* XXVI, 39 sub fin. *quum — puppim male conglobati tuerentur Romani;* XXXV, 49 extr. *vix duarum male plenarum legionum instar.*

ancipiti) i. e. ex utraque parte. Stroth. Ita *anceps proelium* dicitur infra c. 29, 10; V, 18 med. et ibid. 13 sub fin.; VI, 33 extr. *quum anceps hostis et a fronte et a tergo urgeret;* V, 1 extr. *ut ancipitia munimenta essent: alia in urbem — versa: aliis frons in Etruriam spectans auxiliis obstruebatur;* XXI, 28, 3 *anceps terror;* et ita saepe.

arma, viros, equos) Cf. supra ad c. 15, 13. Hic coniunctio aptius omissa est; amplificatur enim res singulis separatim cogitatis.

10 *ceteram mult.*) Post *ceteram* fere interponitur *quoque*, quod quum ab optimis libris absit, Bekkerus recte videtur induxisse.

armati circumsedentes) V. cap. sup. §. 9.

paucis — captis) Ἀορίστως haec accipienda. Nam ablativos absolutos participiorum perf. nonnunquam ita poni, ostendimus ad XXI, 5, 4. Exemplis ibi laudatis addi possunt: infra c. 41, 6; I, 7 sub fin. *accipere se omen impleturumque fata, ara condita atque dicata ait;* ibid. 34 in. *Aruns prior quam pater moritur, uxore gravida relicta.*

fluminis pontem) V. supra ad c. 14, 3.

ponte) Crevierium offendit haec eiusdem vocis brevi

sunt. Ibi Postumius, omni vi, ne caperetur, dimicans, occubuit. 11 Spolia corporis caputque ducis praecisum Boii ovantes templo, quod sanctissimum est apud eos, intulere. Purgato 12 inde capite, ut mos iis est, calvam auro caelavere; idque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent, poculumque idem sacerdoti esse ac templi antistitibus. Praeda quoque 13 haud minor Gallis quam victoria fuit. Nam etsi magna pars animalium strage silvae oppressa erat, tamen ceterae res, quia nihil dissipatum fuga est, stratae per omnem iacentis agminis ordinem inventae sunt.

XXV. Hac nuntiata clade, quum per dies multos in 1 tanto pavore fuisset civitas, ut, tabernis clausis, velut noc-

---

intervallo repetitio. Itaque praestare putat: *qui fluminis pontem petentes, obsessum ante ab hostibus, interclusi sunt.* Neque tamen concinniorem hanc verborum structuram cum ipso et Doeringio dixerim, sed consulto aliter scripsisse Livius videtur. Non enim illi pontem iam ante obsessum petebant, sed quum peterent pontem, obsessus ille est, antequam pervenirent, atque ita interclusi sunt. Ceterum, ut plurimis exemplis Drakenborchius ostendit, nihil frequentius apud Livium quam talis sine emphasi eiusdem vocis repetitio. Cf. v. c. §. 9; I, 3 extr. *Sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit;* ibid. 17 in. *ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa civitatium irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur;* ibid. 35 extr. *Tum primum circo — designatus locus est. Loca divisa Patribus equitibusque;* ibid. 41 in. *simul, quae curando vulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedulo comparat: simul, si destituat spes, alia praesidia molitur;* II, 4 in. *assumunt — assumti;* ibid. 7 in. *vocem — vocem* etc.

Purgato capite) *Purgare caput* h. l. est amovere ex 12 calva quae mollia sunt atque tabe absumuntur (*ausnehmen*).

sollennibus) Cf. supra ad c. 14, 4.

idem) V. Z. §. 697; Sch. p. 533; Weiss. §. 219 n. 1. *Esse*, quod iam Freinshemius deletum voluit, Bekkerus nuper induxit. Sed abest ab uno tantum non magnae auctoritatis codice. Et cf. supra ad §. 10 et ad XXII, 47, 6, ubi singulos infinitivos historicos aliis modis non raro interponi ostendimus.

sacerdoti — ac templi antist.) „ei, qui sacra fecisset, et toti collegio antistitum templi.“ Crevier.

XXV.

ut — neg. daret, ut) De repetitione coniunctionis cf. 1 quae dicta sunt ad XXI, 19, 6.

2 turna solitudine per urbem acta, senatus aedilibus negotium daret, ut urbem circumirent aperirique tabernas et maestitiae publicae speciem urbi demi iuberent, tum Ti. Sempronius senatum habuit consolatusque Patres est et adhortatus,
3 *ne, qui Cannensi ruinae non succubuissent, ad minores*
4 *calamitates animos summitterent. Quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attineret, prospera modo*

---

2 *urbem circumirent*) Cf. III, 17 extr. *Patres circumire plebem, inferentesque se in circulos, sermones tempori aptos serere;* ibid. 72 in. *circumire tribunos, orare;* XXVI, 29 in. *Circumibant enim senatum cum veste sordida;* XLII, 37 in. *ut — oram maris, in occidentem versi, ante hiemem circumirent. Marcio et Atilio Epirus, Aetolia et Thessalia circumeundae assignantur.* Cf. ad XXII, 1, 7.

3 *Cannensi ruinae*) Ita non raro magnae cladis sive calamitatis vim ruinae nomini Livius subiicit. V. V, 51 extr. *in ruina rerum nostrarum;* XXV, 4 in. *cuius exilium ruina urbis secuta fuerit;* XXVI, 41 med. *In hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romani;* XXXI, 29 post med. *quarum (urbium) ruinis crevit urbs Romana;* XLV, 26 post in.

ad minores c.) De hac praepositionis *ad* vi, quum id infert, cuius respectu aliquid fit, ubi Germani solemus ponere: *auf Etwas hin*, dictum ad XXI, 41, 3. Cf. et infra XXIV, 14, 9; 37, 1. Docet autem Handius (Tursell. I, p. 101 §. 3), eam dicendi consuetudinem a Ciceronis libris alienam esse.

4 *Quod — attineret*) Perperam videntur recentiores editores praeter unum Bekkerum Gronovii coniecturam repudiasse scribentis *attineret*, quum in codd. paene omnibus sit *attinet*. Nam etsi ad defendendam hanc lectionem in auxilium possunt vocari tales loci, quales attulimus ad XXI, 3, 3 et XXII, 34, 7; infra c. 33, 12; 44, 1, maxime tamen videtur hoc respiciendum esse, quod Livius, ubicunque in oratione obliqua ea usus formula dicendi est, quo nihil frequentius, coniunctivum posuit, non indicativum. Quare hoc uno loco aliter eum dixisse, minus credibile est. Quis autem non videt, facillime fieri potuisse, ut altera forma mutaretur cum altera? Adde, quod in uno cod. superest *attinent*, in altero *ptinet*, quae lectiones ex coniunctivi forma originem videntur duxisse. Confer autem III, 50 med.; VIII, 2 in.; V, 30 in.; XXIII, 43 in.; ibid. 48, 3 et 5; XXIV, 16 ante med.; XXVIII, 32 med.; XXX, 8 in.; ibid. 41 in.; XXXI, 25 med.; XXXIX, 39 med.; ibid. 40 in.; ibid. 45 in.; ibid.; XXXV, 30 extr.; XXXVI, 40 med.; XLIII, 7 extr., quibus omnibus locis coniunctivo Livium usum esse videmus. Ceterum etiam hoc monemus, quod ex iis, qui recentiore aetate Latine scribunt, negligunt multi, eam structuram

essent, sicut speraret, futura, Gallicum bellum et omitti tuto et differri posse, ultionemque eam fraudis in deorum ac populi Romani potestate fore. De hoste Poeno exercitibusque, per quos id bellum gereretur, consultandum atque agitandum. Ipse primum, quid peditum 5
equitumque, quid civium, quid sociorum in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarum summam exposuit. Quid in Apulia cum C. Terentio consule 6
esset, a peritis quaesitum est. Nec, unde consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio. Itaque Galliam, quanquam stimulabat iusta ira, omitti eo anno placuit. Exercitus dictatoris consuli decretus est. De exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga Cannensi essent, 7

---

huius locutionis esse, ut praemittatur *quod* praepositioni et substantivo, non subiiciatur.

prosp. modo essent — futura) i. e. modo sive dummodo, quod ad Carthaginienses attineret, prosperae res essent futurae. Cf. infra c. 49, 12 *ut quae* (provincia) *maxime omnium belli avida, modo praeda aut merces esset;* IX, 3 in. *Modo ad hostem pervenire liceat;* 19 extr. *modo sit perpetuus huius, qua vivimus, pacis amor.* Cf. et ad XXI, 52, 4 et ibid. ad 44, 7.

cum C. Terentio) V. supra ad c. 19, 17. 6

a peritis) i. e. quibus cognitus exercitus ille eiusque numerus esset. Ita non raro in *perito* quae sit vis, non adiecto genitivo, ex ceteris orationis verbis eliciendum. V. VIII, 36 post in. *Sensit peritus dux, quae res victoriae obstaret.*

satis firmi) *Firmum* dicitur etiam in animatis, quae magni sunt roboris. V. infra c. 34, 12; IX, 44 med. *relicto firmo praesidio;* Nep. Eum. 3 *quum neque magnas copias neque firmas haberet;* Caes. b. g. I, 3 *per tris potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperant;* ibid. VII, 60 *cohortes, quas minime firmas ad dimicandum esse existimabat.*

stimulabat) Verbum *stimulandi* interdum sine casu ponitur. V. I, 15 in.; XXI, 53, 6; XLII, 18 post med.; XLIV, 17 med.

De exercitu M.) „Ideo nominatim de *Marcelli* exer- 7
citu, qui eorum ex fuga Cannensi essent, in Siciliam traduci iubentur, quod Marcellus, quum Terentius ad dictatorem dicendum Romam arcesseretur, exercitum eius accepit (Liv. XXII, 57), unde et legiones in castris Claudianis supra Suessulam tendentes Cannensis maxime exercitus fuisse dicuntur infra hoc libro c. 31, 4. Terentium postea Apuliae praefuisse ibique ex-

in Siciliam eos traduci atque ibi militare, donec in Italia
8 bellum esset, placuit. Eodem ex dictatoris legionibus reiici militem minimi quemque roboris, nullo praestituto militiae
9 tempore, nisi qui stipendiorum legitimorum esset. Duae legiones urbanae alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretae sunt, eumque, quum primum sal-
10 vis auspiciis posset, creari placuit. Legiones praeterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri, atque inde consulem, cui legiones urbanae evenissent, militum sumere
11 quantum opus esset. C. Terentio consuli propagari in an-

---

ercitum habuisse, non tantum ex hoc cap. constat, verum etiam ex c. 22 et 23; unde vero acceperit et, num in eo etiam ex proelio Cannensi elapsi fuerint, Livius non refert. Fortasse accepit partem eorum militum, quos M. Iunius dictator conscripsit, XXII, 57 et XXIII, 14." Drakenb. Ceterum *de* praepositio h. l. significat *quod attinet ad*. Cf. infra c. 31, 3. Alii explicant per *ex*. Ita Livius v. c. locutus est XXXI, 8 med. *ut de exercitu, quem P. Scipio ex Africa deportasset, voluntarios, quos posset, duceret*. Sed hic quum *eorum* adiecerit, altera ratio videtur praeferenda esse.

qui eorum) De frequenti hac structura v. ad XXI, 26, 7; praeterea cf. supra ad c. 14, 3.

ex fuga Cannensi) Cf. VIII, 19 med. *pauci in turba fugae extremae — caesi*.

8 *nisi qui st. l. esset*) V. ad c. 15, 4. Stipendia legitima erant vicenorum annorum in pedite, denum in equite. Ad structuram cf. XXIX, 1 med. *plurimorum stipendiorum ex legionibus milites delegit*. Pro eo aliis locis *habendi* verbo usus Livius est, ut XXVI, 28 med. *dimissis, qui plurima stipendia haberent;* XXXI, 8 sub fin. *ut quisque minime multa stipendia haberet*.

10 *consulem — sumere*) In optimo cod. a pr. manu est: *consul — sumere*, a sec., ut in ceteris omnibus: *consul — sumeret*. Hinc Gronovius scribendum coniecit: *consulem — sumere*, quam coniecturam recte videtur Bekkerus recepisse. Nam etsi Livius saepe ab altera in alteram structuram abit (v. ad XXI, 49, 7), hic tamen id non videtur fecisse, quum quod sequitur enuntiatum (§. 11) et ipsum positum sit in accus. cum infin. Accedit quod *em* literae sive *ẽ* facile excidere ante *cui* potuerunt, minus facile *t* ante *g*.

11 *propagari*) Ita optimi quique codd., ceteri frequenti librariorum errore *prorogari*. Et hoc quidem proprie in ea re ponitur, sed alterum quoque a consuetudine Latine scribentium alienum non esse, Gronovius ostendit allatis his exemplis: Suet. Aug. 23 *praesidibus provinciarum propagavit imperium;* Cic.

num imperium, neque de eo exercitu, quem ad praesidium Apuliae haberet, quicquam minui.

XXVI. Dum haec in Italia geruntur apparanturque, 1
nihilo segnius in Hispania bellum erat, sed ad eam diem magis prosperum Romanis. P. et Cn. Scipionibus inter se 2
partitis copias, ut Cnaeus terra, Publius navibus rem gereret, Hasdrubal, Poenorum imperator, neutri parti virium satis fidens, procul ab hoste, intervallo ac locis tutus, tenebat se, quoad multum ac diu obtestanti quattuor milia peditum et quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum, refecta tandem spe, castra propius hostem 3

Att. VIII, 3, 2 *ille provinciae propagator.* Spectatur autem in *prorogando* legitima imperii in longius tempus deferendi ratio, in *propagando* nihil aliud nisi imperii continuatio.

in annum) Cf. infra ad XXIV, 8, 7.

XXVI.

Dum — geruntur) V. Z. §. 506; Sch. p. 509 sq.; 1
Weiss. §. 445.

ad eam diem) Fere, ubi adiungitur *is*, nomen diei generis feminini esse, diximus ad XXII, 8, 6, ubi vide.

P. et Cn. Scipionibus) V. supra ad c. 21, 7. 2

ut — gereret) V. supra ad c. 16, 14.

locis tutus) In optimis codicibus legitur *tutus*, in aliis *tutis*. Cf. Tac. Hist. III, 9 *castra praemuniit, tutus loco, quum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur;* Liv. XXVII, 18 post med. *levem et concursatorem hostem atque intervallo tutum;* XXVIII, 22 in. *nec urbem aut situ aut munimento tutam habebant.*

quoad — missi — sunt) De vi, quae hic est in *quoad* cf. infra c. 34, 14 *qui rem gereret, quoad Mucius convaluisset;* II, 12 extr. *ceteri — quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt;* VII, 34 in. *Dum id morae Samnitibus est, quoad totum in vallem infimam demitteret agmen;* VIII, 2 in.; ibid. 23 med.; infra XXIV, 16, 13.

multum ac diu) Hand. Tursell. II, 289: „*Diu* saepe iungitur cum voc. *multum*, ut et diuturnitas temporis et simul assiduitas vel animi attentio significetur.“ V. Liv. XXVI, 38 med. *Multum ac diu cunctatus;* XLII, 25 sub fin. *multum ac diu vociferatum.* Praecedit autem modo *multum* modo *diu.* Ita priore loco positum est *multum:* Cic. Sen. c. 3, 9; de leg. agr. II, 32, 88; de inv. II, 19, 58; altero: Cic. Orat. 1, 1; de orat. I, 33, 152; Att. IV, 13, 2; Sall. Iug. 94, 3.

instrui pararique) V. ad XXIV, 40, 5. 3

movit, classemque et ipse instrui pararique iubet ad insulas
4 maritimamque oram tutandam. In ipso impetu movendarum de integro rerum perculit eum praefectorum navium transitio, qui, post classem ad Iberum per pavorem desertam graviter increpiti, nunquam deinde satis fidi aut duci aut
5 Carthaginiensium rebus fuerant. Fecerant hi transfugae motum in Tartessiorum gente, desciverantque iis auctoribus
6 urbes aliquot; una etiam ab ipsis vi capta fuerat. In eam gentem versum ab Romanis bellum est; infestoque exercitu Hasdrubal ingressus agrum hostium, pro captae ante dies

---

4 *transitio*) *Transitio* ita locum habebat, ut hostis consilia adiuvarent. Neque enim vere ad Romanos transisse, ex sequentibus colligi potest. Ceterum *transitio* ac *transire* saepe de transfugis dicitur. Itaque hos et ipsos mox §. 5 *transfugas* Livius dicit. Cf. I, 27 in.; II, 25 in.; XXV, 15 post in.; XXVI, 12 in.; XXVII, 20 med., ubi plurali numero Livius usus bis est; XLII, 6 sub fin., alibi.

post cl. — desertam) Quod ad ipsam rem attinet cf. XXII, 19; praeterea supra ad c. 17, 8.

5 *Tartessiorum*) Haec lectio (vel *Tartesiorum*) librorum optimorum est, neque in ullo omnino apparet *Carpesiorum*, quod inde a Drakenborchio ab editoribus tantum non omnibus receptum est. Quod vereor ne perperam fecerint. Nam quum Carpesii, quorum mentionem facit Polyb. III, 14, a Livio XXI, 5 et 11 dicti sint *Carpetani*, qui potest credibile esse, eum hic non eodem eius gentis nomine, sed alio, usurum fuisse? Deinde quod contra librorum lectionem affert Dukerus, Tartessum urbem ad ostia Baetis haud procul oceano fuisse, Hasdrubalem autem non tam longe ab Ibero abfuisse, non magnum ad rem momentum facit. Nam dum terra Hasdrubal propius Romanos movet (§. 3), potuit illis locis classis esse, utpote quae foede victa nondum auderet hosti occurrere. Et maxime verisimile est, gentem a navium statione non procul sitam, ut Carpetanos, sed propinquam, ab praefectis navium sollicitatam esse.

6 *versum ab R. b. est*) Cf. XXIV, 36, 4 *versumque ab Italia bellum, adeo uterque populus in Siciliam intentus, videri poterat.* Quod ad structuram attinet, nihil apud Latinos frequentius quam iunctae hunc in modum singulis verbis binae diversae praepositiones. Cf. II, 20 med. *metu ancipiti versi a fuga Romani in hostem;* ibid. 27 post med. *metusque omnis et periculum libertatis — in creditores a debitoribus verterant;* IV, 22 extr. *intentis Etruscis ad vanas a certo periculo minas.* V. infra ad XXIV, 5, 12.

infestoque exercitu — ingr.) i. e. hostiliter cum

paucos urbis moenibus Chalbum, nobilem Tartessiorum ducem, cum valido exercitu castris sese tenentem, aggredi statuit. Praemissa igitur levi armatura, quae eliceret ho- 7
stes ad certamen, peditum partem ad depopulandum per agros passim dimisit, ut palantes exciperent. Simul et ad 8
castra tumultus erat et per agros fugaque et caedes; deinde undique diversis itineribus quum in castra se recepissent, adeo repente decessit animis pavor, ut non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem proelio. Erumpunt igitur agmine e 9
castris, tripudiantes more suo; repentinaque eorum audacia terrorem hosti, paullo ante ultro lacessenti, incussit. Ita- 10

---

exercitu ingressus. De frequenti hac locutione v. ad XXI, 7 4 et de structura ad XXI, 48, 4.

pro — moenibus) Haec iunge cum verbis: *sese tenentem.* V. Weiss. §. 245. n. 4; Z. §. 311.

c. sese tenentem) Exempla huius structurae v. ad XXII, 18, 1; infra c. 44, 6.

passim dimisit) i. e. in omnes partes dimisit. V. ad 7
XXI, 61, 2. Heusingerus quaerit, nonne ante *ut* inserendum sit, quod excidere ibi facile potuit, *et.* Sed ipse recte videtur vidisse, verba: *ut — exciperent*, referenda esse ad *passim*, ut sententia haec sit: ad depopulandum dimisit et quidem passim, ut etc.

Simul et — et) Ita saepe Livius dicit, ut opponi inter 8
se, quae in idem tempus incidunt, significet. Cf. III, 62 extr. *simulque et hosti se opponunt et — animos peditum accendunt;* V, 26 extr. *ni fortuna imperatori Romano simul et cognitae rebus bellicis virtutis specimen et maturam victoriam dedisset;* X, 43 post in.; XXVI, 43 post med.; XXXVII, 16 in. Asyndeton ad rem ostendendam, quae repente incidit, valet. Cf. ad XXI, 58, 5.

fugaque et caedes) De *que — et* v. ad XXI, 30, 2. Nervose hac iunctura prior periodi pars, ubi ipsi rei convenienter concitatius fertur oratio, clauditur.

agmine) De hoc ablativo cf. ad XXII, 30, 1. 9

tripudiantes) V. ad XXI, 42, 3. Adde I, 20 med. *Salios item duodecim — per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit.*

tutum fl. etiam obiecto) Quum optimi codices con- 10
sentiant in omittenda particula *que* post *tutum*, recte eam videntur delevisse Crevierius et Drakenborchius aliique. Est igitur iunctura ea, de qua diximus ad XXI, 54 extr., ut per *etiam* aliquid adiungatur. De vocibus *et ipse* cf. supra ad c. 19, 4.

que et ipse Hasdrubal in collem satis arduum, tutum flumine etiam obiecto, tum copias subducit et praemissam levem armaturam equitesque palatos eodem recipit; nec aut
11 colli aut flumini satis fidens, vallo castra permunit. In hoc alterno pavore certamina aliquot sunt contracta; nec Numida Hispano eques par fuit, nec iaculator Maurus caetrato, velocitate pari, robore animi viriumque aliquantum praestanti.

1 XXVII. Postquam neque elicere Poenum ad certamen obversati castris poterant, neque castrorum oppugnatio fa-
2 cilis erat, urbem Ascuam, quo, fines hostium ingrediens, Hasdrubal frumentum commeatusque alios convexerat, vi capiunt omnique circa agro potiuntur. Nec iam aut in ag-
3 mine aut in castris ullo imperio contineri. Quam ubi negli-

---

tum) i. e. postquam incussus iis, qui ante ad pugnam provocaverant, terror erat. Neque alienam a Livii dictione esse hanc vocis collocationem, qua longius reiiciatur, Walchius docuit (Emend. p. 197) allatis exemplis: XXV, 10 post in. *Ubi illuxit, et Romanis Punica et Gallica arma cognita tum dubitationem exemerunt;* ibid. 31 sub fin. *praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset;* XL, 21 sub fin. *sed non solum parendum patri tum, sed etiam assentiendum erat.* Adde V, 22 in. *Quum iam humanae opes egestae a Veiis essent, amoliri tum Deûm dona coepere.*

nec aut c. aut flumini etc.) Negatio, si verum quaerimus, non refertur ad enuntiatum primarium, sed ad secundarium, ut scribendum fuerit: *et neque colli neque flumini satis fidens — permunit.* Satis frequens autem hoc attractionis genus esse, ostendimus ad XXII, 22, 4.

11 *nec — nec*) Quod priore loco positum est *nec*, una et refertur ad posterius *nec* et haec verba cum iis, quae antecedunt, connectit. V. de hoc dicendi genere ad XXI, 41, 15.

caetrato) De *caetratis* v. ad XXI, 21, 12.

robore an. viriumque) *Robur* et *vires* quomodo inter se differant, v. ad XXI, 1, 2, ubi videbis saepius apud Livium legi *robur virium.* Praeterea cf. supra ad c. 17, 4.

XXVII.

1 *Postquam — poterant*) De hac structura v. ad XXI, 12, 4; infra c. 42, 3.

2 *in agmine*) i. e. in itinere. Cf. XL, 39 extr. *primos tumultus, in agmine centuriones stare omnes, suo quemque loco, et arma expedire iubendo, sedavit.*

gentiam ex re, ut fit, bene gesta oriri senserat Hasdrubal, cohortatus milites, ut palatos sine signis hostes aggrederentur, degressus colle, pergit ire acie instructa ad castra. Quem ut adesse tumultuosi nuntii refugientes ex speculis 4

---

cohortatus m. — degressus) i. e. postquam cohortatus est milites, degressus colle pergit ire. Itaque nulla inserta est coniunctio. Cf. ad c. 1, 4 et ad XXI, 4, 7; infra c. 34, 16. 3

palatos) Superiore cap. §. 7 dixit: *ut palantes exciperent.* Sed utramque formam frequentem esse, apparet ex eis exemplis, quae ad XXI, 61, 2 allata sunt.

sine signis) ita ut non haberent, quo, si in eos impetus fieret, colligerentur ad resistendum.

pergit ire) De hac locutione diximus ad XXI, 22, 9.

tumultuosi n. refugientes — attulere) Optimorum codicum lectio est: *tumultuose nunciares* (vel *nunciare*) *fugientes ex speculis stationibusque attulere*, unde Gronovius *attulere* a mala manu esse ratus coniecit: *quem ut adesse tumultuose nunciavere refugientes ex speculis stationibusque, ad arma conclamatum est.* Probavere hanc coniecturam plerique omnes, qui deinde fuerunt, editores, nisi quod auctore Drakenborchio pro *refugientes* scripserunt *fugientes.* Sed *attulere*, quod omissum ab editoribus est, quum in uno tantum eoque exiguae fidei codice desit, non potest recte omitti. Similiter XXIV, 1, 6 Livius dixit: *refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant.* Itaque vera potius videtur esse vetus scriptura librorum typis expressorum, quam iniuria Drakenborchius sprevit: *tumultuosi nuntii, refugientes ex sp. st., attulere.* Librarii enim, quum iunxissent: *nuntiire fugientes*, pro *nuntiire* sive errore calami seu rectam sibi visi revocare formam posuerunt *nuntiare*, unde lectio illa codicum orta. Nam quod in nonnullis est *nuntiares*, *s* videtur, ut saepissime, natum esse ex insequenti litera *f.* Nec praetulerim ei lectioni, quod nuper Weissenbornius ex coniectura proposuit: *tumultuosi nuntii ac refugientes ex speculis stationibusque attulere*, ita ut primum nuntios venisse, deinde milites ipsos refugientes velit. Nam ex speculis late prospectum praebentibus (cf. XXII, 19, 6 et 7) non primum, sed alterum nuntium venisse, id, praesertim quum, ex propinquo hostes venisse, res ipsa indicet, parum credibile est; nec satis apparet, cur discernantur nuntii tumultuosi ab iis, qui ex speculis refugerint, quos et ipsos rem tumultuose nuntiasse, non est, quod dubitemus. Ad illustrandam locutionem conferri possunt: II, 24 in. *Latini equites cum tumultuoso advolant nuntio;* X, 33 sub fin. *fama tumultuosior etiam quam res erant;* XXVI, 9 post in. *Tumultuosius quam allatum erat;* XXVII, 33 in. *alii, maiorem afferentes tumultum, nuntii occurrunt;* IV, 28 med. *in otio tumultuosi, in bello segnes.* 4

5 stationibusque attulere, ad arma conclamatum est. Ut quisque
arma ceperat, sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati
in proelium ruunt. Iam primi conseruerant manus, quum
alii catervatim currerent, alii nondum e castris exissent.
6 Tamen primo ipsa audacia terruere hostem. Deinde, rari
in confertos illati, quum paucitas parum tuta esset, respi-
7 cere alii alios, et undique pulsi coire in orbem; et dum cor-
poribus applicantur armaque armis iungunt, in artum com-
pulsi, quum vix movendis armis satis spatii esset, corona
8 hostium cincti, ad multum diei caeduntur. Exigua pars,

---

5 *Ut quisque*) Etiam hic animadverte asyndeton. Cf. cap. pr. §. 8.

incompositi, inordinati) Est proprie: non instructi ad pugnam, nullo ordinum discrimine. V. XLIV, 38 extr. *Quid? quod hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus? Nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat et incompositis concurrendum?* Et prior quidem vox quum latius pateat, potest et complecti, quod inordinatum est. Cf. Liv. XL, 28 in. *dispersi, inordinati exibant*, ac deinde: *Adversus ita incompositos eos venientes.* Sed omnino interdum iunguntur haec vocabula, ubi de militibus dicitur nullo ordine agentibus ideoque pugnae parum idoneis. V. XLIV, 12 in. *incompositos atque inordinatos fugant;* XXII, 50, 8 *per hos, qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus;* ibid. 56 in. *Ad decem milia militum ferme esse incompositorum inordinatorumque* (de reliquiis pugnae Cannensis); XLIV, 12 in.

6 *ipsa audacia*) i. e. *eben durch ihre Kühnheit.* Et ita explicanda erant XXI, 9, 12 verba: *quum — ipso motu multo maiorem ignem ferret.*

coire in orbem) De hac locutione cf. ad XXII, 29, 5 et ad XXI, 56, 2.

7 *corporibus applicantur*) i. e. inter se sive alteri alteris. Nam *applicari* interdum ponitur sine casu, ut XXI, 28, 8 *in minorem applicatam* (ratem) *transgressi sunt;* XXVI, 44 extr. *dum applicant, dum partim exponunt scalas militesque.* Nonnulli minoris fidei codices: *dum corpora corporibus applicantur*, quod probarunt Crevierius et Doeringius. Probabilius est quod Weissenbornius unius ex optimis codd. (Flor.) lectione *applicant* nisus coniecit: *dum corpora corporibus applicant.* Nam hoc videntur firmare, quae sequuntur: *armaque armes iungunt.*

iorona h. cincti) Cf. quae supra dicta sunt ad c. 18, 5. Neque vero semper haec locutio ad eos refertur, qui ab omni

eruptione facta, silvas ac montes petit. Parique terrore et castra sunt deserta, et universa gens postero die in deditionem venit. Nec diu in pacto mansit. Nam subinde ab 9
Carthagine allatum est, ut Hasdrubal primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret; quae vulgata res per Hispaniam omnium ferme animos ad Romanos avertit. Ita- 10
que Hasdrubal extemplo literas Carthaginem mittit, indicans, quanto fama profectionis suae damno fuisset. *Si vero inde pergeret, priusquam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore. Nam praeterquam quod nec praesidium* 11
nec ducem haberet, quem relinqueret pro se, eos imperatores esse Romanos, quibus vix aequis viribus resisti possit. Itaque si ulla Hispaniae cura esset, successo- 12

---

parte aggrediuntur, sed etiam ad eos, qui undique vim hostium repellere student. V. IV, 27 med. *pars militum portarum stationes firmant*, *pars corona vallum cingunt;* ibid. 19 extr. *Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit.*

Nec) V. supra ad c. 3, 3. 9

in pacto) Codd. omnes: *in pacato.* Sed recte videtur Bekkerus ex Strothii coniectura recepisse: *in pacto. In pacato* de loco dixit Livius VIII, 34 extr. *vagi milites in pacato, in hostico errent.* Cf. et XXIX, 2 in. Quanquam autem non desunt exempla, ubi id adiectivum in neutro genere pro substantivo positum de eo dicatur, quod mentem seu sententiam prodat ad pacem inclinatam (ut XXI, 20, 7 *nec hospitale quicquam pacatumve satis prius auditum;* XXVIII, 3 post in. *Ubi nihil pacati respondebatur;* XXXI, 17 in.; XXXVI, 22 in.; XLIII, 18 sub fin.), tamen non videtur in eam sententiam per circumlocutionem *manere* coniungi posse cum *in* et neutro genere adiectivorum. Neque enim Latini dicunt: in fido, in amico etc. manere ut in fide, in amicitia sive fidum, amicum manere. Itaque Livium potius dicturum fuisse credibile est *in pace mansit*, ut XXX, 32 sub fin. Contra alterum, quod dedit Strothius, confirmat Cicero Verr. I, 6 *Nec diu in conditione ac pacto mansit.* Cf. et Nep. Ages. 2 *In qua pactione summa fide mansit Agesilaus;* Caes. b. g. I, 36 *si in eo manerent, quod convenisset.*

vero) *Vero* etiam hic emphasin habet. Cf. ad XXI, 10
11, 4. Opponitur autem ipsa profectio ut maius famae profectionis. Perperam igitur Crevierius pro *vero* suasit: *movere.*

si ulla H. c. esset) i. e. si vel minima cura esset. Cf. 12
XXVII, 9 sub fin. *si ulla pietas, si memoria antiquae patriae esset.*

cui ut — evenirent) *Ut* deest in optimis codicibus,

rem sibi cum valido exercitu mitterent; cui ut omnia prospere evenirent, non tamen otiosam provinciam fore.

1 XXVIII. Hae literae quanquam primo admodum moverunt senatum, tamen, quia Italiae cura prior potiorque erat, nihil de Hasdrubale neque de copiis eius mutatum est.
2 Himilco cum exercitu iusto et aucta classe ad retinendam
3 terra marique ac tuendam Hispaniam est missus; qui ut pedestres navalesque copias traiecit, castris communitis navibusque subductis et vallo circumdatis, cum equitibus delectis ipse, quantum maxime accelerare poterat, per dubios infestosque populos iuxta intentus ad Hasdrubalem pervenit.

---

deteriores pro eo habent *si*. Illud, quod, ut ait Crevierius, absorberi facile potuit ab ultimis duabus literis vocis proximae, Gronovius restituit. De vi vocis v. ad XXI, 47, 5; Z. §. 531; Weiss. §. 415 n. 2.

XXVIII.

1 *prior potiorque*) De vi, quae est in *priore* cf. II, 48 in. *neque bella neque delectus neque ullam aliam priorem curam agere;* III, 19 in. *consilium et modum adhibendo priores erant;* ibid. 59 extr. *ut Patrum salutis libertatisque prior plebeio magistratui quam patricio cura fuisset;* XXVII, 8 post in. *ut nemo tota iuventute haberetur prior nec probatior.* Cf. ad XXI, 4, 8. Adiungitur ut h. l. *potior*: VIII, 29 in.; XXXVI, 7 post in.; XXXIX, 47 in.; atque etiam in gradu superlativo: XXVI, 40 in. *primum ac potissimum omnium ratus.*
2 *Himilco*) Opponitur hic Hasdrubali. Hinc propter eam causam, de qua supra dictum est ad c. 5, 11, omissa est particula adversativa.
3 *pedestres navalesque c.*) Ita frequenter inter se opponi *pedestres* et *navales copias*, *pedibus* et *navibus* et quae sunt eiusdem generis, ostendimus ad XXI, 31, 11.

subductis) Naves quum statuebantur in sicco, *subduci* dicebantur. V. XXIX, 1 med. *novas* (naves) *Panormi subducit, quia ex viridi materia raptim factae erant, ut in sicco hibernarent;* XXVII, 17 med. *subductis navibus Tarracone;* XLII, 27 in. *ut ex veteribus quinqueremibus in navalibus Romae subductis, quae possent usui esse, reficeret;* XLV, 2 sub fin.; XXXI, 22 in.; XLV, 42 extr. Opponitur *deducere* ut XXXVII, 12 in. *naves, quae subductae Canis erant, deduxit.* V. ad XXI, 17, 3.

quantum maxime) Cf. supra ad c. 16, 12.

dubios) V. infra ad XXIV, 20, 13.

iuxta intentus) Male hoc Dukerus ita explicat: „aeque, haud minus intentus ad cavendas insidias aut vim quam

Quum decreta senatus mandataque exposuisset, atque edo- 4
ctus esset ipse in vicem, quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit, nulla re quam celeritate tutior, quod undique abierat, antequam consen-
tirent. Hasdrubal, priusquam moveret castra, pecunias im- 5
perat populis omnibus suae ditionis, satis gnarus, Hanni-
balem transitus quosdam pretio mercatum, nec auxilia Gal- 6
lica aliter quam conducta habuisse; inopem tantum iter ingressum vix penetraturum ad Alpes fuisse. Pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum descendit.

Decreta Carthaginiensium et Hasdrubalis iter ubi ad 7
Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus, ambo duces

---

infesti illi ac dubii populi ad insidias ipsi struendas aut vim faciendam." Contra vide VI, 6 extr. *parere atque imperare iuxta paratos;* XXI, 33, 4 *iuxta invia ac devia assueti;* V, 6 post in. *iuxta hieme atque aestate bella gerere posse;* IX, 13 sub fin. *iuxta obsidentes obsessosque inopia vexavit;* infra XXIV, 37, 4.

edoctus esset) Codices ad unum omnes praebent in- 4
eptam scripturam *edocuisset.* Hinc Valla coniecit scribendum aut *edidicisset* aut *edoctus fuisset.* Prius illud, receptum ab omnibus adhuc editoribus, tamen verum esse non videtur: nullus enim apud Livium locus est, ubi *ediscere* pro accurate cognoscendo posuit, quod ne apud alios quidem nisi rarissime legitur. Contra nihil apud eum frequentius, quam in eam, quae hic opus est, sententiam dictum verbum *edocendi;* cuius rei exempla afferre nihil attinet. Ac si ipsas literas spectes, multo facilius *edoctus esset* sive *edoctuseet* mutari potuisse in *edocuisset* quam in *edidicisset,* nemo est quin videat. Accedit quod saepissime in libris mss. ita confusa sunt plusquamperfecta activi et passivi, quod plurimis exemplis Drakenb. ostendit ad c. 29, 16.

retro — rediit) Similia v. ad XXII, 6, 7; infra c. 36, 6; XXIV, 39, 11; 40, 9.

consentirent) i. e. Hispani ubique, qua transibat. Non enim poterat fieri sine coetu et concursu, quum delectos equites praesidium secum duceret Himilco. Gronov.

transitus quosdam) De numero plur. huius verbi di- 5
versaque vi, quum vel locus intelligitur, per quem transitur vel ipsum *transire* sive copia transeundi cf. ad XXI, 23, 1; infra ad XXIV, 5, 5.

inopem — ingressum) V. supra ad c. 23, 9. Perperam 6
igitur plerique editores *inopem* distinctione separarunt a participio.

8 iunctis copiis ire obviam coeptis atque obsistere parant; rati, si Hannibali, vix per se ipsi tolerando Italiae hosti, Hasdrubal dux atque Hispaniensis exercitus esset iunctus, illum
9 Romani finem imperii fore. His anxii curis ad Iberum contrahunt copias; et, transito amne, quum diu consultassent, utrum castra castris conferrent an satis haberent sociis Carthaginiensium oppugnandis morari ab itinere proposito hostem,

---

7 *Decreta Carth. et iter Hasdr.*) De collocatione verborum v. infra ad c. 44, 5.

iunctis copiis) Non seiungenda haec, quod a plerisque editoribus factum est, distinctione a ceteris verbis; nam arctissime cohaerent inter se: *iunctis copiis ire — parant.* Cf. init. §. 9; praeterea de ablativo ad XXI, 48, 4; Z. §. 473; Weiss. §. 274. n. 6.

8 *illum Rom. f. imperii f.*) *Illum* unus, sed omnium praestantissimus cod. habet; ceteri alia alii. Cf. exempla a Gronovio laudata II, 11 extr. *Ita caesi in medio praedatores, neque ad pugnam viribus pares, et ad fugam saeptis omnibus viis. Finisque ille tam effuse evagandi Etruscis fuit;* III, 36 in. *Ille finis Appio alienae personae ferendae fuit;* ibid. 70 med. *magnam vim ex equis praecipitavere, ipsos equosque spiculis confodere. Is finis pugnae equestris fuit.* V. Z. §. 372 extr.; Sch. p. 372; Weiss. §. 157. n. 2. Quod ad structuram verborum attinet, maluit Livius causam, qua movebantur duces Romani, ut ita agerent (*rati, si H.* etc.), subiungere quam praemittere, quum multo gravior sic exsisteret orbis verborum exitus. Hinc periodus ex eo genere est, ubi medium locum tenet enuntiatio primaria, circumdatis enuntiatis secundariis, sed ita, ut quae minoris momenti sunt, praecedant, subsequantur quae pondere sententiae praevalent.

per se ipsi t. hosti) Cf. supra ad c. 19, 4 et ad verba: *Hispaniensis exercitus* ad c. 48, 11.

9 *transito amne*) Cf. II, 10 post in. *Si transitum pontem a tergo reliquissent;* XXI, 43, 4 *Alpes — transitae.*

castra c. conferrent) Cf. XXVI, 12 sub fin. *Sic ad Cannas, sic ad Trasimenum rem bene gestam: coeundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando;* IV, 27 post in. *nec, ex quo castris castra collata sunt, cessatum a levibus proeliis est;* X, 32 med. *Quum castra castris collata essent,— ausi Samnites sunt — castra Romana oppugnare;* XXVII, 12 med. *Marcellus vestigiis instabat castraque castris conferebat;* ibid. 27 in. *Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Hannibale, ut nunquam satis castra castris collata crederet;* XLIV, 20 in. In eandem sententiam dicuntur *castra castris coniungi*, ut III, 69 extr.; IV, 32 med.

morari ab itinere) Cf. X, 41 post in. *quos timor mo-*

urbem a propinquo flumine Iberam appellatam, opulentissi- 10
mam ea tempestate regionis eius, oppugnare parant. Quod 11
ubi sensit Hasdrubal, pro ope ferenda sociis pergit ipse ire ad urbem, deditam nuper in fidem Romanorum, oppugnandam. Ita iam coepta obsidio omissa ab Romanis est, et in 12
ipsum Hasdrubalem versum bellum.

XXIX. Quinque milium intervallo castra distantia ha- 1
buere paucos dies, nec sine levibus proeliis, nec ut in aciem exirent. Tandem uno eodemque die velut ex composito 2
utrimque signum pugnae propositum est atque omnibus copiis in campum descensum. Triplex stetit Romana acies; 3

---

raretur a fuga; ibid. 43 in. *eum nuntius — ab impetu moratus est;* XXV, 11 in. *ne se ipsum cura tuendi Tarentinos a maioribus rebus moraretur;* ibid. post in. *sed ab effusa fuga loci angustiae eos — morabantur.*

urbem a pr. fl. appellatam) Cf. I, 13 med. *Quiri-* 10
tes a Curibus appellati; 23 in. *fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot saecula appellata est;* VII, 6 post in. *lacumque Curtium non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metto, sed ab hoc appellatum;* X, 38 extr.; XXXVII, 31 extr. Omissa praepositione, ita ut ablat. instrumenti sit, I, 7 in. *urbs conditoris nomine appellata.*

pro ope ferenda) i. e. pro eo, ut opem ferret. Cf. 11
ad XXII, 1, 2 et ibid. ad c. 12, 12.

urbem) V. ad c. 14, 3.

Ita) Hand. Tursell. III, p. 487. 13: „In narrandis rebus 12
ita concludit expositionem et breviter exprimit sententiam: *ita factum est ut*, qua aut adiicitur eventus, aut iudicium apponitur omnia, quae narrata erant, in unum colligens. Plerumque autem nexum eo modo indicat, quo Germani dicunt *so*, *unter diesen Umständen.*" V. infra XXIV, 19, 6; 32, 8; 34, 16; 41, 10.

XXIX.

Quinque milium) i. e. passuum. De frequenti hac 1
ellipsi v. ad XXI, 59, 1.

ut — exirent) V. ad c. 26, 2.

ex composito) Saepissime hac locutione Livius usus 2
est. V. infra c. 35, 13; I, 9 med.; ibid. 40 extr.; ibid. 53 med.; III, 16 in.; ibid. 63 med.; IV, 60 extr.; XXV, 19 post in. et ita plurimis aliis locis. Cf. ad XXI, 32, 7.

signum pugnae) De hoc v. ad XXII, 3, 9.

omnibus copiis) V. super. cap. ad §. 7.

Triplex stetit) „Est haec mens Livii: Triplex stetit 3
Romana acies, hastatorum, principum, triariorum: hos intel-

velitum pars inter antesignanos locata, pars post signa ac-
4 cepta; equites cornua cinxere. Hasdrubal mediam aciem
Hispanis firmat; in cornibus, dextro Poenos locat, laevo
Afros mercenariorumque auxilia; equitum Numidas Poenorum
5 peditibus, ceteros Afris pro cornibus apponit. Nec omnes
Numidae in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in
modum binos trahentibus equos inter acerrimam saepe pu-
gnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos
erat: tanta velocitas ipsis tamque docile equorum genus est.

---

lige partim antesignanos partim sub signis: extra hunc numerum velites, quorum alios intermixtos antesignanis, alios post signa locatos fuisse ait: tum equitem in duo cornua divisum. *Velites* autem hic intellige non illos eximios, quos l. 26, 4 demum in obsidione Capuae institutos narrat, consentiente Valerio Maximo 2, 3, sed in genere levis armaturae militem." Gronov. Cf. ad XXII, 5, 7.

velitum) V. praeter ea, quae modo laudata sunt, ad XXI, 55, 11, ubi pro XXX, 23 in. scribendum est: XXX, 33 in.

4 *Hispanis*) De ablativo instrum. in hominibus posito v. ad XXI, 46, 5.

in cornibus, dextro etc.) Cf. ad c. 26, 2; infra c. 33, 4.

mercenariorumque) Cf. supra ad c. 11, 7, et de genitivo *equitum* ex nomine proprio pendente ad XXII, 40, 6.

pro cornibus) i. e. ut eorum cornua essent. Cf. Liv. X, 27 extr. *Adversus Samnites Q. Fabius primam ac tertiam legiones pro dextro cornu, adversus Gallos pro sinistro Decius quintam et sextam instruxit;* XXVIII, 14 post in. *erant autem utrimque Hispani pro cornibus.*

apponit) Hoc in duobus tantum vilioribus codicibus superest, ceteri omnes *opponit*, quod perperam retinuerunt Gronovius et Drakenborchius, eiusmodi exemplis defendi eam scriptionem posse rati, qualia attulimus ad XXI, 47, 4, in quibus quum non sit additus dativus, ut hic *Afris*, et verbum opponendi ad hostes referatur, plane alius sunt generis. *Apponere* pari modo hic dicitur atque supra c. 16, 14; XXXIV, 15 extr. *statio, quae portae apposita erat.*

5 *desultorum in modum*) Ita saepe aequalitatem, ubi ad actiones refertur, Livius exprimit. V. ad XXI, 30, 8. *Desultores* dicebantur, qui in circensibus ludis iunctos equos plures secum trahebant, ut inter ipsum cursum ex uno in alterum transsilirent.

armatis transsultare) De dativo v. ad XXI, 44, 8; Weiss. §. 322.

Quum hoc modo instructi starent, imperatorum utriusque 6
partis haud ferme dispares spes erant: nam ne multum quidem aut numero aut genere militum hi aut illi praestabant; militibus longe dispar animus erat. Romanis enim, quanquam 7
procul a patria pugnarent, facile persuaserant duces, pro Italia atque urbe Romana eos pugnare: itaque velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnae verteretur, obstinaverant animis vincere aut mori. Minus pertinaces viros 8

---

haud ferme) Hand. Tursell. II, p. 695: „Cum negatione composita *non ferme*, *non fere* dicuntur pro *non valde* et pro *non adeo nicht eben*, *nicht gerade*." Cf. Liv. XXXVI, 43 in. *numero non ferme impares futuros se*; Cic. de rep. II, 5 extr. *nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius alia in parte Italiae posita urbs tenere potuisset*; ibid. 34 extr. *voluptatibus erant inferiores nec pecuniis ferme superiores.* 6

hi aut illi) V. infra ad XXIV, 3, 17.

militibus) V. supra ad c. 5, 11.

quanquam — pugnarent) Haec est pars obliquae orationis pendentis ex verbo persuadendi. Ob eam causam posuit Livius coniunctivum. Cf. c. 32, 3. 7

pro Italia atque urbe R.) V. supra ad c. 20, 10.

reditus in patriam) De hac iunctura v. ad XXI, 11, 13.

eo discrimine p. verteretur) Germanis videtur dicendum fuisse: *eius discrimine pugnae*. Sed verba *discrimen pugnae* arctissime coniuncta pro una sunt notione, velut si nostro sermone dicas: *Kampfentscheidung*. Hinc pronomen adiunctum nomini discriminis. Frequentissima est autem apud Livium locutio *verti al. re* sive *in aliqua re* de rebus, quae ex aliquo pendent. Ita cum ablativo ut h. l. etiam III, 27 extr. *puncto saepe temporis maximarum rerum momenta verti*; adiuncta praepositione *in*: I, 30 extr. *quum — verti in eo res videretur. utrum* etc.; IV, 31 post in. *in eo verti spes civitatis*; VIII, 27 in. *Discrimen profecto rerum suarum in bello Samnitium eventuque eius verti*; XXXII, 15 in. *quum consul in eo verti crederet Thessalorum animos*, *si primi vim Romanam non sustinuissent*; ibid. 34 in. etc. Praepositionem *circa* cum eo verbo coniunxit XXXVI, 7 in. *Quum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur.*

obstinaverant) Aliis locis Livius participium perf. pass. cum infinitivo vel *ad* solet ponere. V. VII, 21 in. *dictatore obstinato tollere potius totum e republica consulatum*; IX, 25 med. *obstinatos claudere* (portas); ibid. 32 sub fin.; XXVIII, 22 extr.; XLII, 65 extr. *Ad* adiunxit VI, 3 extr. *quibus animi obstinati ad decertandum fuerant*; V, 41 in. *obstinato ad mortem animo.*

habebat altera acies: nam maxima pars Hispani erant, qui
vinci in Hispania quam victores in Italiam trahi malebant.
9 Primo igitur concursu, quum vix pila coniecta essent, re-
tulit pedem media acies, inferentibusque sese magno impetu
10 Romanis, terga vertit. Nihilo segnius cornibus proelium
fuit: hinc Poenus hinc Afer urget, et velut in circumventos
11 proelio ancipiti pugnant. Sed quum in medium tota iam
coisset Romana acies, satis virium ad dimovenda hostium
12 cornua habuit. Itaque duo diversa proelia erant: utroque
Romani, ut qui, pulsis iam ante mediis, et numero et ro-
13 bore virorum praestarent, haud dubie superarunt. Magna
vis hominum ibi occisa, et, nisi Hispani, vixdum conserto
proelio, tam effuse fugissent, perpauci ex tota superfuis-
14 sent acie. Equestris pugna nulla admodum fuit, quia, si-

---

8 *viros*) V. supra ad c. 18, 4.

10 *cornibus*) Editores omnes retinuerunt *in cornibus;* sed praepositio recte abest a decem codd. iisque partim optimis. Neque enim quod iam exponitur proelium *in* cornibus fuit, sed cornuum sive cornibus adversus irrumpentes in medium Romanos: nam cornua, quae hic opponuntur mediae aciei (§. 9), sicut ipsa media acies, non utriusque exercitus sunt, sed Punici. Sententia igitur haec est: Etsi media acies statim terga verterat, tamen cornua nihilo segnius pugnavere.

hinc — hinc) V. ad XXI, 8, 8; praeterea de verbo *urgendi* absolute posito ibid. ad 34, 6.

velut in circumventos) Quum in medium aciei hostilis Romani sese intulissent, a dextra laevaque infestos habebant hostes in cornibus locatos, qui iam conversi ab utraque parte urgebant. Itaque velut circumventos Romanos fuisse Livius dicit ac duo diversa proelia (cf. ad XXI, 30, 2), quod altera parte laevum repellendum erat hostium cornu, altera dextrum.

proelio ancipiti) V. supra ad c. 24, 9.

12 *iam ante*) Quod in omnibus fere libris manu scriptis est: *pulsis tandem mediis*, id alienum esse, complures editores viderunt, quum *tandem* in eo ponatur, quod serius fit, quam exspectes. Itaque praestantissimo codice praebente: *tandantem*, Gronovius censuit scribendum esse: *iam ante*, quod cum Bekkero recepimus. Nam *tandem* referri ad verba: *numero et robore virorum praestare*, quod Strothius voluit, neque verborum collocatio neque ratio sententiae patitur.

13 *effuse f.*) Cf. ad XXI, 25, 8.

14 *nulla admodum*) i. e. paene nulla. V. ad XXI, 36, 2.

mul inclinatam mediam aciem Mauri Numidaeque viderunt, extemplo fuga effusa nuda cornua, elephantis quoque prae se actis, deseruere. Et Hasdrubal, usque ad ultimum even- 15
tum pugnae moratus, e media caede cum paucis effugit.
Castra Romani cepere atque diripuere. Ea pugna, si qua 16
dubia Hispaniae erant, Romanis adiunxit, Hasdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in Hispania spem reliquerat. Quae post- 17
quam literis Scipionum Romae vulgata sunt, non tam victoria quam prohibito Hasdrubalis in Italiam transitu laetabantur.

XXX. Dum haec in Hispania geruntur, Petelia in 1
Bruttiis aliquot post mensibus, quam coepta oppugnari erat, ab Himilcone, praefecto Hannibalis, expugnata est. Multo 2

---

nuda c. — deseruere) i. e. deseruere, ita ut nuda sive nullo tecta praesidio essent. V. de structura ad XXI, 33, 3.

Et Hasdrubal) Cf. supra ad c. 21, 6. 15

Hispaniae) Libri typis expressi: *in Hispania.* Sed quum 16
in optimis codd. praepositio non sit, recipienda visa est Crevierii coniectura: *si qua dubia Hispaniae erant*, quum fieri facillime potuerit, ut *e* litera negligeretur.

non modo) V. Z. §. 726; Sch. p. 627; Weiss. 349. n. 1; infra c. 42, 4; XXIV, 33, 3.

reliquerat) Ita optimi quique et plurimi libri manuscripti, quae lectio cur mutanda tantum non omnibus editoribus visa sit (solus enim Bekkerus eam retinuit, ceteri plerique omnes *reliquit* receperunt), nihil idoneae causae apparet. Neque enim quicquam obstat, quo minus statuas, quo tempore adiuncti sint Romanis Hispani, nihil iam spei relictum fuisse Hasdrubali, ut qui, quid consecuturum esset, praevidere animo posset. Et aliis quoque locis simili modo transitus fit a perfecto vel praesenti historico ad plusquamperfectum aut contra. Cf. VI, 21 med. *exercitus propter pestilentiam non eductus. Eaque cunctatio colonis spatium dederat deprecandi senatum;* ibid. 38 sub fin. *Terrorem ingentem incusserat plebi; ducibus plebis accendit magis certamine animos quam minuit;* XXVI, 37 in. *miscuerant — fuit — vertit;* X, 44 med. *terruerat — fecit — ceperant;* III, 3 post in. *redierat — imposuit;* XXXIX, 31 sub fin. *ceperant — palati sunt.* Et cf. infra ad XXIV, 43, 3.

XXX.

Petelia) Cf. supra c. 20. 1

sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit, nec ulla
3 magis vis obsessos quam fames expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis carnisque omnis generis quadrupedum, *sutrinae postremo coriis herbisque et radicibus et corticibus

---

2 *Multo sanguine — stetit*) Cf. III, 60 in. *haud scio an — magno detrimento certamen staturum fuerit;* XXXIV, 50 med. *Polybius scribit, centum talentis eam rem Achaeis stetisse.* V. Z. §. 456; Sch. p. 434 sq.; Weiss. §. 265. n. 3. *obsessos — expugnavit*) Cf. §. 4; XXV, 28 sub fin. *ut crudeles tyrannos eius, non ut ipsam urbem, expugnarent;* XXXIII, 8 post in. *quos ad Epiri fauces — expulissent acieque expugnassent;* XXXVII, 25 med. *Philippum et Nabin expugnatos.* V. infra ad XXIV, 8, 16.

3 *sutrinae*) Codd. optimi non exhibent *sutrinae*, sed *suetaeque*, quod retinuit Salmasius fortasse intelligens: et maxime suetae carnis. Sed sententia parum apta est. Alii libri habent: *suetemque* vel *sueturaeque*, unus in margine quod Valla coniecit: *scutorumque*, unus *scutumque*. Editores plerique receperunt *sutrinae*, quod non videtur probandum. Nam et supervacanea est haec vox et exspectes potius numerum pluralem quam singularem. Aptior sane est Vallae coniectura, sed tamen ne ea quidem satis probabilis, quum ab optimorum librorum scriptura longius discedat, et Livius videatur aliquod nomen posuisse, quod et ipsum ad vocem *carnis* referretur. Ad hoc, si Vallam sequeris, contra libros mss. *que* coniunctio omittenda erit post *scutorum*. Neque enim scutorum coria adnumeranda sunt iis rebus, quas prius absumserunt, quam ad ultima, quibus sustentarent vitam, subsidia transirent, sed potius his ipsis. Fortasse scribendum *ceteraeque*, ut indicetur, eos omnis generis quadrupedum et ceterae carnis v. c. alitum alimenta absumsisse. *Ceterae* in casu genit. num. singul. non semel Livius dixit, ut XXIV, 20 extr. *ceterae praedae haud multum;* XXVII, 15 in. Neque aliis h. v. in num. singul. positae formis praeter casum nominativum gen. masc., quem nec ipse nec alii habent, abstinet. Ita *cetera* in casu nominativo num. singul. habes XXII, 52 extr.; XXIV, 40 extr.; XXXII, 37 in.; XXXV, 26 extr. etc.; *ceteram* VI, 8 med.; VIII, 11 post in.; XXXIV, 36 med. etc.; *cetera* (ablat.) XXIV, 23, 4; XXV, 13 med.; XXXI, 14 med.; XXXVII, 28 extr.; XL, 12 post in. etc.; *ceterum* (nomin. gen. neutr.) XXII, 20 med.; *cetero* (dat. mascul. gen.) XXVIII, 4 in.; *cetero* (ablat. masc. gen.) III, 19 sub fin.; XXIX, 35 in. Sed ut eo redeat oratio, unde digressa est, nuper Otto scribendum esse coniecit: *carnisque omnis generis quadrupedum insuetae, postremo* etc. Ita tamen et omittitur *que*, nec, cur alimenta carnis insuetae tantum absumserint, liquet. Quare potius probaverim: *carnisque omnis generis quadrupedum, insuetae suetaeque,* seu *suetae insuetaeque;* posteriorum enim vocum

teneris strictisque rubis vixere, nec, antequam vires ad 4
standum in muris ferendaque arma deerant, expugnati sunt.
Recepta Petelia, Poenus ad Consentiam copias traducit, 5
quam, minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in de-
ditionem accepit. Iisdem ferme diebus et Bruttiorum ex- 6
ercitus Crotonem, Graecam urbem, circumsedit, opulentam
quondam armis virisque, tum iam adeo multis magnisque
cladibus afflictam, ut omnis aetatis minus viginti milia ci-
vium superessent. Itaque urbe a defensoribus vasta facile 7
potiti hostes sunt; arx tantum retenta, in quam inter tu-
multum captae urbis e media caede quidam effugere. Et 8
Locrenses descivere ad Bruttios Poenosque, prodita multi-
tudine a principibus. Rhegini tantummodo regionis eius et 9
in fide erga Romanos et potestatis suae ad ultimum man-

---

alteram excidere facile potuisse, manifestum est. Ac nescio an ea scriptio ceteris praeferenda sit omnibus.

strictisque rubis) Stringi et arbores ipsae dicuntur stirpesque, quum foliis vel baccis privantur, et quae decerpuntur baccae. Illud Livius videtur intellexisse. Cf. qui de eadem re exponunt: Polyb. VII, 1 *εἰς τοσοῦτον καρτερίας ἦλθον, ὥστε μετὰ τὸ πάντα μὲν τὰ κατὰ τὴν πόλιν δέρματα καταφαγεῖν, ἁπάντων δὲ τῶν κατὰ τὴν πόλιν δένδρων τοὺς φλοιοὺς καὶ τοὺς ἁπαλοὺς πτόρθους ἀναλῶσαι*; Frontin. IV, 5, 18 *coriis madefactis et igne siccatis foliisque arborum et omni animalium genere vitam trahentes, undecim menses obsidionem toleraverunt.*

antequam — deerant) Ponitur post *antequam* et *priusquam* etiam imperfecti indicativus, quum res facta neque ad cogitationem relata memoratur. Cf. infra c. 48, 1. Perperam igitur Handius (Tursell. I, p. 401) negat, imperfectum indicativi unquam compositum esse cum *antequam*. 4

Recepta P.) V. supra ad c. 11, 7. 5

a def. vasta) Hanc lectionem teste Gronovio optimus liber servavit, ceteri fere habent *vastata*. Cf. Sall. Iug. 48 *mons — vastus ab natura et humano cultu*. V. Z. §. 305; Sch. p. 608. 5; Weiss. §. 249. n. Crotonem etiam infra (XXIV, 2, 9 et 3, 11) vastam urbem Liv. dicit. Ceterum quae hic paucis exponit, eadem infra initio libri XXIV. plenius persequitur. Temporum igitur hic rationem videtur neglexisse, ut in unum colligeret et paucis verbis doceret, quicquid in Bruttiis hostium ditionis factum esset. 7

potiti h. sunt) Ita nonnulli ex optimis codicibus, quod ut Livii dictioni maxime accommodatum recipiendum visum est. Cf. ad c. 20, 8. Ceteri: *potiti sunt hostes*.

10 serunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit, et ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abs-
11 tinuit. Namque Gelo maximus stirpis, contempta simul senectute patris simul post Cannensem cladem Romana so-
12 cietate, ad Poenos defecit; movissetque in Sicilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suspicione aspergeret, armantem eum multitudinem sollicitantemque socios
13 absumpsisset. Haec eo anno in Italia, in Africa, in Sicilia, in Hispania vario eventu acta. Exitu anni Q. Fabius Maximus a senatu postulavit, ut aedem Veneris Erycinae,
14 quam dictator vovisset, dedicare liceret. Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius consul designatus, quum primum honorem inisset, ad populum ferret, ut Q. Fabium duumvirum

---

10 *et ne domus quidem*) Cf. II, 30 extr. *et ne ad fugam quidem satis virium fuit*; V, 49 sub fin. *et ne nuntius quidem cladis relictus; XXXII*, 34 in. *Et erat dicacior natura, quam regem decet, et ne inter seria quidem risu satis temperans;* infra XXIV, 25, 5; XXXVIII, 24 post in. *Nec—quidem* in eam sententiam non dixit Livius.

11 *maximus*) i. e. maximus natu. Sed plurimis locis Livius *natu* omittendo satis habuit dixisse, *maior*, *minor*, *maximus* etc. V. I, 3 in. *Haud nihil ambigam*, *hiccine fuerit Ascanius an maior quam hic;* ibid. extr. *qui stirpis maximus erat;* ibid. 46 extr. *Tullia minor;* ibid. 53 med. *Sextus filius eius*, *qui minimus ex tribus erat;* VI, 34 med. *filiae duae nuptae*, *Ser. Sulpicio maior*, *minor C. Licinio Stoloni erat;* XXI, 31, 6; XXIX, 29 med. etc.

13 *Exitu anni*) V. supra ad c. 8, 8; infra c. 48, 4.

Veneris Erycinae) V. XXII, 9, 10 et ibi annot. et ibid. c. 10, 10.

14 *ut Q. F. duumvirum esse i.*) i. e. ut duumviri crearentur interque eos esset Q. Fabius, qui aedem dedicaret. Cf. c. 31, 9. Adde Gronovii annotationem: Quod postea duarum aedium dedicandarum causa duumviros creatos narrat, minime cum his pugnat. Hic enim mos historicorum est, multa reticere, quae ex consequentibus narratis facta intelliguntur. Cogitandum igitur, occasione huius mentionis a Fabio illatae etiam Otacilium de aede ab se vota sermonem movisse et par decretum tulisse. Saepe autem Livius sic loquitur. Cf. II, 42 post in. de aede Castoris Latino bello a Postumio dictatore vota: *Filius eius*, *duumvir ad id ipsum creatus*, *dedicavit;* VI, 5 extr. *Eo anno aedes Martis Gallico bello vota*, *dedicata est a T. Quinctio duumviro sacris faciundis;* XXXIV, 53 extr. *aedem Fortunae Primigeniae in colle Quirinali dedicavit Q.*

esse iuberent aedis dedicandae causa. Et M. Aemilio Le- 15
pido, qui bis consul augurque fuerat, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum et gladiatorum
paria duo et viginti per triduum in foro dederunt. Aediles 16
curules C. Laetorius et Ti. Sempronius Gracchus, consul designatus, qui in aedilitate magister equitum fuerat, ludos
Romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebeii 17
ludi aedilium M. Aurelii Cottae et M. Claudii Marcelli ter instaurati.

U. c. 537 a. C. 215.

Circumacto tertio anno Punici belli, Ti. Sempronius
consul Idibus Martiis magistratum iniit. Praetores Q. Ful- 18
vius Flaccus, *qui ante bis consul censorque fuerat, urbanam, M. Valerius Laevinus peregrinam sortem in iurisdi-

---

Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus; XXXVI, 36 extr.

Et M. Aemilio L.) Cf. supra ad c. 19, 15. Dativus 15
autem saepe eum indicat, cuius in honorem aliquid fit.

per triduum in f.) Verba *per triduum* hoc loco delenda censuit Crevierius. Ita Liv. XXXI, 50 in. et XXXIX, 46 in. altero tantum loco numerum dierum adiecit. Sed bene monet Drakenborchius, haud supervacua esse illa verba, quum non semper per totidem dies gladiatores exhibiti fuerint, per quot ludi funebres. V. XLI, 28 extr.

ludos Romanos) Cf. I, 35 extr. Edebantur hi ludi ab 16
aedilibus curulibus in honorem Iovis, Iunonis, Minervae mense Septembri. Contra ludos plebeios, quorum postea mentionem facit Livius, aediles plebis mense Octobri edebant. Emendanda ex his Sabellici est annotatio, quam ad XXII, 10, 7 attulimus.

instaurati) i. e. denuo facti, quod fere fiebat, quum aliqua religio animis obiecta esset. Cf. v. c. quae exponit Livius II, 36 vel V, 52 med.

ante bis) Codd. pro *ante bis* habent *antea.* Illud le- 18
gendum esse, primus vidit Iacobus Perizonius, cuius haec verba sunt: „Iam bis ante consul fuerat anno DXVI et DXXIX, ut videre est in fastis Capitolinis. Unde et infra XXV, 3 in. *tertium* consul fieri dicitur. Latet numerus in litera A, deditque Livius, *qui ante II consul censorque fuerat.* Plane ut infra de hoc ipso homine XXV, 5 in. *Q. Fulvius Flaccus consul, qui et ante bis consul et censor fuerat;* et de eodem XXVIII, 45 in. *Q. Fulvius, qui quater consul et censor fuerat.* Sic hoc cap. paulo ante (§. 15); c. 21, 6; c. 34, 15. Atque ita semper.“ Cave autem *bis* etiam cum nomine censoris coniungas. V. ad c. 23, 2.

ctione habuit; Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mucius
19 Scaevola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello pro consule imperium esse populus iussit, quod post Cannensem cladem unus Romanorum imperatorum in Italia prospere rem gessisset.

1 XXXI. Senatus, quo die primum est in Capitolio consultus, decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum impera-
2 retur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium praesens omnibus militibus daretur, praeterquam qui milites
3 ad Cannas fuissent. De exercitibus ita decreverunt, ut duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius consul Cales ad conveniendum diem ediceret; inde eae legiones in castra

---

sortem) Sortem saepe munus intelligendum esse sorte datum, pluribus exemplis ostendimus ad XXII, 35, 5.

19 *pro consule*) Ita optimi codices; alii *proconsuli*, quod alienum videtur. Neque enim hoc ponere Livius poterat, quum Marcellus nondum proconsul esset, sed tunc populus imperaret, ut pro consule sive proconsul imperium retineret. Ita *pro consule* vel *pro praetore* saepe apud Livium invenias, ubi ea dictio non appositio est nominis proprii, sed praedicato adiungitur. V. III, 4 extr. *pro consule T. Quinctium — mitti* (visum est); IV, 41 sub fin. *qui tribunus militum pro consule ad Veios fuerat;* VIII, 23 post med.; X, 29 in.; XXIV, 10, 4; XXVII, 21 med.; ibid. 22 post in. etc.

XXXI.

1 *quo*) V. Z. §. 536; Sch. p. 638. 22; Weiss. §. 149.

2 *stipendium praesens*) Cf. XXXVI, 4 med. *stipendium, quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, praesens omne daturos.* Similiter *pecunia praesens dari* seu *numerari* dicitur. V. XXIX, 16 post in. *ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur: primam praesentem ii, qui tum essent, duas tertii et quinti consules numerarent;* XXXIII, 30 sub fin. *Mille talentum daret populo Romano: dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum;* XXXVII, 45 post med.; XXXVIII, 8 extr.; XLIV, 27 post med. Sic et *multa praesens* dicitur in civitates imposita X, 37 post in. Cf. praeterea ad XXI, 5, 5.

3 *C. ad conveniendum d. ediceret*) V. ad XXII, 11, 3.

eae legiones) Ita scribendum esse vidit Iac. Perizonius, codices omnes habent: *sex legiones*, quod Bekkerus retinuit. Cf. §. 5.

in castra Claudiana) Ita appellata sunt a M. *Claudio* Marcello. Cf. supra c. 17, 3.

Claudiana supra Suessulam deducerentur; quae ibi legiones 4
essent (erant autem Cannensis maxime exercitus), eas Ap.
Claudius Pulcher praetor in Siciliam traiiceret; quaeque in
Sicilia essent, Romam deportarentur. Ad exercitum, cui 5
ad conveniendum Cales edicta dies erat, M. Claudius Marcellus missus, isque iussus in castra Claudiana deducere urbanas legiones. Ad veterem exercitum accipiendum dedu- 6
cendumque inde in Siciliam T. Metilius Croto legatus ab
Ap. Claudio est missus.

Taciti primo exspectaverant homines, uti consul comi- 7
tia collegae creando haberet; deinde, ubi ablegatum velut de industria M. Marcellum viderunt, quem maxime consulem in eum annum ob egregie in praetura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus. Quod ubi sensit con- 8
sul, *Utrumque*, inquit, *e republica fuit, Patres conscripti, et M. Claudium ad permutandos exercitus in Campaniam proficisci, et comitia non prius edici, quam is inde, confecto, quod mandatum est, negotio, revertisset, ut vos consulem, quem tempus reipublicae postularet, quem maxime vultis, haberetis.* Ita de comitiis, 9

---

edicta dies erat) V. supra ad c. 26, 1. 5
exspectaverant, uti — h.) Livius quoque verbo 7
exspectandi fere adiungit *ut.* V. IX, 32 med. *exspectantes, ut ab adversariis clamor et pugna inciperet;* XXVI, 18 post in. *exspectaverant, ut, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur;* XXXIII, 39 extr.; XXXV, 8 med. Nonnullis locis sequitur *quam mox*, ut III, 37 med. *Exspectabant, quam mox consulibus creandis comitia edicerentur;* XXXIV, 11 med. *quum — quam mox signis collatis dimicandum sit, in dies exspectet;* vel *dum*, ut X, 36 in. *stabant exspectantes, dum ab hostibus prius impetus, prius clamor inciperet.*
quem m. vultis) Vetustiores libri typis expressi cum 8
duobus deterioribus codd. coniunctionem *que* vel *et* pronomini relativo addunt. Quam lectionem ut sequendam non esse ostendat, minus bene Drakenborchius laudat exempla, ubi Livius per anaphoram apud eum frequentem pronomen iteravit, qui loci vel ob eam causam differunt, quod iteratum pronomen aut idem verbum adiunctum habet aut certe idem verbi tempus modumque eundem (v. c. I, 59 post in.; II, 20 extr.; V, 27 extr.; VIII, 39 post in.; X, 8 post in.; XXI, 41, 9 etc.). Hoc autem loco *quem* non solum refertur ad *consulem*, sed etiam ad

donec rediit Marcellus, silentium fuit. Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus et T. Otacilius Crassus aedibus dedicandis, Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinae.
10 Utraque in Capitolio est, canali uno discretae. Et de trecentis equitibus Campanis, qui, in Sicilia cum fide stipendiis emeritis, Romam venerant, latum ad populum, ut cives Romani essent; item, uti municipes Cumani essent, pridie
11 quam populus Campanus a populo Romano defecisset. Maxime, ut hoc ferretur, moverat, quod, quorum hominum essent, scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam,

---

adiuncta ei voci verba: *quem tempus reipublicae postularet*, ita ut postulatus tempori reipublicae consul patribus maxime placere dicatur. Nec sine causa altero loco positus est coniunctivus imperfecti, altero indicativus praesentis. Nam prius illud, non alterum, respiciens comitia distulerat.

9 *Menti*) Cf. ad XXII, 9, 10.

discretae) Maluit hic numerum pluralem ponere, quanquam ante dixerat: *utraque — est*, quod *discretum uno canali* non poterat nisi ad duas sive ambas referri i. e. ita, ut sub unam cogitationem aedes illae caderent, non singulae cogitarentur. Locutus est igitur πρὸς τὸ σημαινόμενον. Potest tamen et maior distinctio poni post *est*, ut sententia sit: *canali uno discretae* (sunt i. e. aedes).

10 *de trecentis e. C.*) Cf. supra c. 4 extr.

latum ad p.) Codd. tantum non omnes: *delatum ad p.* Hinc plerique omnes editores ex Sigonii coniectura receperunt: *dein latum ad p.* Sed quum praestantissimus cod. a m. 1. habeat *latum ad p.*, videtur hoc praeferendum esse. Putandi autem sunt hi equites plenam civitatem Romanam i. e. cum suffragii latione accepisse. Nam civitatem sine suffragio haud dubie iam ante habuerant, quippe quae iam pridem Campanis data esset. V. Liv. VIII, 14 extr.; cf. et XXVI, 33; XXXI, 31 med.

pridie quam) Hoc eo consilio, ut ait Strothius, factum, ne, quo tempore defecerunt Campani, hi equites Campani fuisse atque una cum popularibus defecisse viderentur. Breviter autem significatur hoc: ut putarentur municipes Cumani facti esse pridie quam etc. sive: ut in tabulas m. C. referrentur diesque ascriberetur pridie quam etc. Itaque opus non est Gronovii coniectura: *ex ante diem pridie quam.*

11 *moverat*) *Movere* non uno modo absolute dicitur. Cf. ad h. l. XXI, 61, 13; praeterea XXXVII, 15 extr. *Haec maxime movit sententia.*

quorum h. essent) h. e. cuius populi cives se profiterentur. Doering. *Quorum hominum* ut I, 32 post med. et extr. *hominibus priscis Latinis.*

in quam redierant, nondum asciti. Postquam Marcellus ab 12
exercitu rediit, comitia uni consuli rogando in locum L.
Postumii edicuntur. Creatur ingenti consensu Marcellus, 13
qui extemplo magistratum occiperet. Cui ineunti consulatum quum tonuisset, vocati augures vitio creatum videri pronuntiaverunt; vulgoque Patres ita fama ferebant, quod tum primum duo plebeii consules facti essent, id deis cordi non esse. In locum Marcelli, ubi is se magistratu abdica- 14
vit, suffectus Fabius Maximus tertium. Mare arsit eo anno; 15
ad Sinuessam bos equuleum peperit; signa Lanuvii ad Iunonis Sospitae cruore manavere, lapidibusque circa id tem-

---

qui — occiperet) De coniunctivo cf. supra ad c. 24, 3. 13
Cf. III, 19 in. *L. Quinctius Cincinnatus consul creatur, qui magistratum statim occiperet;* V, 9 in. *Non exspectandum iustum tempus comitiorum, sed extemplo novos tribunos militum creandos esse, qui Calendis Octobribus magistratum occiperent*, et ibid. extr. *victi consensu omnium comitia tribunorum militum habuere, qui Calendis Octobribus magistratum occiperent;* V, 11 post med.; IX, 8 in.; XLI, 17 sub fin.

Cui — quum tonuisset) Poterat Livius etiam ablativis absolutis uti, sed dativus aptior visus, quippe qui significaret, rem ad Marcellum munus ineuntem pertinuisse.

vitio cr. videri) De hac locutione v. ad XXII, 33, 12. *Videri* unus codex omittit; sed proprium id esse in hac re augurum verbum, Drakenborchius annotat. Cf. VIII, 23 sub fin.; ibid. 15 post med. Quod ad ipsam rem attinet, similia v. IV, 7 post in.; VIII, 15 med.; ibid. 23 sub fin.

fama ferebant) Cf. I, 42 extr. *ut — Servium conditorem omnis in civitate discriminis — posteri fama ferrent;* IV, 6 extr. *ferte sermonibus et multiplicate fama bella;* XXVIII, 40 in. *Quum Africam — P. Scipioni destinari homines fama ferrent.* V. ad XXI, 41, 7.

ad Iunonis Sospitae) V. Z. §. 762; Sch. p. 659; 15
Weiss. §. 207. n. 7; infra c. 34, 2; ad XXI, 62, 8.

cruore manavere) V. ad XXII, 36, 7 et de structura ac forma verbi *pluendi* ad XXI, 62, 5. Et hic quidem quanquam ex codicibus nihil de forma *pluvi* annotarunt editores, tamen eam praeferendam duximus, quod Gronovius ad l. XXIV, 10, 7 sic semper in praestantissimo cod. legi testatur, et huc referendum, ni fallor, est, quod Priscianus l. X, p. 881 ex Livii l. XXIII affert: *sanguine pluvit*, ubi per errorem *sanguine* videtur pro *lapidibus* posuisse. Nam illud in hoc libro nusquam legitur.

novendiale, ut assolet, sacrum) V. ad XXI, 62, 6 de novendiali sacro et de locutione *ut assolet* supra ad c. 14, 2.

plum pluvit. Ob quem imbrem novendiale, ut assolet, sacrum fuit; ceteraque prodigia cum cura expiata.

1 XXXII. Consules exercitus inter sese diviserunt. Fabio exercitus Teani, cui M. Iunius dictator praefuerat, evenit; Sempronio volones, qui ibi erant, et sociorum viginti

---

ceteraque) *Que* similes sententias annectens nonnunquam ad vim accedit particulae *quoque* valetque: *und auch, und so auch.* Saepius in hanc sententiam *hodieque* dicitur, ut XLII, 34 in. *Pater mihi iugerum agri reliquit et parvum tugurium, in quo natus educatusque sum: hodieque ibi habito;* V, 4 extr. *Etruriam omnem adversus nos concitare voluerunt, hodieque id moliuntur;* I, 17 extr.

XXXII.

1 *exercitus*) Omnes libri typis descripti: *Fabio exercitus, cui M. Iunius d. pr.* Sed deesse aliquid post v. *exercitus* manifestum est. Nam cod. omnium optimus addit *trani,* ceteri fere *tradi.* Quare Weissenbornius coniecit: *exercitus veteranus;* sed talis non erat exercitus dictatoris. V. supra c. 14. Contra nihil verisimilius quam quod ipsi ex coniectura recepimus: *exercitus Teani.* Nam cf. supra c. 24, 5 *Dictator — Teanum in hiberna ad exercitum rediit.* Genus loquendi idem est quod v. c. XXX, 41 in. *Praetori M. Valerio Faltoni duae legiones in Bruttiis, quibus C. Livius priore anno praefuerat, decretae,* vel XXXVIII, 51 in. *Locris Pleminianus tumultus.* Nec dixit Livius: *qui Teani erat,* quod sequitur: *cui — praefuerat.*

volones, qui ibi erant) De volonibus cf. XXII, 57 11 et quae tradit Festus: *Volones sunt milites, qui post Cannensem cladem usque ad octo milia, quum essent servi, voluntarie se ad militiam obtulerant.* Pro verbis: *qui ibi erant* veteres libri typis descripti: *volonum quod fuerat,* quae scriptio codicum videtur fide carere. In optimis quibusque codd. et tantum non omnibus legitur: *qui fierent,* quod recte improbat Crevierius: non enim verisimile esse ait, novum servorum delectum eo anno habitum tantique rem momenti verbo tantum tactam a Livio, nec magis verisimile, si in duobus exercitibus essent volones, aliorum quam qui sub Graccho mererent, mentionem nullam postea fieri. Adde quod numerus octo milium, quem Livius servorum armatorum fuisse tradit XXII, 57, 11, congruit et cum Festi verbis et cum iis, quae infra XXIV, 11 dicuntur, ubi duae commemorantur volonum legiones; denique hoc loco Livius omnino non agit de novo delectu, sed de dividendis iis exercitibus, qui iam essent. Hinc ex interpretibus alii alia probarunt. Drakenborchio enim placet, quod in uno cod. legitur *volones qui forent;* Doeringio scribendum videtur *volones qui fuerant,* quod ita tantum probabilitatem quandam

quinque milia; M. Valerio praetori legiones, quae ex Sici- 2
lia redissent, decretae; M. Claudius proconsul ad eum exercitum, qui supra Suessulam Nolae praesideret, missus. Praetores in Siciliam ac Sardiniam profecti. Consules edi- 3
xerunt, quoties in senatum vocassent, uti senatores, quibusque in senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam convenirent. Praetores, quorum iurisdictio erat, tribunalia 4
ad Piscinam publicam posuerunt: eo vadimonia fieri iusserunt, ibique eo anno ius dictum est.

---

habet, si *fuerant* dictum putes pro *facti erant* (v. ad XXI, 53, 3). Si ex coniectura nostra ante legas: *exercitus Teani,* verisimile maxime videtur quod Weissenbornius coniecit: *qui ibi erant.* Nam volones Teani in exercitu dictatoris erant. Hoc igitur, quum vulgata l. ferri non possit, recipiendum duximus.

praesideret) i. e. praesidio esset. V. quae exempla 2
attulimus ad XXII, 11, 9.

in senatum vocassent) Sic optimi quique codices, 3
pauci praepositionem non habent. Utraque locutio apud Livium legitur. Nam *senatum* sive *Patres vocare* dixit I, 48 in.; III, 19 extr.; XXII, 55 in.; V, 27 post med.; XXVI, 13 in.; XXX, 7 post in. et multis aliis locis; *in senatum vocare:* II, 55 extr. et similiter *ad concilium vocare* XLIV, 37 extr.; *ad concionem advocare* sive *in consilium advocare* III, 34 in.; IV, 1 extr.; VIII, 32 in.; IX, 2 extr.; XXVI, 48 extr., et alibi saepe.

quibusque — liceret) In nonnullis libris male deest *que.* Addebantur enim haec verba ex formula in vocando senatu, quo significarentur ii, qui nondum ab censoribus in senatum lecti, tamen gestis curulibus magistratibus ius dicendae in senatu sententiae haberent. Cf. Gell. III, 18.

ad portam Capenam) Nam ab ea porta initium capiebat via Appia (v. ad XXII, 1, 12), quae in eas Italiae partes ferebat, ubi tum maxime bellum gerebatur. Hinc ibi, si quid novi ex bello afferretur, celerrime id rescire poterant. Cf. autem Festus s. v. *senacula: Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro, qui inscribitur de senatu habendo; unum, ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et forum, — alterum ad portam Capenam; tertium circa aedem Bellonae* etc. In propinquo erat lacus, cui nomen erat *Piscinae publicae.* Cf. Festus: *Piscinae publicae hodie nomen manet, ipsa non exstat, ad quam et natatum et exercitationis alioqui causa veniebat populus.*

eo vadimonia fieri) i. e. eo in ius venire. Nam quum 4
qui litigarent vadimonia facere i. e. datis vadibus promittere cogebantur, se certo quodam die in iudicio affuturos, factum

5 Interim Carthaginem, unde Mago frater Hannibalis duo-
decim milia peditum et mille quingentos equites, viginti
elephantos, mille argenti talenta in Italiam transmissurus
erat cum praesidio sexaginta navium longarum, nuntius af-
6 fertur, in Hispania rem male gestam, omnesque ferme eius
7 provinciae populos ad Romanos defecisse. Erant, qui Ma-
gonem cum classe ea copiisque, omissa Italia, in Hispa-
niam averterent, quum Sardiniae recipiendae repentina spes
8 affulsit. *Parvum ibi exercitum Romanum esse. Veterem
praetorem inde A. Cornelium provinciae peritum dece-*
9 *dere, novum exspectari. Ad hoc fessos iam animos Sar-
dorum esse diuturnitate imperii, et proximo iis anno
acerbe atque avare imperatum; gravi tributo et colla-
tione iniqua frumenti pressos. Nihil deesse aliud quam*
10 *auctorem, ad quem deficerent.* Haec clandestina legatio
per principes missa erat, maxime eam rem moliente Ham-
psicora, qui tum auctoritate atque opibus longe primus erat.
11 His nuntiis prope uno tempore turbati erectique Magonem
12 cum classe sua copiisque in Hispaniam mittunt, in Sardi-
niam Hasdrubalem deligunt ducem, et tantum ferme copia-
rum quantum Magoni decernunt.

13 Et Romae consules, transactis rebus, quae in urbe
14 agendae erant, movebant iam sese ad bellum. Ti. Sempro-

---

est, ut *vadimonium facere* non raro idem valeat quod *in ius venire.* Atque hanc locutionis vim respexisse Livius videtur, quum dixerit: *eo vadimonia fieri.* Sic et Valer. Max. III, 7, 1: *tribunal suum adeuntes in aedem, quae intra moenia hostium erat, vadimonium in posterum diem facere iussit.*

7 *averterent*) Coniunctivus imperfecti hic de conatu dicitur. V. ad XXI, 6, 6 et supra ad c. 19, 7.

9 *fessos iam a. Sardorum*) Cf. ad rem supra c. 21, 6 et quae ibi annotata sunt.

proximo anno) V. ad XXIV, 43, 3.

11 *Magonem cum cl. sua — m.*) V. Weiss. §. 309. n. 2 et quae ad XXI, 29, 5 diximus.

13 *movebant iam sese*) Cf. I, 10 post in. *Ne Crustumini quidem atque Antemnates — satis se impigre movent;* XXIV, 19, 5 *adventuque eius Campani, iam moventes sese, quieverunt;* XXXIV, 20 ante med. *praecepit eis, ne se ex eo loco moverent.*

nius militibus Sinuessam diem ad conveniendum edixit, et
Q. Fabius, consulto prius senatu, ut frumenta omnes ex
agris ante Kalendas Iunias primas in urbes munitas con-
veherent: *qui non invexisset, eius se agrum populatu-* 15
rum, servos sub hasta venditurum, villas incensurum.
Ne praetoribus quidem, qui ad ius dicendum creati erant,
vacatio ab belli administratione data est. Valerium prae- 16
torem in Apuliam ire placuit ad exercitum a Terentio ac-
cipiendum; quum ex Sicilia legiones venissent, iis potissi-
mum uti ad regionis eius praesidium, Terentianum Taren-

---

militibus) i. e. suis proprie militibus, volonibus et so- 14
ciis (cf. §. 1).

ante Kal. I. primas) i. e. ante proximas Calendas Iun. Ita saepius *primae* dicuntur Calendae sive Nonae sive Idus, ne quis rem ad posterius tempus referat seu retulisse se possit causari. Cf. Liv. XLII, 21 med. *qui ex Statiellis deditis in libertatem restitutus ante Kal. Sextiles primas non esset.*

sub hasta v.) Hasta posita pro aliquo loco signum erat 15
auctionis, more, ut ait Crevierius, inde ducto, quod primis temporibus ea tantum publice venibant, quae bello capta fuerant; hinc *sub hasta vendere aliquid* idem est quod auctionem alicuius rei facere. Praetulit autem Livius h. l. chiasmo, cuius alias amans est (v. ad c. 44, 5) homoeoteleuton *populaturum — venditurum — incensurum*, quo magis animadverteretur repetita varie in eos, qui non paruissent, saeviendi actio. Similia habes III, 70 med. *equitatum fudere, magnam vim ex equis praecipitavere, ipsos equosque spiculis confodere;* ibid. 67 med. *toties fusi fugatique, castris exuti, agro multati, sub iugum missi;* XLIII, 1 extr. *tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret, exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam tot nationibus in Italiam aperiret;* IX, 17 extr. *ne solertius — castris locum caperet, commeatus expediret, ab insidiis praecaveret, tempus pugnae deligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret;* XXV, 4 in. *Postumium Pyrgensem suffragium populo Romano extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coegisse, contra populum Rom. aciem instruxisse, locum occupasse.*

quum ex S. l. venissent) V. c. 31, 4. 16

Terentianum Tarentum m.) Codices omnes: *Terentianum mitti cum* etc. Glareanus et Sigonius cogitatione suppleri voluerunt: *in Siciliam*, quod cum iis, quae cap. priore §. 4—7 tradita sunt, pugnare, Dukerus ostendit. Neque credibile est, Livium de mittendo exercitu Terentiano, omissa loci, quo mitteretur, mentione omni, locutum esse. Quare optima

17 tum mitti cum aliquo legatorum. Et viginti quinque naves
(M. Valerio) datae, quibus oram maritimam inter Brundi-
18 sium ac Tarentum tutari posset. Par navium numerus Q.
Fulvio praetori urbano decretus ad suburbana litora tutanda.
19 C. Terentio proconsuli negotium datum, ut in Piceno agro
conquisitionem militum haberet locisque iis praesidio esset.
20 Et T. Otacilius Crassus, postquam aedem Mentis in Capi-
tolio dedicavit, in Siciliam cum imperio, qui classi prae-
esset, missus.

1 XXXIII. In hanc dimicationem duorum opulentissimorum
in terris populorum omnes reges gentesque animos inten-
2 derant, inter quos Philippus Macedonum rex eo magis, quod

---

videtur Dukeri coniectura, qui post *Terentianum* excidisse putat *Tarentum*. Nam infra c. 38, 9 L. Apustius legatus, id quod egregie cum hac coniectura congruit, militibus Varronianis Tarenti praefuisse dicitur. *Tarentum* autem post *Terentianum* omitti facile per errorem potuisse, nemo non videt.

17 (*M. Valerio*)) Haec verba, quae, si fides habenda Iacobo Gronovio, in praestantissimo cod. leguntur, ex ceteris optimi quique non habent, in aliis ante *naves* invenias *magnae*, *milia* etc. „Vix credi potest, inquit Iac. Gronovius, non modo tam festinanter repetitum fuisse Valerii nomen a Livio, sed etiam ita repetitum fuisse, ut adderet praenomen, quod paulo ante omiserat.“ Itaque valde dubium est, num a Livii manu haec profecta sint. Certe omittendum praenomen videtur. Neque vero Heusingeri et Kreyssigii sententia probabilis est, qui ex eiusdem Gronovii coniectura pro M. Valerio posuerunt P. Valerium. Praefuit sane hic ei classi, quod cognoscas ex cap. 34. et 38.; sed ab ipso M. Valerio huic, ut videtur, curae praepositus, sicut etiam anno insequenti sub eodem legatus meruit. Cf. XXIV, 40. H. l. mentionem eius nullo modo interponere Livius potuit, quum negotia bellica, quae a senatu in duos praetores ad ius dicendum creatos delata sunt, commemoret. Itaque §. 16 et 17 de M. Valerio praetore peregrino, §. 18 de Q. Fulvio praetore urbano agit.

19 *proconsuli*) Male hic unus ex optimis codicibus habet *pro consule*. Cf. ad c. 30, 19.

conquisitionem) *Conquisitio* ponitur in delectu intentiore neque ad legitimam formam astricto. Exempla v. ad XXI, 11 extr. Cf. inprimis XXV, 5.

20 *Et T. Otacilius*) Cf. ad c. 21, 6.

XXXIII.

2 *quod propior Italiae*) Plerique interpretes pro *quod* ex paucis neque optimae notae codicibus praetulerunt *quo*, quam

propior Italiae ac mari tantum Ionio discretus erat. Is ubi 3
primum fama accepit, Hannibalem Alpes transgressum, ut
bello inter Romanos Poenumque orto laetatus erat, ita,
utrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus,
fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia iam pugna, ter- 4
tia victoria cum Poenis erat, ad fortunam inclinavit lega-
tosque ad Hannibalem misit; qui, vitantes portus Brundisi-
num Tarentinumque, quia custodiis navium Romanarum te-
nebantur, ad Laciniae Iunonis templum in terram egressi
sunt. Inde per Apuliam petentes Capuam, media in prae- 5
sidia Romana illati sunt, deductique ad M. Valerium Lae-
vinum praetorem, circa Luceriam castra habentem. Ibi in- 6
trepide Xenophanes legationis princeps *a Philippo rege se
missum* ait *ad amicitiam societatemque iungendam cum
populo Romano; mandata habere ad consules ac sena-
tum populumque Romanum.* Praetor, inter defectiones 7

---

lectionem firmare conati sunt exemplis parum aptis, ut I, 23 sub fin. *quo propior es Etruscis, hoc magis scis.* Alia enim hic res est, quum sequatur: *ac mari — discretus erat*, quae verba durius ad *quo* referuntur. Itaque Livii sententiam cogitatione sic supplebis: quod propior Italiae erat quam ceteri reges gentesque.

3 *inter Romanos Poenumque*) Livius saepe in contra positis ab altero ad alterum numerum transit. Cf. ad XXII, 36, 3; hoc cap. infra §. 8; XXIV, 47, 7.

incertis adhuc v.) De voce *adhuc* ad praeteritum tempus relata cf. ad XXI, 48, 4.

fluctuatus a. fuerat) Cf. Quinct. inst. or. IX, 3, 7 *pleraque utroque modo efferuntur, luxuriatur, luxuriat; fluctuatur, fluctuat; assentior, assentio.* Apud Livium, inquit Drakenb, praeterquam quod participium *fluctuans* adhibet, quod aeque a deponenti quam ab activo declinari potest, semper forma deponens huius verbi legitur. V. XXX, 34 extr.; XXXII, 13 in.; XXXVI, 10 in.; XL, 32 in.

4 *ad f. inclinavit*) Cf. IV, 26 extr. *Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda;* I, 27 extr. *Quo postquam fuga inclinavit;* II, 20 extr. *perculsaque inclinavit acies;* IV, 37 extr. *quo res inclinatura esset;* VI, 32 post med.; VII, 19 sub fin.; ibid. 32 in., et ita multis aliis locis. Rarius a Livio additur *se*, ut IV, 55 post in.; IX, 32 med.

portus Brundisinum T.) V. ad c. 29, 4.

ad Laciniae I. t.) Ita dictum est templum a promontorio Lacinio, ubi positum erat. Cf. Liv. XXIV, 3 et ind. geogr.

7 *Praetor*) Hanc vocem, pro qua multi exigua codicum

veterum sociorum nova societate tam clari regis laetus ad-
8 modum, hostes pro hospitibus comiter accepit; dat, qui
prosequantur, itinera cum cura demonstrent, quae loca quos-
9 que saltus aut Romanus aut hostes teneant. Xenophanes
per praesidia Romana in Campaniam, inde, qua proximum
fuit, in castra Hannibalis pervenit foedusque cum eo atque
10 amicitiam iunxit legibus his: *ut Philippus rex quam ma-*
xima classe (ducentas autem naves videbatur effecturus)
in Italiam traiiceret et vastaret maritimam oram, bel-
11 *lum pro parte sua terra marique gereret; ubi debella-*
tum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Cartha-
giniensium atque Hannibalis esset, praedaque omnis
12 *Hannibali cederet; perdomita Italia, navigarent in Grae-*

---

auctoritate post *sociorum* habent *Valerius* (id quod etiam Bekkerus retinuit) ex coniectura reposuit Muretus. „Nam quum esset scriptum, inquit Gronovius, *senatum p. q; r. PR.*, facile ob similitudinem omissae videntur duae literae.“ Accedit, quod in aliquot Drakenborchii codicibus pro *populumque Romanum* legitur *Praetor.*

hostes pro hospitibus) Huius paronomasiae quam amans sit Livius, ostendimus ad XXI, 24, 4.

8 *accepit; dat*) De frequenti hac temporum mutatione v. ad XXII, 21, 8 et ibid. ad c. 6, 1.

quosque saltus) De coniunctionis vi cf. ad c. 29, 4.

9 *inde*) „Saepe voculae *inde, deinde* similesque copularum vicem praestant.“ Drak. (ad V, 20, 7). Cf. V, 20 post med. *causasque criminum ad plebem, seditionum inde ac legum novarum, praebituram* (pecuniam); ibid. 21 extr. *idque omen pertinuisse postea — visum ad damnationem ipsius Camilli, captae deinde urbis Romanae, quod post paucos accidit annos, cladem;* VII, 37 post in. *Ab Suessula nuntii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem veniunt;* XXX, 21 extr. *quum — legatos de pace ad senatum venientes Puteolis visos, inde terra venturos allatum esset;* XXXII, 3 in.

10 *bellum — gereret*) His verbis quum in unum comprehendantur quaecunque Philippo facienda fuerunt contineanturque etiam quae proxime antecesserunt, coniunctio addita non est. Cf. supra ad c. 18, 9.

pro parte sua) Cf. infra XXIV, 29, 6 *ne — deesset pro parte sua concitando bello.*

11 *Carth. atque Hannibalis*) V. supra ad c. 2, 7; praeterea ad XXI, 17, 4; infra XXIV, 7, 8.

Hannibali cederet) V. XXVI, 26 in. *praeda ex pacto*

ciam bellumque, cum quibus regi placeret, gererent; quae civitates continentis, quaeque insulae ad Macedoniam vergunt, eae Philippi regnique eius essent.

XXXIV. In has ferme leges inter Poenum ducem le- 1
gatosque Macedonum ictum foedus, missique cum iis ad 2
regis ipsius firmandam fidem legati, Gisgo et Bostar et
Mago, eodem ad Iunonis Laciniae, ubi navis occulta in
statione erat, perveniunt. Inde profecti, quum iam altum 3
tenerent, conspecti a classe Romana sunt, quae praesidio
erat Calabriae litoribus. P. Valerius Flaccus cercuros ad 4
persequendam retrahendamque navem quum misisset, primo
fugere regii conati; deinde, ubi celeritate vinci senserunt,
tradunt se Romanis, et ad praefectum classis adducti, quum 5

Romanis cessit; XXXI, 46 extr. *captiva corpora Romanis cessere.* Cf. etiam VI, 14 extr. *aurum ex hostibus captum in paucorum praedam cessisse;* XXXVI, 17 extr. *neque ea tantum in praemium vestrum cessura;* XLIII, 19 extr. *praedae alia militum cessere.*

regi) Haec est egregia emendatio Gronovii, quum in 12
codicibus omnibus sit *regibus*, quod perperam plerique editores servarunt. Nam primum consentaneum erat, quum iam regi bellum gerendum esset, cum quibus Hannibali placeret, ut postea ad ipsius arbitrium gereretur; deinde, si quaeras, cum quibus in Graecia potissimum bellandum fuerit, non reges illi erant, sed populi liberi, ut Achaei, Aetoli, Athenienses. Quare in iis, quae statim sequuntur, non regna, quae Philippi essent, sed civitates dicuntur. Denique quam facile a recto hic aberrare propter praecedens v. *quibus* librarii potuerint, facile est intellectu.

vergunt) De indicativo v. infra ad c. 44, 1.

XXXIV.

Poenum ducem) Hoc pro duce Punico poni posse, 1
pluribus exemplis ostendimus ad XXI, 53, 11.

ad reges i. f. fidem) i. e. ut regis ipsius firmam seu 2
certam facerent fidem (fortasse, ut ait Drakenborchius, in leges foederis iureiurando eum adacturi), quum antea legatorum modo fidem haberent.

altum tenerent) De hac locutione v. ad XXI, 28, 10 3
et ibid. ad 49, 2.

cercuros) *Cercuri* erant genus quoddam levium navi- 4
giorum a Cypriis inventum, ut auctor est Plinius h. n. VII, 56, 208. De verbo *retrahendi* v. ad XXI, 63, 11.

vinci senserunt) V. supra ad c. 3, 10.

quaereret, *qui et unde et quo tenderent cursum*, Xenophanes primo satis iam semel felix mendacium struere, *a Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem unum iter tutum fuerit, pervenisse; Campaniam*
6 *superare nequisse, saeptam hostium praesidiis.* Deinde ut Punicus cultus habitusque suspectos legatos fecit Han-
7 nibalis, interrogatosque sermo prodidit, tum, comitibus eorum seductis ac metu territis, literae quoque ab Hannibale ad Philippum inventae et pacta inter regem Macedonum
8 Poenumque ducem. Quibus satis cognitis, optimum visum est, captivos comitesque eorum Romam ad senatum aut ad
9 consules, ubicunque essent, quam primum deportare. Ad id celerrimae quinque naves delectae, ac L. Valerius An-

---

5 *adducti — Xenophanes*) Oratio ἀνακόλουθος est. Nam ita Livius incepit, velut si responsum ad omnes legatos esset relaturus, sed abduxit eum a legitima structura Xenophanis, cuius potissimum mendacium erat, mentio. Plura id genus v. ad XXI, 3, 1.

satis iam s. felix) Recte Crevierius et Heusingerus, omissis distinctionibus, quibus haec verba inclusa erant, *felix* retulerunt ad *mendacium*. Hoc enim dicit Livius, idem ab eo structum mendacium, i. e. mendacium illud satis iam semel felix.

struere) Inest in hoc verbo artificii notio. Cf. supra c. 17, 10; 11, 3 extr. *recuperandi regni consilia struere.*

Camp. superare) De omissa particula adversativa cf. ad c. 5, 11; de *superando* ad XXI, 35, 1.

6 *cultus habitusque*) Iunguntur haec in eandem sententiam, in quam saepe *vestitus habitusque* (cf. XXVIII, 12 post in.; ibid. 27 in.; XXIX, 17 med.; XXX, 33 med.; XXXVII, 54 post med.). *Cultus* hoc loco vestitum significat ornatumque, *habitus*, qui latius patet, omnem corporis speciem, quae quidem, Ciceronis verbis ut utar, non natura data est, sed studio aliquo industriaque parta. Ita saepe apud alios quoque scriptores hae voces iunguntur.

7 *metu territis*) Cf. Quint. inst. or. VI, 2, 21 *metum duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.* V. Liv. XXXVI, 6 extr. *terrendosque metu, si cunctarentur;* X, 14 extr. *non vero tantum metu terruere Samnitium animos;* V, 52 sub fin. *si ab hostibus metu retenti sumus;* XL, 55 med. *parvo metu admoto;* infra ad c. 43, 3.

8 *ad consules*) Multi et quidem nonnulli ex optimis codicibus praepositionem non habent. Videtur tamen altera lectio hic praeferenda, quum consules alio loco quam senatus cogitentur versantes. Cf. quae dicta sunt ad XXII, 19, 7.

tias, qui praeesset, missus; eique mandatum, ut in omnes naves legatos separatim custodiendos divideret daretque operam, ne quod iis colloquium inter se, neve quae communicatio consilii esset.

Per idem tempus Romae quum A. Cornelius Mammula, 10
ex Sardinia provincia decedens, retulisset, qui status rerum
in insula esset, bellum ac defectionem omnes spectare; Q. 11
Mucium, qui successisset sibi, gravitate coeli aquarumque
advenientem exceptum, non tam in periculosum quam longum morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam in-

---

L. Valerius Antias) Non confundendus cum annalium 9
scriptore longe iuniore, quippe qui Sullano tempore vixerit. Stroth.

decedens) *Decedere* quum in iis valeat, qui aliquem 10
locum, in quo collocati fuerunt, relinquunt, ut in alium se conferant, ac praecipue qui ex superiore loco descendunt in inferiorem, hinc proprie provinciarum praefecti domum redeuntes dicuntur *decedere provincia* sive *de* seu *ex provincia*. V. Liv. VIII, 13 med.; IX, 16 post med.; XXVIII, 28 post in.; ibid. 32 extr.; XXXVII, 7 med.; XLI, 10 med.; XXIX, 20 med.; XLI, 17 in.; XLII, 8 extr. *Decedens* autem non idem est quod *quum decessisset*. Significat Livius, eum statim post adventum, quum etiamtum in eo esset, ut decederet (*als abtretender*) de statu Sardiniae retulisse. Cf. XXXII, 7 post in. *Sub idem tempus L. Manlius Acidinus ex Hispania decedens — privatus urbem ingrediens mille ducenta pondo argenti — in aerarium tulit*. Ita inprimis *adveniens* non raro ponitur. V. v. c. XLI, 10 extr. *Concione adveniens de Manlio et Iunio habita*; XLII, 56 in. *M. Lucretius, Chalcidem adveniens, quum a P. Lentulo Haliartum oppugnari audisset, nuntium — misit*; infra XXIV, 7, 11; 35, 6. Cf. Weiss. §. 181. n. 1.

gravitate coeli) Cf. XXV, 26 extr. *ut primum videre* 11
ex gravitate loci vulgari morbos; ibid. med. *tempore autumni et locis natura gravibus — intoleranda vis aestus — omnium ferme corpora movit*; III, 6 in. *Grave tempus et forte annus pestilens erat urbi agrisque*; ibid. 8 in. *graviore tempore anni iam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse incipere*; V, 13 post in.; X, 31 med.; XXXVII, 23 in.

advenientem exceptum) Cf. supra ad c. 23, 9. Observandum autem, non solum *advenientem* iungi cum *exceptum*, sed rursus haec cum tertio participio *implicitum*. Plurium autem horum participiorum ope scriptor cavit, ne in magni ambitus protasi haec pars *Q. Mucium — fore*, per se longior, nimis extenderetur.

in — morbum implicitum) Hoc uno loco Livius *im-*

12 utilem fore, exercitumque ibi ut satis firmum pacatae provinciae praesidem esse, ita parum bello, quod motum iri
13 videretur; decreverunt Patres, ut Q. Fulvius Flaccus quinque milia peditum, quadringentos equites scriberet eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam traiiciendam
14 curaret mitteretque cum imperio, quem ipsi videretur, qui
15 rem gereret, quoad Mucius convaluisset. Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censorque
16 fuerat subegeratque in consulatu Sardos. Sub idem fere tempus et a Carthagine in Sardiniam classis missa, duce Hasdrubale, cui Calvo cognomen erat, foeda tempestate

---

plicari cum *in* et casu accusativo coniunxit, ceteris cum ablativo. V. infra c. 40, 1; I, 31 med.; III, 2 in.; V, 31 extr.; XXVIII, 24 in.; XXXIX, 56 in. Neque tamen est, quod ablativum, quem deteriores nonnulli codices praebent, praeferas, quum altera illa structura et alibi legatur. V. Nep. Cim. 3, 4 *in morbum implicitus;* Ages. 8, 6 *in morbum implicitus decessit.* De omissa post *quam* praepositione v. ad XXII, 8, 2

12 *firmum praesidem*) De *firmo* v. supra ad c. 25, 6. *Praesidem* in codicibus plerisque omnibus legitur. Pro hoc primus ex coniectura Gronovius posuit *praesidio,* quod postea Drakenborchius in duobus, sed minoris fidei codd. invenit recepitque, eumque qui secuti sunt recentiores editores, omnes probarunt. Nam ut bene dicitur exercitus parum firmus pacatae provinciae praeses (v. infra c. 48, 7 et ad XXII, 11, 9), ita non bene dici visus exercitus parum firmus praeses bello. Sed nescio an ad *parum* repetendum nihil aliud sit quam *firmum*, dixeritque Livius, exercitum ibi ut pro praeside (*als Vertheidiger*) pacatae provinciae satis firmum, ita ad bellum parum firmum esse. Eo ipsa positio verborum ducit, quum non sine causa Livius videatur inter *firmum* et *praesidem* nonnulla interiecisse. Neque scriptio *praesidem* talis videtur esse, quae aut incuria nata sit aut ab librariis excogitata.

14 *quem ipsi videretur*) Perperam Doeringius: *Quem* elegantius pro *eum*, *qui.* V. contra ad XXI, 62, 7 de enuntiatione secundaria primariae ope explenda. Quod ad ipsam rem attinet, simili modo etiam alias videmus, quum non sufficere viderentur qui magistratus haberent aut quibus prorogatum imperium esset, creatos proconsules vel propraetores, qui cum imperio in provincias irent. Hoc tamen memorabile, quod hic soli praetori urbano permiserunt de eligendo homine, qui cum imperio mitteretur. Similiter XXXI, 3 in.

15 *in consulatu*) Factum hoc in priore Manlii consulatu a. u. 519.

16 *deiicitur*) Ante Gronovium libri typis expressi habe-

vexata, ad Baliares insulas deiicitur; ibique (adeo non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant) subductae naves dum reficiuntur, aliquantum temporis triverunt. 17

XXXV. In Italia quum post Cannensem pugnam, fractis partis alterius viribus, alterius mollitis animis, segnius 1
bellum esset, Campani per se adorti sunt rem Cumanam 2
suae ditionis facere. Primo sollicitantes, ut ab Romanis

---

bant: *eiicitur*. Sed recte ille, Naufragi quidem, inquit, *eiici;* at qui, summa re salva, tempestate vertuntur a cursu, *deiici* dicuntur. V. infra c. 40, 6, ubi de eadem classe Livius dicit: *quae tempestate deiecta ad Baliares erat;* XXI, 49, 5 *eam quoque classem ad Aegates insulas deiectam.* Accedit codicum auctoritas, in quibus aut *deicitur* aut, quod inde natum, *ducitur* et *dicitur*, aut denique *deiicitur* invenias.

adeo) V. ad XXI, 11, 1; Weiss. §. 336 n. 12. De *armamentis* et *alveis* cf. quae dicta sunt ad XXI, 49, 9 et ibid. c. 26, 9. 17

XXXV.

mollitis animis) Mitigatos post victoriam Doeringius intelligit animos, qui ante victoriam exasperati fuissent. V. potius supra c. 18, 10 et quae sequuntur. 1

adorti sunt — facere) V. de verbo *adoriendi*, cum infinitivus ei iungitur, ad XXII, 9, 2 et de locutione *ditionis suae facere* ad XXI, 53, 5. Recte autem videtur Strothius post *facere* maximam distinctionem posuisse. Neque enim verisimile est, Livium in ea enuntiatione, qua transitum facit ad bellum Italicum deque eo bello universe loquitur, de Campanis ita dicere, ut non modo generaliter, quid egerint, indicet, sed intrudat etiam rei gerendae modum. Neque obstat illi distinctioni participium praesentis *sollicitantes.* Nam nonnunquam partic. praes. absolute ponitur sive ita, ut non respiciatur temporis ratio inter actionem, quae eo participio continetur, et verbum primarium intercedens. Eo fit, ut interdum illud participium pro partic. perf. pass. videatur positum esse. Cf. locum simillimum XXVII, 43 in. *Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum fateri vera coegit, edocuerunt, literas — se ferre;* XLV, 10 post in. *Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociae urbis paterentur;* Sall. Iug. 113 *Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit.* Ceteri editores minorem distinctionem posuerunt post *facere*, maximam post *deficerent.* Sed aut ea, quam modo diximus, sequenda ratio erat, aut certe verba: *ubi id parum processit — comparant* eidem sententiae, cui *primo sollicitantes* etc. subiungenda. 2

deficerent, ubi id parum processit, dolum ad capiendos eos
3 comparant. Campanis omnibus statum sacrificium ad Hamas.
Eo senatum Campanum venturum certiores Cumanos fecerunt petieruntque, ut et Cumanus eo senatus veniret ad consultandum communiter, ut eosdem uterque populus so-
4 cios hostesque haberet: praesidium ibi armatum sese habituros, ne quid ab Romano Poenove periculi esset. Cumani, quanquam suspecta fraus erat, nihil abnuere; ita tegi fal-
5 lax consilium posse rati. Interim Ti. Sempronius consul Romanus Sinuessae, quo ad conveniendum diem edixerat, exercitu lustrato, transgressus Vulturnum flumen, circa Li-

---

ad capiendos eos) *Capere* saepe est eorum, qui dolo aliquem decipiunt vel circumveniunt. V. XXV, 16 post med. *Gracchus fraudem et sermoni et rei abesse ratus ac similitudine veri captus;* ibid. 19 med. *quibus artibus ad id locorum nostri et duces et exercitus capti forent;* XXVI, 17 extr. *ut se dolo captum sensit.*

3 *statum sacrificium*) Plerique codices: *statutum*, quarum vocum permutatio frequentissima est. „*Statum*, inquit Drakenborchius, dicitur, quod certo ac definito tempore recurrit, *statutum*, quod tempore indicto." V. V, 46 in. *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae;* XXXI, 47 in. *Regem statum Initiorum Cereris, ut sacris interesset, tenuit;* XXXIII, 32 in. *Isthmiorum statum ludicrum aderat.* Itaque, nisi si ponas, illo demum tempore fraudis causa statutum a Campanis id sacrificium esse (nam id quoque in re incerta cogitari potest), legendum est *statum*, quod et infra §. 12 in optimis codicibus legitur. Sed quaeritur, quid supplendum sit, utrum *erat* an *est*, quum parum constet, num Livii quoque aetate id sacrum permanserit. Infra quidem §. 15 Livius dixit: *Nocturnum erat sacrum.* Nec aliena est ab eius dictione omissio imperfecti. V. infra ad XXIV, 3, 2; ad XXII, 31, 11. Negari tamen nequit, durius h. l. imperfectum omissum esse, quum non per se pateat, *erat*, non *est*, quod nullius non prius offertur cogitationi, supplendum esse. Itaque nescio an infra §. 15 *erat* ad illud modo tempus, de quo loquitur Livius, referendum sit, et hic *est* addendum cogitatione.

Cumanus senatus) Cf. supra ad c. 2, 2.

5 *exercitu lustrato*) i. e. recensito. Nam ita *lustrare* dicitur, quia accedebat sacrificium lustrale, quale prodidit Liv. I, 44 in. Cf. ad XXI, 62, 7.

circa Liternum) *Circa* saepe ponitur, ubi indefinite memorantur loca propinqua. Brevius enim Livius dixit hoc: in iis locis, quae circa Liternum sunt. Cf. VII, 12 med. *quod Gallos — circa Pedum consedisse auditum est;* XXI, 25, 2

ternum castra posuit. Ibi quia otiosa stativa erant, crebro 6
decurrere milites cogebat, ut tirones (ea maxima pars volonum erant) assuescerent signa sequi et in acie agnoscere
ordines suos. Inter quae maxima inerat cura duci, itaque 7
legatis tribunisque praeceperat, *ne qua exprobratio cui-*

---

quod nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias aegre patiebantur; ibid. 62, 1 *Romae aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta;* XXII, 3, 1; ibid. 11, 5; infra XXIV, 11, 2.

decurrere) *Decurrere* frequens est apud Livium aliosque de exercitiis militaribus (*manoeuvriren*). V. XXIV, 48, 11 *decurrendo signa sequi et servare ordines docuit;* XXV, 17 extr. *armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum;* XXVI, 51 in. *Primo die legiones in armis quattuor milium spatio decurrerunt;* XXIX, 22 in.; XXXV, 35 med.; XL, 6 med. etc. 6

ea m. pars volonum erant) Gronovius coniecit: *volones erant.* Neque vero eius mutationis idonea est causa. Nam genitivus ex consuetudine dicendi positus est. V. Weiss. §. 241; Z. §. 427; Iustin. V, 10 *ex quibus maior pars Atheniensium erat.* Pronomen *ea* per attractionem quandam (cf. infra XXIV, 16, 4; 31, 14) ad sequens substantivum relatum est, quum ex Germanorum consuetudine dicendum esset: *eorum maxima p. Erant* in optimis codicibus est, ceteri editores ex deterioribus praetulerunt *erat.* V. ad XXI, 27, 9; supra ad 20, 7.

Inter quae maxima etc.) Multi ex editoribus paucorum et deteriorum librorum fidem secuti post *inter quae* interposuerunt *concordiae*, quod est additamentum eorum, qui structuram loci non satis perspexerunt. Sententia est: et ipsi duci inerat maxima cura, ne qua exprobratio etc. fieret et ita (*in diesem Geiste*) legatis tribunisque praeceperat. Verba *itaque — praeceperat* parenthesis in modum interiecta sunt, ne longius ab iis verbis, ad quae *itaque* refertur, removerentur. Similis locus est I, 16 extr. *sciantque, et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.* Ad verba *inerat cura* Gronovius comparat XLII, 39 post in. *Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem et populi principis terrarum legatos.* 7

itaque) V. infra XXIV, 44, 1; I, 4 extr. *Ita geniti itaque educati;* ibid. 32 sub fin. *Puro pioque duello quaerendas censeo, itaque consentio consciscoque;* XLII, 2 extr. *Itaque sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.*

cuiquam) Nominibus verbalibus nonnunquam idem casus additur, qui solet iis verbis, unde originem ducunt, adiungi. V. de ea re Z. §. 681; Sch. p. 408; Weiss. §. 303 n. 2 et §. 277 n. 3. Cf. et ad XXII, 61, 13 et infra c. 37, 5 *eruptio ex oppido simul duabus portis.*

quam veteris fortunae discordiam inter ordines sereret; vetus miles tironi, liber voloni sese exaequari sineret;
8 *omnes satis honestos generososque ducerent, quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset. Quae fortuna coegisset ita fieri, eandem cogere tueri factum.*
9 Ea non maiore cura praecepta ab ducibus sunt quam a militibus observata; brevique tanta concordia coaluerant omnium animi, ut prope in oblivionem veniret, qua ex condi-
10 tione quisque esset miles factus. Haec agenti Graccho legati Cumani nuntiarunt, quae a Campanis legatio paucos
11 ante dies venisset, et quid iis ipsi respondissent. *Triduum post eum diem festum esse; non senatum solum omnem*

---

8 *omnes*) Hoc pro nominativo habent Strothius, Heusingerus, Klaiberus. Sed recte negat Doeringius, eam explicationem probari posse, qua volones quoque iuberentur ceteros in honestis generosisque habere. Contra si *omnes* casus accusativus est, gravem habes admonitionem, ne quis, qualiscunque eius ante fuerit conditio et natura, eximatur honestorum numero. Spectatur autem in *honesto* praesens status, in *generoso* origo et natales. Praeterea digna est, quae observetur, praeceptorum gradatio. Item notandum, non chiasmi (v. ad c. 44, 5) legem praevalere, sed, quod accommodatius gravitati praeceptorum, eundem in singulis membris ordinem verborum. Efficit enim haec similitudo collocationis, ut, quae praecipiantur, aures magis feriant. Cf. infra XXIII, 48, 10.

Quae fortuna) Iam causa additur, cur haec ita fieri debeant. Itaque addi cogitatione potest particula causalis. V. ad XXI, 44, 9.

ita fieri) Non raro apud Livium ad verbum cogendi accusativum cum infinit. referri, ostendimus ad XXI, 8, 12.

11 *Triduum post eum d. f. esse*) Verba *post eum diem* quum non videantur ad alium diem referri nisi ad eum, quo Cumani rem ad Gracchum retulerunt, hoc videntur illi dicere: Proximos tres dies festos esse. Atque ita locum interpretatus est Heusingerus. Sed si pridie eius diei, a quo sacrificii initium erat, Cumani cum Graccho hoc communicaverunt, est, quod mireris, cur Livius deinde tanquam de alio die loquens scripserit: *Gracchus — ipse pridie quam statum sacrificium Campanis esset, Cumas movet castra,* quum potius scribendum fuisset: *ipse eodem die Cumas movet castra.* Itaque vereor, ne Livius paulo negligentius *eum diem* posuerit, quasi Cumanos fecisset diserte dicentes de die sacrificii, cuius diei sane non possent mentionem omittere. Cf. infra ad XXIV, 48, 8. *Post eum diem* ita intellige, ut eum ipsum diem primum ponas. Cf. Z. §. 850; Sch. p. 699. 3.

ibi futurum, *sed castra etiam et exercitum Campanum.*
Gracchus, iussis Cumanis omnia ex agris in urbem conve- 12
here et manere intra muros, ipse pridie quam statum sacri-
ficium Campanis esset, Cumas movet castra. Hamae inde 13
tria milia passuum absunt. Iam Campani eo frequentes ex
composito convenerant, nec procul inde in occulto Marius
Alfius medix tuticus (summus magistratus erat Campanis)
cum quattuordecim milibus armatorum habebat castra, sa- 14
crificio apparando et inter id instruendae fraudi aliquanto
intentior quam muniendis castris aut ulli militari operi. Tri- 15
duum sacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat sacrum, ita

---

senatum) i. e. Campanum, quod ex sequentibus huc referendum. Cf. supra ad c. 19, 6.

in occulto) V. ad XXI, 32, 7. 13

medix tuticus) „Festus apud Paulum: *Meddix apud Oscos nomen magistratus est.* Ennius: *Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter.* Ex quibus verbis conficitur, *Meddix* commune nomen fuisse, respondens Latino *magistratus*, Oscum nomen *tuticus* autem exprimere Latinum *summus*, ut *Medixtuticus* non aliquod proprium magistratus nomen sit, quale v. c. Romanis *dictator*, *consul*, sed Osca lingua nihil aliud denotet quam commune Latinorum *summus magistratus*.“ Stroth. Quum autem optimi codices praebeant: *Marius Alfius medixituticui*, nescio an Livius scripserit: *medix tuticus*, *qui summus* etc. vel *medix tuticus* (*is summus* etc. Nam ita adiecto pronomine talia nomina explicare Livius solet (cf. XXVI, 6 sub fin. *Medix tuticus*, *qui summus magistratus apud Campanos est*; XXX, 7 post in. *Senatum itaque suffetes* (*quod velut consulare imperium apud eos erat*) *vocaverunt*; XXXVIII, 30 post in. *Damiurgis civitatium*, *qui summus est magistratus*), a qua consuetudine hic eo minus scriptorem discessisse crediderim, quo facilius, omisso pronomine, verba interposita ad ipsum nomen Alfii referri possunt.

sacrificatum) Parum credibile videtur Perizonio, a 15 Graccho, qui pridie eius sacrificii iam movisset Cumas, post triduum demum oppressos Campanos, et non primo quoque tempore, antequam detegerentur insidiae, quas, etiamsi nemo enuntiaret, in tam propinquo loco celare, difficile fuisset, et eo ipso animadvertere potuissent Campani, quod nemo Cumanorum advenisset. Hinc putat legendum *sacrificandum*, in quo assentiuntur Drakenborchius, Heusingerus, Crevierius, nisi quod hic praefert *sacrificabatur*, quod explicat: *sacrificari mos erat.* Sed ut alia mittamus, quae obiici his coniecturis possunt, non videntur eae necessariae esse. Nam poterat Gracchus non insidiarum faciendarum causa, sed Cumarum tuendarum, eo castra

16 ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum tempori ratus, custodibus ad portas positis, ne quis enuntiare posset coepta, et ante decimam diei horam
17 coactis militibus corpora curare somnoque operam dare, ut

---

movisse. Neque quod consilium animo agitabat cum quoquam ab eo communicatum legimus; certe id paucis notum fuisse fidisque verisimile est. Quo diutius autem quietus ibi versabatur, eo securiores Campani, qui Hannibalis quoque propinquitate (cf. init. c. 36) fidebant, fieri poterant, ut mirum non sit, quod tertia demum nocte eos adortus est. Denique mentio tridui, nisi ad Gracchi consilium pertineret, prorsus supervacanea fuisset.

ita ut) Ita Livium saepe dixisse, ostendimus ad XXII, 43, 4.

16 insidiandum t.) *Insidiari tempori* est temporis opportunitatem clam speculari, ut eius quasi potens fias, quemadmodum qui alicui insidias struit, eius potens fieri studet. V. Vell. II, 21 *ita se dubium mediumque partibus praestitit, (ut) omnia ex proprio usu ageret temporibusque insidiari videretur et huc atque illuc, unde spes maior affulsisset potentiae, se exercitumque deflecteret.*

ante decimam d. horam) Bekkerus recepit, quo maxime etiam Gronovius se inclinare ait: *ab decima diei hora;* ceteri editores ex libris manu scriptis tantum non omnibus: *ad decimam diei horam.* Et prior quidem scriptio quin falsa sit, non modo codicum omnium dissensus, sed etiam res ipsa vix dubium relinquit. Nam quum primis tenebris i. e. paulo post horam diei duodecimam convenire Gracchus milites vellet, quis crediderit, eos iussos a decima demum diei hora corpora curare et somno operam dare? Nec magis aptum videtur *ad decimam diei horam;* quod sive interpretaris *usque ad*, ut continuata, quoad decima esset hora, actio sive status intelligatur, sive *circa*, ut tempus minus definitum, neutrum satis convenit huic loco. Sed verissimum putamus, quod ex codicis omnium praestantissimi, cum quo et alii nonnulli consentiunt, scriptura: *et an decuma diei horam* eruit, neque tamen ipse satis probavit Gronovius: *ante decimam diei horam.* Hoc enim modo loqui Latini solent ad praefiniendum id tempus, quo incidente rem aliquam factam esse volunt, ubi Germani dicimus *bis zu.* V. XXV, 22 sub fin. *Liberos fore suaque omnia habituros, qui ante Idus Martias exissent;* XXVI, 12 in. *ut, qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset;* XLI, 9 sub fin.; XLII, 21 med.; ibid. 22 in. Ante decimam autem horam Gracchus milites corpora curare somnoque operam dare voluit, ut ad parandam ipsam profectionem aliquid superesset post somnum temporis. De curandis corporibus v. ad XXI, 54, 2; de diei partitione ad XXII, 61, 24.

primis tenebris convenire ad signum possent, vigilia ferme prima tolli iussit signa, silentique profectus agmine, quum 18
ad Hamas media nocte pervenisset, castra Campana, ut in pervigilio, neglecta, simul omnibus portis invadit: alios somno stratos, alios perpetrato sacro inermes redeuntes obtruncat. Hominum eo tumultu nocturno caesa plus duo 19
milia cum ipso duce Mario Alfio; capta sunt signa militaria quattuor et triginta.

XXXVI. Gracchus, minus centum militum iactura ca- 1
stris hostium potitus, Cumas se propere recepit, ab Hannibale metuens, qui super Capuam in Tifatis habebat castra. Nec eum provida futuri fefellit opinio. Nam simul Capuam 2

---

vigilia f. prima) V. de vigiliis ad XXI, 27, 2 et ad 17
locutionem *signa tollere* ad XXII, 3, 11.

ut in pervigilio) V. supra ad c. 14, 1. 18

inermes redeuntes) V. ad c. 23, 9.

obtruncat) Aptissime Livius verbo *obtruncandi (in Stücken hauen, niedermetzeln)* in iis utitur, qui defendere vim illatam non possent. Asyndeton ostendit, eodem tempore, quo castra invaserit, ita ut nihil intercesserit morae, haec facta esse. V. ad XXI, 58, 5. Simul hoc modo et oppositione membrorum per *alios — alios* facta maiori verborum orbi, quo omnem Gracchi hostem aggredientis rationem agendi in unum comprehendit, gravem fortemque exitum addidit. Et animadverte, quomodo structuram variaverit, in priore periodi parte chiasmo (cf. ad c. 44, 5) potissimum usus in contra positis (*insidiandum tempori ratus — tolli iussit signa; custodibus ad portas positis — coactis militibus corpora curare; ne quis e. posset coepta — ut pr. t. convenire ad s. possent*), in posteriore parte anaphorae legem ad gravitatem rei accommodatiorem ducens (*invadit — obtruncat; alios somno stratos — alios p. s. inermes redeuntes*).

XXXVI.

iactura) Cf. supra ad c. 30, 2. 1

ab H. metuens) V. Sch. p. 455; Z. §. 414; infra XXIV, 32, 2; ibid. c. 38, 9; II, 24 in. *ancipiti metu et ab cive et ab hoste; XXIII, 15, 7 metus a praetore Romano; XLV, 26* med. *quum maior a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset.*

provida futuri) Duo optimi codd. mss.: *provida fuit viri*, 2
unde Gronovius veram scripturam eruit, quum antea lectio vulgaris esset: *provida viri fefellit opinio.* De structura cf. quae a Gronovio et Drakenborchio allata sunt: Cic. de div. II, 57

ea clades est nuntiata, ratus Hannibal, ab re bene gesta
insolenter laetum exercitum tironum magna ex parte servo-
rumque, spoliantem victos praedasque agentem ad Hamas
3 se inventurum, citatum agmen praeter Capuam rapit ob-
viosque ex fuga Campanorum, dato praesidio, Capuam duci,
4 saucios vehiculis portari iubet. Ipse Hamis vacua ab hosti-
bus castra nec quicquam praeter recentis vestigia caedis
5 strataque passim corpora sociorum invenit. Auctores erant
quidam, ut protinus inde Cumas duceret urbemque oppugna-
6 ret. Id quanquam haud modice Hannibal cupiebat, ut, quia
Neapolim non potuerat, Cumas saltem maritimam urbem ha-
beret, tamen, quia praeter arma nihil secum miles, raptim
acto agmine, extulerat, retro in castra supra Tifata se
7 recepit. Inde, fatigatus Campanorum precibus, sequenti die
cum omni apparatu oppugnandae urbis Cumas redit, per-
populatoque agro Cumano, mille passus ab urbe castra lo-
8 cat, quum Gracchus magis verecundia in tali necessitate
deserendi socios, implorantes fidem suam populique Romani,
9 substitisset, quam satis fidens exercitui. Nec alter consul
Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum flumen tra-
10 ducere audebat exercitum, occupatus primo auspiciis repe-

---

mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum effi-ciat; de nat. d. II, 22, 58 *provida utilitatum opportunitatumque omnium;* Tac. Ann. VI, 46 *providus futurorum.*

ab re bene g.) De *ab* praepositione causam indicante v. ad XXI, 36, 7.

3 *ex fuga*) De hac locutione diximus ad XXII, 55, 4.

6 *non potuerat*) Habes leve quoddam zeugma, quum ad *potuerat* minus bene verbum *habendi*, quod sequitur, sed potius *capiendi* supplendum mente sit. In sequentibus non recte plerique editores verba *maritimam urbem* distinctionibus a ceteris separarunt, quasi ea appositio esset Cumarum, quum contra ea verba ad praedicatum referenda sint.

raptim acto agmine) De hac locutione v. ad XXI, 61, 4 et ad verba *retro se recepit* supra ad c. 28, 4.

7 *perpopulatoque*) Alii: *populatoque.* Sed gravior vox, quam optimi libri habent, h. l. bene cum re videtur congruere. Et ita Livius XXII, 3, 10; ibid. 9, 2; XXVI, 9 extr.; XXXIV, 28 extr.; ibid. 56 sub fin.; XLIV, 27 in.

9 *V. flumen traducere*) De hac structura cf. ad XXI, 23, 1; infra XXIV, 41, 1.

tendis, dein prodigiis, quae alia super alia nuntiabantur,
expiantique ea haud facile litari haruspices respondebant.
XXXVII. Hae causae quum Fabium tenerent, Sem- 1
pronius in obsidione erat et iam operibus oppugnabatur.
Adversus ligneam ingentem, admotam urbi, aliam turrem 2
ex ipso muro excitavit consul Romanus, aliquanto altiorem,
quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo
usus erat. Inde primum saxis sudibusque et ceteris missi- 3
libus propugnatores moenia atque urbem tuebantur; postremo, 4
ubi promovendo adiunctam muro viderunt turrem, facibus
ardentibus plurimum simul ignem coniecerunt. Quo incen- 5

---

alia super alia) De collocatione et vi horum verbo- 10
rum v. ad XXI, 35, 12.

expiantique ea — respondebant) Structura mutata est in eum modum, de quo dictum supra ad c. 8, 3. *Respondere* et *responsum* propria sunt vocabula de haruspicum monitis.

XXXVII.

tenerent) V. supra ad c. 19, 4. 1

ingentem) Post hanc vocem in nonnullis libris additum 2
est: *turrim*, quod optimi non habent. V. ad XXI, 19, 9.

excitavit) Cf. XLIII, 18 sub fin. *postquam vineas agi turresque excitari viderunt;* XLIV, 6 extr. *ut vel murus obiici turresque excitari potuerint;* XXIX, 18 extr. *Ad aliquantum altitudinis excitata erant moenia;* XXXVIII, 3 extr. *copiam in propinquo materiae ad aggeres excitandos et cetera opera esse.* Eadem locutione alii quoque scriptores non raro utuntur.

subiectis v. sublicis) *subiectis* i. e. turri, quibus innisa staret. Heusingerus mavult *superiectis* i. e. muro, docens, *sub* et *super* in verbis coniunctis saepe confundi. Sed videtur Livius his verbis ostendere, quomodo muro pro solo usus sit Gracchus, quod ita factum esse, ut validas trabes turri subiiceret sive validis trabibus turris fundamenta firmaret. De voce *soli* cf. ad XXI, 28, 7.

promovendo) Hoc non videtur passive positum, ut 4
Crevierio aliisque placuit, sed absolute actionem promoventium significare (*durch Vorwärtsschieben*). Nam Livius quum communiter verba activa, ut multis locis ostendimus, tum gerundia hoc modo saepe ponit. Cf. ad XXI, 5, 3; infra XXIV, 20, 13; 48, 11; X, 30 post in. *superiecere quidam augendo fidem.*

Quo incendio) i. e. incendio inde orto. V. ad XXI, 5
46, 7.

dio trepida armatorum multitudo quum de turre sese praecipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis stationes hostium fudit fugavitque in castra, ut eo die obsesso quam
6 obsidenti similior esset Poenus. Ad mille trecenti Carthaginiensium caesi et undesexaginta vivi capti, qui, circa muros et in stationibus solute ac negligenter agentes, quum nihil minus quam eruptionem timuissent, ex improviso op-
7 pressi fuerant. Gracchus, priusquam se hostes ab repentino pavore colligerent, receptui signum dedit ac suos in-
8 tra muros recepit. Postero die Hannibal, laetum secunda re consulem iusto proelio ratus certaturum, aciem inter ca-
9 stra atque urbem instruxit. Ceterum postquam neminem moveri ab solita custodia urbis vidit, nec committi quicquam temerariae spei, ad Tifata redit infecta re.

10 Quibus diebus Cumae liberatae sunt obsidione, iisdem

---

eruptio ex opp. simul d. portis) Quod post *portis* olim inserebatur: *facta* glossa est, quam optimus quisque liber ms. non habet. Cf. supra ad c. 35, 7 et ad XXI, 36, 6; praeterea de locutione: *eruptio — fudit* ad XXI, 2, 3 et supra ad c. 17, 8.

6 *solute ac negligenter*) Solute agit, qui nullis tenetur sive coercetur legibus, negligenter, qui non ad curam animum intendit. Cf. XXXIX, 1 post in. *solute ac negligenter habiti sunt;* XXV, 39 med. *neglecta omnia ac soluta invenere;* XXVIII, 1 extr.

nihil minus — timuissent) Similia attulimus ad XXII, 19, 8.

8 *iusto proelio*) De hoc dictum est ad XXII, 28, 13.

10 *Quibus diebus — iisdem diebus*) Repetitio substantivi efficit, ut magis animadvertant lectores, eodem prorsus tempore duobus locis contra Poenos bene pugnatum esse. Cf. Weiss. §. 376 n. 4; Z. §. 472; Liv. XXXIV, 35 in. *Ex qua die scriptae conditiones pacis editae Nabidi forent, ea dies ut induciarum principium esset, et ut ex ea die intra decimum diem — praesidia omnia deducerentur;* VI, 1 extr. *diemque — duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi* etc.

liberatae sunt obsidione) Unus exiguae auctoritatis cod.: *ab obsidione*, quam lectionem ut falsam esse doceret, Drakenborchius laudavit XLV, 13 post in. *per quos obsidione miserrima liberati essent.* Adde XXII, 25, 9 *ut obsidione liberatos.* Ita etiam alii scriptores frequentissime loquuntur. Sed omnino tenendum, Livium in significando eo, cui subtrahitur aliquis liberatione, non addere praepositionem prae-

diebus et in Lucanis ad Grumentum Ti. Sempronius, cui Longo cognomen erat, cum Hannone Poeno prospere pugnat. Supra duo milia hominum occidit et ducentos octo- 11
ginta milites amisit; signa militaria ad quadraginta unum cepit. Pulsus finibus Lucanis Hanno retro in Bruttios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quae a populo Romano 12
defecerant, vi recepta per M. Valerium praetorem, Vercellium, Vescellium, Sicilinum, et auctores defectionis securi percussi. Supra mille captivorum sub hasta venierunt, 13
praeda alia militi concessa, exercitus Luceriam reductus.

---

terquam in hominibus. Itaque etiam III, 19 in. dixit *fraude liberare;* XXVII, 37 in. *liberatas religione mentes;* XXXVIII, 48 extr. *servitute liberati* et ibid. *liberatos regio imperio.* Contra praepositionem addidit II, 13 extr. *liberari ab hoste;* XXXII, 21 extr. *liberare a Philippo;* pariter XXXIII, 44 extr.; XXXIV, 58 extr.; XXXVI, 17 extr.; XXXIX, 33 med.; XXXV, 38 sub fin. *ad liberandos ab Romanis venire sese*, a quo quum, sententiam si spectes, vix differt *liberari ab imperio Romano*, etiam in hac locutione praepositionem semel videtur adiecisse XLII, 50 extr., si quidem vera ibi lectio servata est. At perperam editores VI, 20 post med. posuerunt: *nisi oculos quoque hominum liberassent ab tanti memoria decoris,* quum in optimo cod. Flor. praepositio non legatur.

cui Longo cognomen) Cognomen indicio est, eum esse, qui cum P. Scipione primo anno huius belli consul fuit. Duker. V. XXI, 6, 3. Et cavit adiectis his verbis scriptor, ne pro Ti. Sempronio Graccho haberetur.

hominum) Quum plerique iique optimi libri hanc lectio- 11
nem praebeant, iniuria videntur editores pro ea ex paucis libris recepisse *hostium.* Homines enim ab Sempronio sive Romanis occisos fuisse hostium, per se patet, ut non opus esset, hoc sollicite exprimere. Praeterea Livium saepe ita voce hominum uti, docuit Drakenborchius allatis locis: h. l. c. 35, 19; XXIV, 41, 10; ibid. 42, 4; ibid. §. 7; c. 49, 4; XXXVIII, 47 med.; XXXIX, 31 sub fin.; XL, 33 extr.

mille captivorum) De hac structura vocis mille v. 13
ad XXI, 61, 1.

sub hasta v.) V. ad c. 32, 15. Ex more autem Romanorum captivi fere pro aerario vendebantur. Itaque etiam hic cetera praeda eximuntur. Cf. V, 22 in.; VI, 4 in.; ibid. 13 sub fin.; X, 46 post in.; infra XXIV, 16, 5.

praeda alia) *Alius* quid hic declaret, v. ad XXI, 27, 6, et cf. infra c. 40, 5; XXIV, 27, 8; 40, 13.

exercitus Luceriam r.) Codd. optimi: *exercitusque curiam reductus;* alii: *Cumas reductus*, unde Gronovius op-

1 XXXVIIII. Dum haec in Lucanis atque in Hirpinis ge-
runtur, quinque naves, quae Macedonum atque Poenorum
captos legatos Romam portabant, ab supero mari ad in-
2 ferum circumvectae prope omnem Italiae oram, quum prae-
ter Cumas velis ferrentur, neque, hostium an sociorum es-
sent, satis sciretur, Gracchus obviam ex classe sua naves
3 misit. Quum percunctando in vicem cognitum esset, con-
sulem Cumis esse, naves Cumas appulsae captivique ad con-
4 sulem deducti et literae datae. Consul, literis Philippi at-
que Hannibalis perlectis, consignata omnia ad senatum iti-
5 nere terrestri misit, navibus devehi legatos iussit. Quum
eodem fere die literae legatique Romam venissent, et, per-
cunctatione facta, dicta cum scriptis congruerent, primo
gravis cura Patres incessit, cernentes, quanta vix toleran-
6 tibus Punicum bellum Macedonici belli moles instaret. Cui
tamen adeo non succubuerunt, ut extemplo agitaretur, quem-
admodum ultro inferendo bello averterent ab Italia hostem.
7 Captivis in vincula condi iussis, comitibusque eorum sub

---

time Livii verba restituit. Cf. c. 33, 5. Asyndeton hic in contra positis aptissimum est.

XXXVIIII.

2 *hostium an sociorum*) Nonnunquam *socii* ita opponuntur *hostibus*, ut priore nomine contineantur, quicunque ab iisdem partibus stant, non solum qui proprie socii (*Bundesgenossen*) dicuntur. Sic Sallust. Iug. 92, 2, postquam separatim de militibus Romanis et de Numidis, quo animo fuerint in Marium, exposuit, utrosque in unum coniungendo addit: *postremo omnes, socii atque hostes, credere, illi aut mentem divinam esse aut deorum nutu cuncta portendi.* Neque aliter Liv. XXIX, 31 in. *saepe eum in Hispania rarae inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque.*

3 *percunctando in vicem c. esset*) i. e. dum in vicem percunctantur alteri alteros, cognitum iis, qui in quinque navibus erant, consulem etc. De vi gerundii v. supra ad c. 15, 3. Livium autem non addidisse, utris cognitum sit, consulem Cumis esse, mirum videri non potest, quum ea res per se manifesta sit.

5 *moles*) De vi huius verbi v. ad XXI, 22, 9; infra ad XXIV, 34, 2.

7 *in vincula condi*) Cf. XXVI, 34 in. *Alios in vincula condendos;* XXVI, 16 med. *trecenti ferme nobiles Campani in*

hasta venditis, ad naves viginti quinque, quibus P. Valerius
Flaccus praefectus praeerat, viginti quinque parari alias de-
cernunt. His comparatis deductisque, et additis quinque 8
navibus, quae advexerant captivos legatos, triginta naves
ab Ostia Tarentum profectae; iussusque P. Valerius, militi- 9
bus Varronianis, quibus L. Apustius legatus Tarenti prae-
erat, in naves impositis, quinquaginta navium classe non
tueri modo Italiae oram, sed explorare de Macedonico bello.
Si congruentia literis legatorumque indiciis Philippi consilia 10

---

carcerem conditi; XXIX, 22 med. *Pleminius quique in eadem causa erant — in carcerem conditi;* pariter XXX, 21 post in.; XLV, 42 post in.; XXXI, 23 extr. *quos Philippus tanquam in tutissimam custodiam condiderat.*

ad n. viginti quinque) Iac. Gronovius, quod ex classe viginti quinque navium quinque dimisisset Valerius Flaccus, scribendum censuit: *ad naves viginti, quibus* etc. Sed Valerium non desiisse etiam quinque illis navibus praeesse, alii interpretes recte videntur monuisse. In sequentibus autem pro *viginti*, quod codices omnes habent, legendum esse ex coniectura eiusdem Gronovii et Perizonii *viginti quinque*, certum videtur. Neque enim aliter hoc loco triginta atque §. 9 quinquaginta navium numerus efficitur. Accedit, quod postea Livius *alias* non additurus fuit, si non idem numerus rediret.

parari) Haec est coniectura Gronovii, quam sequendam duximus, quod optimi codd. habent *paratis* et unus ex iis a. m. 2. *parari.* Inclinant tamen in id Gronovius, Drakenborchius, Bekkerus, ut id verbum omnino delendum putent esse. Alii codices quum praebeant *paratas*, Perizonius, cui assentiuntur nonnulli editores, coniecit *parandas.* Nec vero videtur dubium, quin verbum *decernendi* Livius non minus ponere potuerit cum infinitivo praes. pass. quam *censere*, de qua structura v. ad XXIV, 22, 5.

non t. modo —, sed) V. ad XXI, 43, 15; infra 9
XXIV, 14, 8; Weiss. §. 349 n. 3.

explorare de M. b.) Cf Nep. Hann. 2, 2 *qui de eius voluntate explorarent.* Nec raro hunc in modum aliis quoque verbis transitivis, quibus fere accusativus iungitur, additur *de.* V. ad XXII, 12, 4; praeterea VI, 17 extr. *negatum — de captivis;* ibid. 21 extr. *credi de criminibus;* X, 10 med. *De societate haud abnuunt;* XXXVI, 31 extr. *de quibus — recusare — vellent.* Ita saepe *gratulari victoriam* et *gratulari de victoria.* V. v. c. XXXVI, 25 in.; XLV, 20 in. et med.; XXXVI, 35 extr.; XLV, 3 med.; 13 in. et med.; 44 med.; Weiss. §. 260 n. 1.

ut — faceret) De mutata structura cf. quae exempla 10
attulimus ad XXI, 49, 7.

essent, ut M. Valerium praetorem literis certiorem faceret,
11 isque, L. Apustio legato exercitui praeposito, Tarentum ad classem profectus, primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret daretque operam, ut Philippum in regno con-
12 tineret. Pecunia ad classem tuendam bellumque Macedonicum ea decreta est, quae Ap. Claudio in Siciliam missa erat, ut redderetur Hieroni regi: ea per L. Apustium legatum
13 Tarentum est devecta. Simul ab Hierone missa ducenta milia modium tritici et hordei centum.

1 XXXIX. Dum haec Romani parant aguntque, ad Philippum captiva navis, una ex iis, quae Romam missae erant, ex cursu refugit: inde scitum, legatos cum literis captos.
2 Itaque ignarus rex, ecquae cum Hannibale legatis suis convenissent, quaeque legati eius ad se allaturi fuissent,
3 legationem aliam cum iisdem mandatis mittit. Legati ad Hannibalem missi Heraclitus, cui Scotino cognomen erat, et Crito Beroeaeus et Sositheus Magnes. Hi prospere tu-

---

11 *transmitteret*) *Transmittere* saepe absolute dicitur. V. ad XXI, 17, 6.

12 *ad classem tuendam*) *Tuetur* respublica *classem*, quum curat et de publico praebet quum alia ad eam instruendam et ornandam necessaria, tum remiges et socios navales, denique omnia, sine quibus classis haberi et usui esse non potest, quorum indicem quendam habet Liv. XXVIII, 45. Duker. Cf. infra c. 48, 6; XXIV, 18, 10; XXVIII, 41 sub fin.

XXXIX.

1 *una ex iis*) V. c. 34, 8 et 9.
ex cursu refugit) V. XLIV, 19 in. *Brundisii legatos iam esse, bis ex cursu Dyrrhachium reiectos.* Adde quae commemorata sunt ad XXII, 61, 8.

2 *rex, ecquae*) Hoc recte videtur Bekkerus ex coniectura Gronovii pro vulgata lectione: *ignarus de iis, quae* etc. recepisse. Nam cod. optimus habet: *ignarus ex quae*, quibus verbis manus altera inter versus adiecit *hec*. Hinc codices alii *ex haec quae*, alii *ex his, quae* et similia. Ignarum fuisse Livius regem dicit, num quid cum Hannibale convenisset (nam ne hoc quidem satis videtur comperisse), deinde quo consilio legatos ad se misisset.

3 *Beroeaeus*) Incertum est, num hoc nomen Livius posuerit. Nam codd. optimi habent: *Boeusotius*. Illud (de quo cf. ind. geogr.) receptum ab editoribus est ex coniectura Gro-

lerunt ac retulerunt mandata. Sed prius se aestas circum- 4
egit, quam movere ac moliri quicquam rex posset: tantum
navis una capta cum legatis momenti fecit ad dilationem
imminentis Romanis belli. Et circa Capuam, transgresso 5
Vulturnum Fabio post expiata tandem prodigia, ambo con-
sules rem gerebant. Compulteriam et Trebulam et Sati- 6
culam urbes, quae ad Poenum defecerant, Fabius vi cepit,
praesidiaque in iis Hannibalis Campanique permulti capti.
Et Nolae, sicut priore anno, senatus Romanorum, plebs 7
Hannibalis erat, consiliaque occulta de caede principum et
proditione urbis inibantur. Quibus ne incepta procederent, 8
inter Capuam castraque Hannibalis, quae in Tifatis erant,
traducto exercitu, Fabius super Suessulam in castris Clau-
dianis consedit; inde M. Marcellum propraetorem cum iis
copiis, quas habebat, Nolam in praesidium misit.

XL. Et in Sardinia res per T. Manlium praetorem 1
administrari coeptae, quae omissae erant, postquam Q. Mu-

---

novii. Idem et alteram coniecturam proposuit: *Boeotius*, quae quidem a codicum scriptura minus remota videtur.

se aestas circumegit) Non solum *circumagi* dicitur 4
tempus (cf. III, 8 in.; VI, 1 post in.; c. 38 in.; XXIII, 30 extr.; XXIV, 8 med.; XXVI, 40 in.), sed etiam *se circumagere*. Ita Liv. IX, 18 sub fin. *in ipso conatu rerum circumegit se annus*.

capta) V. supra ad c. 17, 8; infra XXIV, 4, 1.

Et circa Capuam) Cf. supra ad c. 21, 6. 5

post expiata t. prodigia) V. c. 36 extr.

Hannibalis erat) De genitivo cf. ad XXII, 50, 3. 7

Quibus) κατὰ τὸ σημαινόμενον, quasi ante dixisset: 8
consilia — *inibant* sive *consilia a plebeiis inibantur*.

super Suessulam) Hoc Cluverius restituit; codices multique libri typis expressi perperam: *super Vesuvium*. Cf. c. 17, 3; 32, 2; et maxime c. 46, 9; 48, 2; XXIV, 17, 2.

XL.

per T. Manlium praetorem) Tres codices minoris 1
auctoritatis: *propraetorem*, quod fuerunt qui praeferendum ducerent, quum non praetor, sed propraetor Manlius esset. Sed non raro a Livio nomen *praetoris* pro *propraetore* poni, Dukerus ostendit. V. c. 41, 8; supra c. 21, 4 coll. c. 32, 8; cap. 43, 12 coll. c. 39, 8; XXIV, 40, 2 coll. 20, 12.

2 cius praetor gravi morbo est implicitus. Manlius, navibus longis ad Carales subductis, navalibusque sociis armatis, ut terra rem gereret, et a praetore exercitu accepto, duo et viginti milia peditum, mille et ducentos equites confecit.
3 Cum his equitum peditumque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Hampsicorae castris castra posuit. Hampsicora tum forte profectus erat in Pellitos Sardos ad
4 iuventutem armandam, qua copias augeret; filius, nomine Hostus, castris praeerat. Is, adolescentia ferox, temere proelio inito fusus fugatusque. Ad tria milia Sardo-
5 rum eo proelio caesa, octingenti ferme vivi capti. Alius exercitus primo per agros silvasque fuga palatus; dein, quo ducem fugisse fama erat, ad urbem nomine Cornum, caput
6 eius regionis, confugit. Debellatumque eo proelio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Hasdrubale, quae tempestate deiecta ad Baliares erat, in tempore ad spem
7 rebellandi advenisset. Manlius post famam appulsae Punicae classis Carales se recepit: ea occasio Hampsicorae
8 data est Poeno se iungendi. Hasdrubal, copiis in terram

---

2 *subductis*) V. supra ad c. 28, 3.
nav. sociis armatis) Cf. ad XXI, 49, 7 et de ablativo *terra* ibid. ad c. 41, 4.
3 *castris castra*) V. Weiss. §. 492 n. 4; Z. §. 794; hoc c. §. 9.
4 *filius* etc.) Quum et prior et haec enuntiatio ostendat, quo statu res apud Sardos fuerit, quo tempore adversus eos Romani castra ponebant, tollenda ante haec verba visa est maior distinctio, contra ponenda ante *is*, unde incipit narratio eius rei, quae ex illo rerum statu secuta est.
5 *eius regionis*) i. e. eius regionis, in qua pugnatum erat. Perperam enim Doeringius haec verba ad Pellitos Sardos refert.
6 *cl. P. cum d. Hasdrubale*) V. supra ad c. 19, 17. *Cum duce Hasdrubale* h. l. cum verbis *classis Punica* coniunxerim, de quo dicendi genere v. ad XXI, 63, 2. Inde factum est, ut illa interponerentur inter *classis Punica* et *quae.* De re ipsa v. c. 34, 16.
in tempore ad sp. r.) *In tempore* hic idem fere valet quod opportuna. Poteris igitur conferre quae allata sunt ad XXI, 25, 6; praeterea v. ad XXI, 57, 6.
8 *perventurus erat, ni — continuisset*) i. e. per-

expositis, et classe remissa Carthaginem, duce Hampsicora ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Carales perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primo castra castris 9
modico intervallo sunt obiecta, deinde procursationes leviaque certamina vario eventu inita; postremo descensum in aciem, signisque collatis iusto proelio per quattuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Poeni, Sardis facile vinci 10
assuetis, fecerunt: postremo et ipsi, quum omnia circa strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi. Ceterum terga dan- 11
tes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus. Caedes inde magis quam pugna fuit. Duodecim 12
milia hostium caesa Sardorum simul Poenorumque, ferme tria milia et septingenti capti et signa militaria septem et viginti.

XLI. Ante omnia claram et memorabilem pugnam fe- 1
cit Hasdrubal imperator captus et Hanno et Mago, nobiles Carthaginienses, Mago ex gente Barcina, propinqua 2
cognatione Hannibali iunctus, Hanno auctor rebellionis Sardis bellique eius haud dubie concitor. Nec Sardorum duces 3
minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt: nam et 4
filius Hampsicorae Hostus in acie cecidit; et Hampsicora, cum paucis equitibus fugiens, ut super afflictas res necem

---

venturus erat et pervenisset, ni — continuisset. V. de hoc loquendi genere ad XXII, 60, 17.

signisque collatis iusto pr.) Cf. XXII, 24, 11 9
Iusta quoque acie et collatis signis dimicatum; ubi vide.

Sardis — assuetis) Explicatur his ablativis absolutis, 10
qui factum sit, ut Poeni modo pugnam ancipitem facerent. Non alia igitur est sententia ac si Livius per interclusionem dixisset: Sardi enim facile vinci assueti erant.

XLI.

auctor rebellionis Sardis) V. VII, 23 post in. 2
auctor Patribus scribendi alterius exercitus; IX, 20 post med. *pacis per omnem Apuliam praestandae populo Romano auctores;* XLV, 26 post in. *iidem universae genti auctores desciscendi ab Romanis.* Cf. et X, 41 post in. *dux alaribus cohortibus;* XXXIV, 23 in. *Achaeos Philippo quondam milites.* Weiss. §. 307; Z. §. 681.

quoque filii audivit, nocte, ne cuius interventus coepta im-
5 pediret, mortem sibi conscivit. Ceteris urbs Cornus eadem, quae ante, fugae receptaculum fuit; quam Manlius, victore
6 exercitu aggressus, intra paucos dies recepit. Deinde aliae quoque civitates, quae ad Hampsicoram Poenosque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese. Quibus stipendio frumentoque imperato pro cuiusque aut viribus aut delicto,
7 Carales exercitum reduxit. Ibi navibus longis deductis, impositoque, quem secum advexerat, milite, Romam navigat Sardiniamque perdomitam nuntiat Patribus, et stipendium quaestoribus, frumentum aedilibus, captivos Q. Fulvio praetori tradidit.

8 Per idem tempus T. Otacilius praetor, (quinquaginta navium) ab Lilybaeo classe in Africam transvectus depo-
9 pulatusque agrum Carthaginiensem, quum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Hasdrubalem a Baliaribus nuper traiecisse, classi Africam repetenti occurrit, levique certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navalibus

---

5 *victore exercitu aggr.*) V. ad c. 29, 2.
6 *obsidibus datis*) V. ad c. 24, 10.
viribus) i. e. opibus. Cf. v. c. VI, 5 med. *ad quem* (agrum) *instruendum vires non essent.*
7 *stipendium quaestoribus* etc.) Quo magis appareret, quot modis rempublicam iuvisset Manlius, et dissolute haec Livius dixit et in collocatione verborum eundem ordinem secutus est. Cf. supra ad c. 35, 8.
8 *T. Otacilius praetor*) i. e. propraetor. V. supra c. 32 extr.; ad c. 40, 1.
(*quinquaginta navium*)) Haec verba quum in nonnullis optimorum codicum non inveniantur, dubiae sunt auctoritatis. Accedit, quod et collocatio eorum a solita recedit.
9 *s. inde n.*) i. e. ex ea classe. Nam ita saepissime adverbia loci ponuntur, ut ad substantiva referantur proprie locum non indicantia obtineantque praepositionum cum pronominibus sive demonstrativis sive relativis iunctarum locum. Cf. v. c. II, 32 post med. *facundum virum, et quod inde oriundus erat, plebi carum;* IV, 13 extr. *se dictatorem L. Quinctium dicturum. Ibi animum parem tantae potestati esse;* XXXVI, 19 extr. *sexaginta milia militum fuisse in regio exercitu, quadraginta inde milia cecidisse.*
passim disiecit) V. ad c. 26, 7.

cepit; ceteras metus haud secus quam tempestas passim disiecit.

Per eosdem forte dies et Bomilcar cum militibus, ad 10
supplementum Carthagine missis, elephantisque et commeatu
Locros accessit. Quem ut incautum opprimeret, Ap. Clau- 11
dius, per simulationem provinciae circumeundae Messanam
raptim exercitu ducto, aestuque suo Locros traiecit. Iam 12
inde Bomilcar ad Hannonem in Bruttios profectus erat, et
Locrenses portas Romanis clauserunt. Appius, magno conatu nulla re gesta, Messanam repetit.

Eadem aestate Marcellus ab Nola, quam praesidio ob- 13
tinebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum et Samnites Caudinos fecit, adeoque omnia ferro atque igni vasta- 14
vit, ut antiquarum cladium Samnio memoriam renovaret.

XLII. Itaque extemplo legati ad Hannibalem missi 1
simul ex utraque gente ita Poenum allocuti sunt: *Hostes* 2

---

aestuque suo) De *aestu* v. ad XXI, 49, 2. Vulgata 11
lectio est: *aestu secundo*, ut saepius locuti sunt veteres. V. Sall. fragm. I, 48 *aestu secundo furtivaque celeritate vitari proelium in transgressu conatus est;* Caes. b. g. IV, 23 *et ventum et aestum uno tempore nactus secundum;* Iustin. XII, 10 *secundo aestu ostio fluminis Indi invehitur.* Sed quum in plerisque omnibus et optimis codicibus sit *aestuque suo,* hoc cum Bekkero recepimus. Drakenborchius ex auctoritate trium librorum deletam vult coniunctionem *que*, secutique sunt Strothius, Baumgarten-Crusius, alii. Sed cur non dixerit Livius: quum raptim — duxisset et suo aestu uteretur (proprie: *nach schleunig geführtem Heere und bei ihm günstiger Fluth*), ut duo afferret, quibus Appius usus est, celeritatem et aestum? Cf. supra ad c. 14 extr.; c. 43, 7. De vi pronominis possessivi v. ad XXII, 39, 21, et qui loci hic ab interpretibus laudati sunt: Horat. epod. 9, 30 *Cretam — ventis iturus non suis;* Ovid. Her. XV, 72 *Non agitur vento nostra carina suo.*

Samnites Caudinos) De nominibus gentium positis 13
pro regionum nominibus cf. ad XXI, 5, 5.

Samnio) Regionis nomen pro populi positum. V. ad 14
XXI, 1, 5.

XLII.

extemplo) Haec vox quum referatur ad *missi*, non 1
potest cum plerisque editoribus distinctio poni post *legati*. Cf. ad XXII, 3, 11.

populi Romani, Hannibal, fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostrae vires nos tutari poterant.
3 *Postquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus; a quo relicti pacem necessariam accepimus, fuimusque in ea per annos prope quinquaginta, ad id*
4 *tempus, quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunaque quam unica comitas ac benignitas erga cives nostros, quos captos nobis remisisti, ita conciliavit tibi, ut, te salvo atque incolumi amico, non*

---

2 *primum*) Cf. Weiss. §. 333. n. 1. Non sequitur, ut saepe, *deinde*, quod inest in verbis: *Postquam — fidebamus.*

per nos ipsi) Ita semper *ipse* locutionibus *per se*, *per me* etc. quum eae idem declarant, quod *solus* sive *sua sponte*, in casu recto additur. Nam in eiusmodi locis *ipse*, quod vix differt a *per se*, non pronomini *se* etc. additur, ut eius casum sequi possit, sed, quo eadem sententia fortius exprimatur, toti locutioni *per se*. Cf. I, 49 extr. *societates per se ipse, cum quibus voluit, iniussu populi ac senatus, fecit diremitque;* III, 6 med. *ut per se ipsi Hernici cum Latinis res suas tutarentur;* XXXVI, 35 med. *Elei per se ipsi quam per Romanos naluerunt Achaico contribui concilio;* XXXVII, 26 in. *res navalis ipsa per se;* XXV, 11 post in.; XXXVI, 7 post in. etc.

3 *accepimus*) „Unus cod. *fecimus*. Sed cum emphasi Samnites dicunt, se *accepisse* pacem, i. e. qualemcunque Romani victores dare voluerant. V. XXXII, 33 in. *Eius esse priorem orationem, qui daret pacis leges, non qui acciperet;* c. 36 post in. *quascunque senatus dedisset, leges pacis accepturum.*" Drakenborch.

prope quinquaginta) Quum anno ante Chr. n. 272. pax data sit Samnitibus, anno 218. Hannibal in Italiam venerit, quinquaginta quattuor annos in ea pace Samnites fuisse patet. Hinc Sigonius contra codices omnes scribendum censet: *prope sexaginta*. Neque tamen quicquam videtur mutandum. Nam *prope* (*nahe bei*, *nahe an*) semper maiori numero non expleto adiici, quae fuit sententia Sigonii, non est necesse, sed potest etiam referri ad minorem (cf. Liv. VI, 2 in.; Weiss. §. 288 extr.); quod autem ait, in hac oratione omnia in maius augeri, non vidit, dicentium interfuisse, alia augere, alia minuere, augere numerum annorum in bello contra Romanos transactorum, minuere eorum, per quos pax sibi cum Romanis fuisset. Quare etiamsi *prope* in eandem, in quam Sigonius, sententiam accipias, defendi tamen vulgata scriptio potest.

4 *unica c.*) V. supra ad c. 21, 5.

ut — timeremus) i. e. ut putaremus, dum tu amicus nobis viveres resque tuae bene se haberent, non modo populum Romanum, sed ne deos quidem timendos esse. Perperam Heu-

modo populum Romanum, sed ne deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At hercule non solum incolumi 5
et victore, sed praesente te, quum ploratum prope coniugum ac liberorum nostrorum exaudire et flagrantia tecta posses conspicere, ita sumus aliquoties hac aestate devastati, ut M. Marcellus, non Hannibal, vicisse ad Cannas videatur, glorienturque Romani, te, ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo emisso, torpere. Per 6

---

singerus interpretatus est: *dass wir — fürchten würden.* Loquuntur enim de praeterito tempore falsaque spe. *Salvum* ad vitam refertur, *incolume* ad integram rerum conditionem. Nescio autem, an Livius, qui alias maxime variare solet enuntiationum aliarum alias excipientium structuram, hic consulto (§. 4 et 5) duas periodos eundem in modum, i. e. ut utrobique per *ita — ut* ad id, quod gravissimum est, perveniatur, struxerit, quo magis, quid inter spem et rem interfuerit, animadverteretur.

non modo p. R., sed ne d. quidem) V. supra ad c. 29, 16.

quum ploratum prope — posses) Nonnulli codices, 5
inter quos unus ex optimis, exhibent: *comploratum,* quae lectio placuit Drakenborchio, Strothio, Heusingero, Bekkero, aliis. Itaque haec verba parenthesi incluserunt. Sed codicum in hac re exigua auctoritas est, quum innumeris locis inter se permutata sint *cum* et *com;* deinde quod Drakenborchius frequentia ait esse apud Livium verba *complorandi, comploralionis, comploratus* (v. de hoc XXII, 55, 7; XXV, 26 sub fin. *iustoque comploratu prosequerentur mortuos,* unde colligas, id nomen a Livio potissimum in lugentibus poni), non minus saepe Livius utitur voce *ploratus* atque in locis huic simillimis, ut eius consuetudo potius hanc scriptionem tueatur. Nam cf. XXVI, 13 post med. *coniuges, liberi, quorum ploratus hinc prope exaudiebantur;* II, 33 sub fin. *Clamor — mixtus muliebri puerilique ploratu;* V, 21 post med.; 42 med.; XXXVIII, 22 extr.; XXV, 26 sub fin. Omnibus his locis, ultimo excepto, mulieribus puerisque, ut hic, tribuitur *ploratus.* Accedit, quod Livium credibile non est scripsisse: *comploratum prope — exaudire — posses,* quod abhorrere videtur a Latini sermonis elegantia, sed *prope — exaudire — poteras.*

sumus — devastati) Similia vide ad XXII, 9, 5.

videatur) Maior vis est in tempore praesenti quam in imperfecto, quod et ipsum ponere potuit Livius. Nam praesens indicat, eo quoque tempore, quo haec loquantur legati, infamia quadam ex sociis non defensis Hannibalem laborare.

velut aculeo emisso) Hoc ex optimi codicis vestigiis restituerunt Freinshemius et Gronovius, quum antea in libris

centum prope annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adiuti nec duce nec exercitu, nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas
7 *auxit vires quam suis viribus nos defendit. Non ego secundis rebus nostris gloriabor, duos consules ac duos consulares exercitus a nobis sub iugum missos, et si*
8 *qua alia aut laeta aut gloriosa nobis evenerunt. Quae*

---

esset: *velut iaculo emisso.* Cf. Plin. h. n. XI, 18 *Aculeum apibus natura dedit ventri consertum. Ad unum ictum hoc infixo, quidam eas statim emori putant; aliqui non nisi in tantum adacto, ut intestini quidpiam sequatur, sed fucos postea esse nec mella facere, pariterque et nocere et prodesse desinere.* V. praeterea quae exempla laudavit Gronovius: Curt. IV, 14, 13 *ubi primum impetum effudit* (temeritas), *velut quaedam animalia, emisso aculeo, torpet;* Cic. Flacc. 17, 41 *mortuus est, aculeo iam dimisso ac dicto testimonio.* Bekkerus ex Trilleri coniectura contra omnes codices recepit *amisso*, quod probari non potest. Nam *amittimus* aliquid incuria et inviti, *emittimus* voluntate, quod est apum aculeo pungentium. Itaque, ut Curtii locum, qui et ipse potest dubiae auctoritatis videri, praeteream, Cicero dixit l. l. *dimisso aculeo:* nam verbum *dimittendi* sicut *emittendi* voluntariam actionem significat. Vides igitur, hoc loco verbo *emittendi* ostendi, Hannibalem ita perdidisse aculeum, ut antea eo uteretur, id quod optime congruit cum verbis: *ad unum modo ictum vigentem.*

6 *Per centum pr. annos*) Cf. ad c. 5, 8. Exponitur iam accuratius, qualis ea clades, de qua loquuntur, sit. Longissimo tempore, inquit, bellum cum Romanis nostris viribus gessimus, et tamen, ut taceam de iis, quae secunda habuimus, ne adversis quidem rebus tam foeda quam nunc tulimus, quum illo tempore clades intulerint magni imperatores exercitusque, quibus cedere haud indecorum erat, nunc exiguo praesidio Romano turpiter succumbamus.

nullo ext. adiuti nec d. nec ex.) Ablativus videtur instrumenti esse, ita ut non ipsi per se cogitentur adiuvisse dux aut exercitus, sed auxilio dati. Cf. ad XXI, 46, 5.

7 *Non ego — gloriabor*) Aliquot codices praebent: *Non ergo — gloriabimur*, quod perperam probat Sigonius. Nam ut *ergo* hic ineptum est, ita apte ad personam eius, qui pro ceteris verba facit, transitus fit, ubi dicitur, quod minus bene quam priora atque ea, quae subsequuntur, ad omnes Samnites possit referri quodque utrum commemoretur nec ne, oratoris potissimum est diiudicare. Similem in modum qui verba facit ceterorum nomine ad suam personam transit VII, 30 sub fin. Et cf. quae dicta sunt ad XXII, 37, 5 et ibid. 59, 18.

sub iugum missos) V. de re ipsa Liv. IX in.

*aspera adversaque tunc acciderunt, minore indignatione
referre possumus, quam quae hodie eveniunt. Magni* 9
*dictatores cum magistris equitum, bini consules cum binis
consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros;
ante explorato, et subsidiis positis, et sub signis ad
populandum ducebant; nunc propraetoris unius et parvi* 10
*ad tuendam Nolam praesidii praeda sumus. Iam ne
manipulatim quidem, sed latronum modo percursant totis*

---

aut laeta aut gloriosa) *Gloriosa* multa possunt esse, quae non eadem *laeta* sunt. Nam gloriam afferre possunt etiam quae secus quam cupimus, eveniunt. Itaque Livius haec opponere potuit per *aut — aut*. Et cf. Hand. Tursell. I, p. 532: „Interdum in hac rerum oppositione non tam ad id respicitur, quod alterum ab altero tollitur, quam eo, ut tertium quodcunque excludatur.“

aspera adversaque) In *aspero* molestia, quam habet, 8
spectatur, in *adverso* incommodum.

Magni dictatores) Additur causa, cur antiquiora illa 9
minore indignatione referre possint. Deest igitur particula causalis. Cf. ad XXI, 44 extr. *Magni* referendum non est ad animi magnitudinem illorum virorum, cuius rei mentio hic apta non est, sed ad dignitatem, sicut similiter Horatius Sat. I, 6, 72 dixit: *magnis e centurionibus orti.*

ante explorato) V. ad XXI, 25, 9.

ad populandum) *Populari* saepe apud Livium absolute positum invenias. V. v. c. II, 63 extr.; IX, 31 post in.; VII, 22 in.; ibid. 25 in.; VIII, 17 in.; X, 14 in. etc.

propraetoris) Optime hanc scripturam restituit Wal- 10
chius ex codice praestantissimo, in quo legitur: *propriunius*. Vulgata lectio erat: *nunc prope unius* etc., ubi et *prope* absonum est ab re, et deest, quod opponatur dictatoribus et consulibus. Nec magis aptum esse, quod Drakenborchius ex plurimis codicibus recepit: *proprii unius*, quivis facile videt.

ad tuendam N. praesidii) *Ad* referendum est ad *praesidium*. V. ad XXI, 15, 6. Aliter Heusingerus et Klaiberus, qui verba *ad tuendam Nolam* coniungentes cum *parvi* ita locum interpretantur, velut si scripsisset Livius: *parvi etiam ad tuendam Nolam praesidii*. Sed parvum praesidium atque ad Nolam tantum tuendam destinatum opponitur exercitibus consularibus bellum toti Samnio inferentibus.

Iam ne manip. quidem) Haec opponuntur verbis: *ante explorato et subsidiis positis.*

latronum modo) De *latronibus* et *hostibus* inter se frequenter oppositis v. ad XXI, 35, 2.

percursant totis f.) Similiter *percurrendi* verbo Livius usus est non addito accusativo eius rei, quae percurritur.

finibus nostris negligentius, quam si in Romano vaga-
11 *rentur agro. Causa autem haec est, quod neque tu de-*
fendis, et nostra iuventus, quae, si domi esset, tutare-
12 *tur, omnis sub signis militat tuis. Nec te nec exerci-*
tum tuum norim, nisi, a quo tot Romanas acies fusas
stratasque esse sciam, ei facile esse ducam opprimere
populatores nostros vagos, sine signis, palatos, quo
13 *quemque trahit quamvis vana praedae spes. Numida-*
rum paucorum illi quidem praeda erunt, praesidiumque

V. XXVI, 15 med. *Inde citato equo Cales percurrit* i. e. Cales usque pergit currere sive non intermisso cursu Cales tendit; XLIV, 2 extr. *cum equitibus expeditis litore nunc Heracleum nunc Philam percurrebat. Percursare totis finibus* videtur esse totis finibus cursando pergere sive per omnia cursare (nusquam impeditum). Ipsa vox *percursandi* e rarioribus est, sed *percursationem* iam dixit Cicero et absolute quidem Phil. II, 39, 100 *O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili atque Maio, tum, quum etiam Capuam coloniam deducere conatus es!*

Rom. vagarentur agro) Interiecto verbo *vagarentur* Livius separavit *Romano* ab *agro*, quo maior vis esset in eo verbo, in quo est oppositio i. e. in *Romano*. Tali modo innumeris locis interposito vocabulo aliquo adiectiva a substantivis seiunguntur, quo facilius, quae inter se opponantur, possint cognosci. V. supra §. 6 *suas auxit vires;* §. 11 *sub signis militat tuis;* infra ad XXIV, 1, 1.

11 *defendis — tutaretur*) Utrumque verbum obiecto hic caret, sed talis est loci ratio, ut illud facile ex prioribus cogitatione addas.

12 *Nec te — norim, nisi* etc.) Similiter Germani dicimus: *Ich müsste dich nicht kennen, wenn ich glauben könnte.* Sed rarius est apud Latinos hoc dicendi genus; nam fere hoc expresserunt per *aut* — *aut* (cf. v. c. XXII, 39, 8 *aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Trasimeno locus nostris cladibus erit;* praef. sub fin. *aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla umquam respublica nec maior nec sanctior — fuit;* IX, 7 in.), vel ita, ut quae a *nisi* incipiat enuntiatio, per interiectionem ponatur, ut fere in locutionibus usitatissimis: *nisi me fallit animus*, et quae sunt eiusdem generis.

populatores nostros) Cf. Z. §. 424; Sch. p. 536.

palatos, quo) i. e. palatos eo, quo etc.

13 *illi quidem*) V. Weiss. §. 335, et cf. supra ad c. 12, 17.

pr. simul nobis et N. ademeris) Ita vestigia prementes optimi libri, qui habet: *praesidiumquemisul nobis et*

simul nobis et Nolae ademeris; si modo, quos, ut socios haberes, dignos duxisti, haud indignos iudicas, quos in fidem receptos tuearis.

XLIII. Ad ea Hannibal respondit: *Omnia simul facere Hirpinos Samnitesque: et indicare clades suas et petere praesidium et queri indefensos se neglectosque.* 1

---

nolae ademdem eris, scribendum putamus. Ceteri codices fere pro *misul* praebent *missum.* Sententia haec videtur esse: „Si illi populatores praeda erunt eorum, quos tu miseris, nos pariter atque Nolanos (quos fingit oppressos a Romanis vi retineri) praesidio illo liberaveris." Nam quum per totum Samnium vagarentur Romani, poterant ibi non minus quam Nolae videri in praesidio esse. Quam apte autem hoc modo qui verba facit spem ostendat Nolae simul occupandae, facile est ad intelligendum. Alii alia probaverunt. Nam Drakenborchius cum eoque alii receperunt: *praesidiumque missum nobis et Nolae ademerit*, quod explicant: praesidium nobis missum etiam ademerit praesidium Nolae; Strothius et Bekkerus: *praesidiumque missum nobis et Nolae ademeris;* Walchius coniecit: *praesidiumque immissum nobis et Nolae ademeris;* Weissenbornius: *praesidiumque missum simul nobis et Nolae ademtum erit;* quae omnia vel sententiam habent minus aptam vel a praestantissimo cod. longius discedunt. Saepe autem in illo cod. redundant literae vel non suo loco positae sunt. Cf. supra ad c. 8, 3; 9, 11; 13, 5; 15, 2 et infra ad XXIV, 34, 10.

ut s. haberes, dignos) Noluit Livius dicere: *quos, quos socios haberes, d. d.*, quare *ut* praetulit. V. ad XXII, 59, 17; infra ad XXIV, 16, 19.

XLIII.

Indicandum — fuisse) *Indicare* hic absolute est: *Anzeige machen.* 2

ni impetraretur) Poteras exspectare: *si non impetraretur* propter oppositionem, quae videtur esse, verborum *tum denique* et inde nascentem vim negationis. Sed Livius videtur verba *tum denique* potius ad ea, quae ante commemorata sunt, retulisse, ut sententia sit: postremo i. e. indicata re, petito praesidio, tum denique querendum fuisse, praeterquam si Hannibal subveniendo querelas eorum tolleret. Quanquam etiam hoc tenendum est, nonnunquam minus diligentes esse in discernendis his locutionibus scriptores. V. VIII, 10 extr. *si is homo, qui devotus est, moritur, probe factum videri: ni moritur, tum signum — in terram defodi.* Cf. et III, 68 extr.; V, 28 sub fin.; ibid. 44 extr. Imperfecti autem coniunctivum, non plusquamperfecti, posuit scriptor id spectans, quod fieret eo tempore, quo querelae deferendae essent. Cf. ad XXI, 5, 11.

2 *Indicandum autem fuisse primum, dein petendum praesidium; postremo, ni impetraretur, tum denique querendum,*
3 *frustra opem imploratam. Exercitum sese non in agrum Hirpinum Samnitemve, ne et ipse oneri esset, sed in proxima loca sociorum populi Romani adducturum: iis populandis et militem suum repleturum se et*
4 *metu procul ab iis summoturum hostes. Quod ad bellum Romanum attineret, si Trasimeni quam Trebiae, si Cannarum quam Trasimeni pugna nobilior esset, Cannarum se quoque memoriam obscuram maiore et clariore*
5 *victoria facturum.* Cum hoc responso muneribusque amplis legatos dimisit. Ipse, praesidio modico relicto in Ti-
6 fatis, profectus cetero exercitu ire Nolam pergit. Eodem Hanno ex Bruttiis cum supplemento Carthagine advecto atque elephantis venit. Castris haud procul positis, longe alia omnia inquirenti comperta sunt, quam quae a legatis socio-
7 rum audierat. Nihil enim Marcellus ita gerebat, ut aut for-

---

3 *in proxima loca*) i. e. in proxima agro Hirpino Samnitique loca.

repleturum) Animadvertenda est vis, quam hic habet *replere;* quum non addita re, qua repleantur milites, idem fere valeat, quod *locupletare.*

metu) Cf. supra ad c. 34, 6; XXVIII, 43 med. *quum quattuor exercitus Poenorum, quattuorque duces omnia metu armisque tenerent;* ibid. *post tot urbes vi captas aut metu subactas in ditionem.*

4 *Trasimeni — Trebiae — pugna*) V. Weiss. §. 205 n. 2 et n. 4. Facile autem patet, h. l. genitivum maxime orationis concinnitati et elegantiae convenisse. Nam si praepositionem *ad* singulis nominibus Livius praemisisset, ingrata ea erat sine ulla vi repetitio; adiectivum autem praeterquam in tertio nomine a consuetudine eius alienum erat. Nusquam enim dixit *pugna Trasimena* vel *p. Trebiana.*

maiore et clariore) Haec adiectiva quum alii tum Livius saepe coniungunt. V. X, 37 in. *Pax tamen clarior maiorque — parta est;* XXVIII, 12 sub fin. *maximus clarissimusque — dux;* 41 post in. et sub fin. *victoria illa maior clariorque;* XXXVIII, 50 post in. *cum maiore et clariore viro.*

5 *c. exercitu ire N. p.*) V. ad c. 29, 2 et ad c. 27, 3.

6 *ex Bruttiis*) De praepositione v. supra ad c. 1, 1.

inquirenti comperta sunt) V. Weissenb. §. 306 et quae dicta sunt ad XXI, 2, 4.

tunae aut temere hosti commissum dici posset. Explorato cum firmisque praesidiis, tuto receptu, praedatum ierat, omniaque velut adversus praesentem Hannibalem cauta provisaque fuerunt. Tum, ubi sensit hostem adventare, copias 8
intra moenia tenuit; per muros inambulare senatores Nolanos iussit et omnia circa explorare, quae apud hostes fierent. Ex iis Hanno, quum ad murum successisset, Heren- 9
nium Bassum et Herium Pettium, ad colloquium evocatos permissuque Marcelli egressos, per interpretem alloquitur. Hannibalis virtutem fortunamque extollit; populi Romani ob- 10
terit senescentem cum viribus maiestatem. *Quae si paria* 11

---

aut fort. aut temere h. c.) Alterum sciens vel con- 7
sulto fecisset Marcellus, si quidem fortunae nimis confideret, alterum negligentia, si non reputaret, quam occasionem hosti praeberet. Hinc in altero membro Livius adiecit *temere.*

cauta provisaque) Cf. XXV, 34 med. *dux cautus et providens Scipio;* XXXVI, 17 sub fin. *Cavere* est damna vel pericula vitantium, *providere* agentium, quae usui in posterum possunt esse.

fuerunt) Sic libri omnes. Crevierius coniecit: *fuerant.* Sed cf. ad c. 29, 16.

per muros) Cf. supra ad c. 15, 5. 8

obterit) *Obterere aliquid* non raro ii dicuntur, qui ver- 10
bis aliquid elevant. V. Cic. Div. I, 16, 29 *quum Achivi coepissent inter sese strepere aperteque artem obterere extispicum;* Nep. Timol. 1 *nonnulli — invidia laudem virtutis obterebant;* Curt. VIII, 1, 23 *donec Philippi res orsus obterere;* ibid. §. 31 *Et rex, velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat.* Hic autem *obterere* duplicem quandam vim habet, quam praegnantem vocant. Nam *obterere senescentem maiestatem* est obterendo maiestatem dicere, eam senescere. Eodem modo Livius locutus est XXIV, 15, 7 *quum Poenus mancipia Romana et ex ergastulo militem verbis obtereret.*

Quae si paria essent) Livius post substantiva femi- 11
nini generis h. l. genus neutrum eo consilio videtur posuisse, quo latius pateret sententia, neque ea solum, quae diserte commemoravit, sed alia quoque, quae ab utraque parte opponi inter se possent, significaret. Ita non raro genus neutrum optimus quisque ex scriptoribus Latinis posuit. V. Liv. XXXII, 29 med. *Delectu rebusque aliis divinis humanisque, quae per ipsos agenda erant, perfectis;* XLIV, 1 extr. *Favere enim pietati fideique deos, per quae populus Romanus ad tantum fastigii venerit;* Cic. Tusc. I, 24, 56 *tam natura putarem hominis vitam sustentari quam vitis, quam arboris: haec enim*

essent, ut quondam fuissent, tamen expertis, quam grave Romanum imperium sociis, quanta indulgentia Hannibalis etiam in captivos omnes Italici nominis fuisset, Punicam Romanae societatem atque amicitiam prae-
12 *optandam esse. Si ambo consules cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis pares Hannibali futuros, quam ad Cannas fuissent: nedum praetor unus*
13 *cum paucis et novis militibus Nolam tutari possit. Ipsorum quam Hannibalis interesse, capta an tradita Nola potiretur. Potiturum enim, ut Capua Nuceriaque potitus esset; sed, quid inter Capuae Nuceriaeque fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos Nolanos scire.*
14 *Nolle ominari, quae captae urbi cessura forent; sed po-*

---

etiam dicimus vivere; ibid. III, 4 in. *reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae. Haec enim fere sunt eiusmodi* etc.; Sall. Cat. 3, 4 *audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur,* atque ita saepe hic scriptor.

indulgentia H. in capt.) Cf. XXXVI, 14 med. *Athamanum praecipue captivis indulgenter habitis;* Fragm. l. 133 de Cleopatra: *quum ab Augusto capta indulgentius tractaretur;* Curt. X, 5 sub fin.

12 *praetor*) V. ad c. 40 in.

13 *quam Hannibalis*) Pauci libri iique fere deteriores ante *quam* addunt *magis.* V. Weiss. §. 439; Ramsh. p. 489. Livius saepius ita locutus est. Cf. III, 40 in. *oratio fuit precibus quam iurgio similis;* V, 21 extr. *ut eam invidiam lenire minimo suo privato quam publico incommodo populi Romani liceret;* XXV, 29 med. *Famaene credi velis, quanta urbs a te capta sit, quam posteris quoque eam spectaculo esse?* XXVIII, 44 med. *Carthago praemium victoriae erit quam semiruta Bruttiorum castella.*

Capua Nuceriaque) In aliquot codicibus legitur: *Capuam Nuceriamque,* quae structura ut non ab omnium scriptorum (v. Z. §. 466; Sch. p. 441; Weiss. §. 254 n. 2), ita ab Livii certe consuetudine aliena est.

Nuceriaeque fortunam) V. supra c. 15, 6.

14 *Nolle ominari*) i. e. nolle quasi malum omen facere dicendo, quae etc. Cf. III, 61 post in. *Nolle ominari, quae nec Iupiter nec Mars pater passuri sint iis auspiciis conditae urbi accidere;* Cic. off. II, 21, 74 *Sin quae necessitas huius muneris alicui rei publicae obvenerit (malo enim quam nostrae ominari —)* etc.

cessura forent) De participio futuri cum *forem* con-

tius spondere, si Marcellum cum praesidio ac Nolam tradidissent, neminem alium quam ipsos legem, qua in societatem amicitiamque Hannibalis venirent, dicturum.

XLIV. Ad ea Herennius Bassus respondit: *Multos* 1
annos iam inter Romanum Nolanumque populum amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem poenitere; et sibi, si cum fortuna mutanda fides fuerat, sero iam esse mutare eam. Dedituris se Hannibali non fuisse 2
arcessendum Romanum praesidium: cum iis, qui ad se tuendos venissent, omnia sibi et esse consociata et ad ultimum fore. Hoc colloquium abstulit spem Hannibali per 3
proditionem recipiendae Nolae. Itaque corona oppidum circumdedit, ut simul ab omni parte moenia aggrederetur.

---

iuncto v. ad XXII, 57, 5. *Cedere* hic fere idem est quod *evenire* et in malam partem dicitur; alias saepius in bonam. Cf. ad c. 33, 11.

XLIV.

cuius n. ad eam d. poenitere) V. supra ad c. 10, 3 1
et c. 26, 1.

sibi) i. e. Nolanis, quorum nomine loquitur.

mutanda f. fuerat) Sic libri omnes; Bekkerus autem recepit, quod Gronovius coniecerat: *fuerit.* Et sane coniunctivum perfecti et indicativum plusquamperfecti saepissime in libris permutatos inter se esse, satis constat. Sed quum Livius pariter atque alii scriptores in oratione obliqua plurimis locis indicativum posuerit in enuntiationibus secundariis, ut ex sua mente dicat, quae videntur ex aliorum dici debere aut vividius ipsa loquentium verba interponat (v. ad XXI, 3, 3; infra ad XXIV, 19, 3), ne hic quidem indicativum crediderim mutandum esse. Neque magis probandum ducimus, quod in sequentibus ex eiusdem Gronovii coniectura Bekkerus posuit *serum.* Nam neque haec adverbiorum cum verbo *esse* coniunctio habet, quod a dicendi consuetudine abhorreat (v. Weiss. §. 155 n. 3), et ipsa locutio *sero est* etiam apud Ciceronem legitur. V. ad Qu. fr. I, 2, 3 *Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo. Sero est enim.*

Dedituris) De enuntiatione conditionali per participium 2
expressa plura v. ad XXI, 33, 9; de omissa particula ad c. 42, 9.

cum iis) Intelligitur praesidium Romanum. Quare, si sententiam spectes, idem dixit Livius, quod exprimere poterat per *cum eo.* Inde patet, cur dissolute locutus sit.

recipiendae N.) V. supra ad c. 11, 7. 3

corona opp. circumdedit) V. ad c. 18, 5.

4 Quem ut successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie, cum magno tumultu erupit. Aliquot primo impetu perculsi caesique sunt; dein, concursu ad pugnantes facto, aequatisque viribus, atrox coepit esse pugna. Memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis
5 effusus imber diremisset pugnantes. Eo die commisso modico certamine, atque irritatis animis, in urbem Romani, Poeni in castra sese receperunt. Tamen Poenorum prima eruptione perculsi ceciderunt (haud) plus quadringenti, Ro-

---

4 *concursu ad p. facto*) Nam quum Hannibal corona oppidum circumdedisset, maior pars militum aberat ab eo loco, ubi Marcellus impetum in oppugnantes dedit.

m. inter paucas) i. e. maxime memorabilis. Quint. X, 3, 13 *inter paucos disertus;* Curt. IV, 8 med. *in paucis Alexandro carus;* ibid. VI, 8 in. Alia Livii exempla v. ad XXII, 7, 1.

5 *in urbem R., P. in castra*) Haec verborum collocatio, qua invertitur ordo contra positorum (chiasmus), Livio aeque atque aliis scriptoribus Latinis maxime placuit. V. c. 45, 4 *virtutem bellicam — militarem disciplinam, — praeteriti temporis famam — spem futuri;* c. 48, 6 *et vera scribi et postulari aequa;* XXIV, 6, 7 *finis regni Syracusani ac Punici imperii;* ibid. 14, 3 *tacite mereri — postulare palam;* ibid. 19, 9 *circa portam primo, deinde — etiam in urbe;* 47, 15 *duas noctes ac diem unum.* Ita sexcenties alibi et in singulis verbis et in totis enuntiationibus v. c. XXXIII, 12 post in.

prima eruptione) V. Z. §. 685; Sch. p. 525; Weiss. §. 199; ad Liv. XXI, 5, 9.

ceciderunt) Heusingerus, cui accedunt editores nonnulli, contra codicum omnium fidem probat *ceciderant.* Poterat sine dubio ponere Livius plusquamperfectum, si temporum, quibus quaeque essent gesta, comparationem hic respicere vellet, quod necesse non fuit. Et aliis locis plurimis eodem modo absolute sive ἀορίστως tempus perfectum posuit. Cf. infra XXIV, 16, 19; 1, 25 med. *aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat;* VII, 37 post in. *Tertia pugna ad Suessulam commissa est, qua — Samnitium exercitus — certamine ultimo fortunam experiri statuit;* XXVII, 33 in. *expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, — cornu alterum galeae perfregit;* XXXII, 26 in. *Quum duos exercitus in provincia habuisset, unum retentum, — alterum, quem in provinciam adduxit;* XLI, 26 extr. *nam, qui superfuere proelio, in oppida sua dilapsi sunt.* Caesorum quidem numerum non raro ita indicavit, v. c. VII, 8 extr.; XXVIII, 34 in.; XXXI, 22 in.; XXXIX, 31 extr.

mani quinquaginta. Imber continens per noctem totam usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit: itaque, quanquam utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt se tamen munimentis. Tertio die Hannibal partem copiarum praedatum in agrum Nolanum misit. Quod ubi animad- 6
vertit Marcellus, extemplo in aciem copias educit. Neque Hannibal detrectavit. Mille fere passuum inter urbem erant 7

---

haud plus quadr., R. quinquag.) Codices omnes: *haud plus quam triginta.* Quod falsum esse, manifestum. Nam quis crediderit, perculsorum minorem numerum cecidisse quam percellentium? Accedit, quod in cap. sequenti Marcellus gloriatur de huius diei victoria, et Hannibal ipse concedere de ea videtur. Quare Drakenborchius pro *quam triginta* scribendum putat: *quadringenti.* Dubium tamen est, num verum viderit, quum maior is videatur numerus, quam quem Livius voce *aliquot* (§. 4) indicaturus fuerit. Sed offendit etiam *haud plus.* Neque enim sententia potest esse: quanquam modicum certamen fuerat atque irritaverat modo animos, tamen haud plus quadringenti ceciderunt. Ad priora autem verba: *atrox coepit esse pugna* etc. non posse haec referri, ostendunt quae Livius adiecit: *prima eruptione perculsi.* Itaque Heusingerus pro *haud plus* posuit *haud minus.* Verisimilius est, inducendum *haud.* Nam *haud* sive *haut* ex repetita per errorem ultima syllaba praecedentis vocis nasci potuit. Pro *Romani quinquaginta* plerique libri habent *Romanorum nullus*, quod ex trium optimorum codd. vestigiis Gronovius correxit.

ad horam tertiam) De diei descriptione v. ad XXII, 6
60, 24.

tenuit) Cf. XXIV, 47, 15 *Romae foedum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit;* XXV, 39 med. *diuque tenuisset (proelium);* XXXVI, 43 sub fin. *ii* (aquilones) *namque per aliquot dies tenuerant.*

avidi c. erant) V. supra ad c. 20, 7.

tenuerunt se t. munimentis) V. ad c. 26, 6.

detrectavit) *Detrectare* nonnunquam, ubi facile intel- 7
ligas, quo referatur detrectatio, absolute ponitur. V. XXVII, 2 in. *Nec detrectavit Hannibal, ut signa portis efferri vidit;* II, 45 extr. *Instruitur acies: nec Veiens hostis Etruscaeque legiones detrectant;* III, 38 extr. *Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda sciscitandumque, num consulto detrectarent.*

Mille f. passuum — erant) V. ad c. 37, 13. *Passuum* quidem adiecit Livius etiam III, 60 in.; XXVIII, 2 in.; XXXVIII, 21 in.; XLIII, 11 post in. Perperam Glareanus censuit legendum, ut latinitas constaret, *erat.* V. Weiss. §. 208 n. 7; Liv. XXV, 24 in. *mille armatorum ceperant partem;* infra c. 46, 5 *Romanorum minus mille interfecti.*

castraque. Eo spatio (et sunt omnia campi circa Nolam)
8 concurrerunt. Clamor, ex parte utraque sublatus, proximos ex cohortibus iis, quae in agros praedatum exierant,
9 ad proelium iam commissum revocavit. Et Nolani aciem Romanam auxerunt; quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare et saucios ex acie efferre iussit, pugna abstinere, ni ab se signum accepissent.

1 XLV. Proelium erat anceps: summa vi et duces hortabantur et milites pugnabant. Marcellus victis ante diem tertium, fugatis ante paucos dies a Cumis, pulsis priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare iubet.
2 *Non omnes esse in acie; praedantes vagari in agro. Sed, qui pugnent, marcere Campana luxuria, vino et scortis omnibusque lustris per totam hiemem confectos.*
3 *Abisse illam vim vigoremque, dilapsa esse robora corporum animorumque, quibus Pyrenaei Alpiumque superata sint iuga. Reliquias illorum virorum, vix arma*

Eo spatio) V. ad c. 16, 8 et de coniunctione *et* in parenthesi posita ad c. 1, 6.
8 *ex cohortibus*) Cf. ad XXI, 54, 3; supra ad c. 10, 6.
commissum) i. e. inceptum. V. de hac verbi vi ad XXI, 40, 11.

XLV.

1 *hortabantur*) Hoc saepe absolute dici, ostendimus ad XXII, 15, 9.
fugatis — a Cumis) Cf. VI, 16 in. *Haec dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris;* et quod statim sequitur: *pulsis — ab Nola;* X, 41 extr. *pelli a portis urbis;* XXV, 37 extr. *trepide primo ab hostium vallo acti.*
instare iubet) Alia huius structurae exempla v. ad XXII, 51, 7; infra XXIV, 21, 7.
2 *omnibusque lustris — c.*) Festus: *Lustra significat lacunas lutosas, quae sunt in silvis, aprorum cubilia, a qua similitudine ii, qui in locis abditis et sordidis ventri et desidiae operam dant, dicuntur in lustris vitam agere.* De *omnibusque* v. supra ad c. 11, 7 et ad XXII, 41, 6 et ibid. ad 61, 9 de eo, quod *confectum* dicitur.
3 *vim vigoremque*) De paronomasia cf. ad XXII, 30, 4.
Pyrenaei — iuga) Ita, non *Pyrenaea iuga* Livium dicere solere, ostendimus ad XXI, 30, 7.
Reliquias — pugnare) Sic ex consuetudine Latino-

membraque sustinentes, pugnare. Capuam Hannibali 4
Cannas fuisse: ibi virtutem bellicam, ibi militarem di-
sciplinam; ibi praeteriti temporis famam, ibi spem fu-
turi exstinctam. Quum haec exprobrando hosti Marcellus 5
suorum militum animos erigeret, Hannibal multo gravioribus probris increpabat: *Arma signaque eadem se noscere,* 6
quae ad Trebiam Trasimenumque, postremo ad Cannas
viderit habueritque: militem alium profecto se in hi-
berna Capuam duxisse, alium inde eduxisse. Legatumne 7
ne Romanum et legionis unius atque alae magno certa-

---

rum, quum Germani exspectemus potius: *reliquias esse, qui pugnent.* Cf. infra ad c. 48, 11.

ibi — exstinctam) Animadverte, ut Livius in his gravitati simul et varietati collocatione verborum consuluerit, alteri anaphora vocis *ibi*, alteri chiasmo, de quo cf. ad c. 44, 5. 4

exprobrando hosti) Quum tres codices in iisque duo omnium optimi habeant: *exprobrandam hosti*, Gronovius coniecit scribendum esse: *exprobrando in hostem*, Drakenborchius *exprobrando in hoste*, quod praeferendum videtur. Potuit enim Livius dativo h. l. praeferre praepositionem *in* cum ablativo, quod non ipsis hostibus haec dixit Marcellus, sed opportunitate exprobrandi, quam hostium mores praeberent, usus est. *Exprobrare* autem non raro sine dativo ponitur. V. Liv. II, 23 sub fin. *Haec se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam;* IX, 6 in. *circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque;* V, 44 med. *nec enim exprobranda apud memores sunt;* XXXVII, 49 in. 5

increpabat) Omittitur in hoc verbo nonnunquam mentio eius, ad quem increpandi vis pertineat. Cf. I, 27 post med.; III, 3 med.; IX, 2 extr.; XXV, 36 post med.; XXII, 3, 11, ubi vide.

militem) Causa asyndeti est in oppositione. Cf. ad c. 5, 11. 6

legionis unius atque alae) *Alae* nomen et in sociorum copiis tam peditum quam equitum, quae singulis legionibus additae numero eas fere aequarent, et interdum in legionum equitatu ponitur. Quare h. l. interpretes alii legionis equites intelligunt, alii sociales copias. Illud verum non videtur, quum nec addiderit Livius *equitum*, quod hic, ubi res non patebat, necesse fuit (nam fere in sociis *ala* ponitur); et ubi legio dicitur, per se eo nomine comprehendatur iustus eius equitatus, ut non esset, cur Hannibal distincte equitum mentionem faceret, praesertim quum hic minuat oratione Romanorum numerum. Itaque sociorum ala videtur intelligenda, non tamen, ut nonnulli existimarunt, Nolanorum, quippe quos expertes pugnae fuisse, Livius tradiderit. Non possumus autem, quin minora, 7

mine vix toleratis pugnam, quos binae acies consulares
8 *nunquam sustinuerunt? Marcellus tirone milite ac Nolanis subsidiis inultus nos iam iterum lacessit? Ubi ille meus miles est, qui erepto ex equo C. Flaminio consuli caput abstulit? ubi, qui L. Paullum ad Cannas*
9 *occidit? Ferrum nunc hebet? an dextrae torpent? an quid prodigii est aliud? Qui pauci plures vincere soliti estis, nunc paucis plures vix restatis. Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua, iactaba-*
10 *tis. En minor est res. Hic experiri vim virtutemque*

---

quam res fuerit, Hannibalem dicere statuamus; nam supra (v. c. 31; 32 in. et 39 extr.) Marcellum Livius memoravit praefectum esse *duabus* urbanis legionibus cum iisque Nolam in praesidium a Fabio missum.

magno certamine v. toleratis pugnam) Cf. XXI, 60, 7 *Nec magni certaminis ea dimicatio fuit;* XXXVI, 19 extr. *in ipso certamine pugnae interfecti sunt.* De mutata ex obliqua in rectam oratione v. supra ad c. 15, 14.

8 *tirone milite*) Ablativum repetit Drakenborchius ex eo genere dicendi, de quo locuti sumus ad XXI, 48, 4 et supra ad c. 28, 8. Sed rectius comparabis supra c. 29, 4.

erepto ex equo C. Fl.) Aliter rem tradidit Livius XXII, 6. Sed potuit Hannibal rumorem aliquem sequi vel ipse rem talem cogitatione fingere, ut militis eius, de quo loquitur, facinus insignius redderet ideoque magis suo dicentis consilio accommodatum. Ceterum quum insolens sit locutio *eripere ex equo*, Dukerus proposuit: *derepto ex equo.* Codices autem omnes vulgatam tuentur, et nescio an Livii hoc modo scribentis menti obversatum sit: erepto ex sede sua, sive erepto ex loco, quo sedebat.

9 *restatis*) Cf. IV, 58 post in. *qui, quia summa vi restare nuntiabantur, parum cogitaverunt, nulla virtute superari humanarum virium modum;* VI, 30 med. *Ibi dum iniquo loco sola virtute militum restantes caeduntur caeduntque;* ibid. 32 post med. *aliquamdiu aequa virtute fortunaque Latinae maxime legiones — restabant;* XXXIV, 14 extr.; ibid. 15 sub fin.

lingua) De numero singulari huius nominis ad plures homines relato v. ad XXII, 44, 7.

10 *En minor est res*) Plerique editores, quod plurimi et partim optimi codices praebent, scripserunt: *Enim minor est res*, quod per ironiam dictum putant Strothius et Heusingerus, ut sententia sit: Scilicet minoris est negotii, Romam expugnare quam Nolam. V. de hac particulae vi ad XXII, 25, 3. Sed obstat maxime, quod nusquam apud Livium *enim* sic ab initio enuntiati positum reperias (nam XXXIV, 32 post med., quem

volo. Expugnate Nolam, campestrem urbem, non flumine, non mari saeptam. Hinc vos ex tam opulenta urbe praeda spoliisque onustos vel ducam, quo voletis, vel sequar.

XLVI. Nec bene nec male dicta profuerunt ad con- 1
firmandos animos. Quum omni parte pellerentur, Romanis- 2
que crescerent animi, non duce solum adhortante, sed Nolanis etiam per clamorem, favoris indicem, accendentibus

---

locum laudarunt nonnulli interpretes, recte ex optimo cod., quod sententia ipsa postulat, repositum est: *At enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani?*), ut vix credibile sit, eum hoc uno loco a sua consuetudine dicendi abiisse. Accedit, quod unus ex optimis codicibus habet: *En minor est res*, unde *enim minor* facile oriri potuisse, nemo non videt. Itaque haec scriptura recipienda visa. *Est*, Handius (Tursell. II, p. 398) censet, si probes *en*, retineri non posse. Et sane in aliis codd. antecedit eam vocem *res*, in aliis sequitur, ut suspicio glossae nasci possit, nisi ipsa similitudo earum vocum diversae collocationis causa fuit. Quum autem *en* idem fere possit esse quod: *huc spectate*, nihil videtur impedire, quo minus Livius dixerit: *huc spectate, minor est res.* Conferri possunt alii loci, ubi sequitur verbum, ut Sall. Iug. 9 *En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa;* Liv. VII, 15 in. *en ipsum imperatorem clara voce vocare ad proelium;* VIII, 4 med. *en hoc tempus adest.* Drakenborchius et Bekkerus auctore Valla receperunt: *En nunc minor est res*, quod nullius nititur codicis praesidio.

vim virtutemque) Quam frequenter haec iungantur, ostendimus ad XXI, 41, 17. Cf. supra ad §. 3.

praeda spoliisque) V. supra ad c. 11, 3.

vel sequar) siquidem vos, non ego, priores significaveritis, quo iam eundum sit.

XLVI.

bene — dicta) *Bene dicere* est nonnunquam in laudem 1
alicuius dicere, inde *bene dicta* sunt laudes. V. Cic. Sext. 52 *Cui bene dixit unquam bono? Bene dixit? Imo, quem fortem et bonum civem non petulantissime est insectatus?* Terent. Phorm. prol. v. 21 *Bene dictis si certasset, audisset bene.*

omni parte) V. supra ad c. 17, 12; infra XXIV, 14, 1; 2
30, 1; 33, 9.

Romanisque) De dativo conferre poteris ad XXI, 53, 2.

clamorem, f. indicem) Cf. VII, 37 post in. *omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur;* XXXVI, 24 med. *clamor, in-*

ardorem pugnae, terga Poeni dederunt atque in castra com-
3 pulsi sunt. Quae oppugnare cupientes milites Romanos Mar-
cellus Nolam reduxit, cum magno gaudio et gratulatione
4 etiam plebis, quae ante inclinatior ad Poenos fuerat. Ho-
stium plus quinque milia caesa eo die, vivi capti sexcenti,
et signa militaria undeviginti et duo elephanti: quattuor in
5 acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. Posterum
diem indutiis tacitis sepeliendo utrimque caesos in acie con-
sumpserunt. Spolia hostium Marcellus, Vulcano votum, cre-
6 mavit. Tertio post die (ob iram credo aliquam aut spem
liberalioris militiae) mille ducenti septuaginta duo equites,
mixti Numidae Hispanique, ad Marcellum transfugerunt. Eo-
rum forti fidelique opera in eo bello usi sunt saepe Romani.

---

dex capti oppidi; IX, 23 sub fin. *oratio dictatoris, quae necessitatis ultimae index erat.*

3 *cupientes m. — reduxit*) Cf. Weiss. §. 198. n. 6; Ramsh. p. 677.

inclinatior) Cf. III, 2 extr. *nihilo inclinatioribus ad pacem animis;* XXXIV, 33 post med. *Ipsius imperatoris animus ad pacem inclinatior erat.* Multos autem eiusmodi rariores comparativos Livius habet ut *ignotiora* I, 56 med.; *placatior* II, 60 med.; XXXVII, 45 post in.; *celebratior* III, 63 med.; XXXVIII, 51 extr.; *excitatior* IV, 37 extr.; *commotioris consilii* VI, 14 med.; *paratior* ibid. 21 in.; *distinctior* IX, 19 med.; *cuneatior* ibid. 40 in.; *assuetior* XXII, 18 in.; *obedientior* XXV, 38 post in.; *retractior* XXXIV, 9 in.; *incautior* ibid. 25 med.; *inflatior* XXXIX, 53 med. alia. Cf. infra ad XXIV, 16, 3.

5 *indutiis tacitis*) i. e., ut Iustini (VI, 7) verbis utamur, quum quasi tacito consensu indutiae essent. Eodem modo loquitur Liv. II, 18 extr.; ibid. 64 post med.

sepeliendo — consumpserunt) Cf. infra ad XXIV, 14, 9.

Vulcano votum) Haec in appositione posita causam, cur ita egerit Marcellus, indicant. V. Weiss. §. 215 n. 1. *Votum* quum proprie participium sit, casus adiunctus est is, qui addi solet verbo, unde illud ducitur. Cf. infra ad XXIV, 25, 11.

6 *ob iram*) Quam saepe ita Livius dixerit, ostendimus ad XXI, 2, 6.

forti fidelique opera) V. supra ad c. 16, 1.

in eo bello) Quod grammatici docent, *in* omitti, quum de certo bello sermo sit (v. Z. §. 475 n.; Sch. p. 463; Weiss. §. 271 n. 1), id a Livio videbis fere observatum esse. Itaque fere omisit *in*, ubi adiectivum aut genitivum bello adiecit.

Ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum 7 virtutis causa datus est.

Hannibal, ab Nola remisso in Bruttios Hannone cum 8 quibus venerat copiis, ipse Apuliae hiberna petit circaque

---

Saepe, ut hoc utar, dixit *Pyrrhi* sive *Antiochi* sive *Philippi bello*, ut XXXI, 31 post in. *Pyrrhi bello legio a nobis — in praesidium missa;* XXXVII, 54 in. *expositis — meritis Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello;* XXXVIII, 8 post med. *Non plus mali meritos Aetolos Antiochi bello, quam boni ante — fecisse;* XXXIX, 22 extr. *quos bello Antiochi vovisse sese dicebat*; ibid. 27 in.; XLII, 37 extr.; ibid. 38 sub fin.; ibid. 45 sub fin.; XLIII, 7 med.; XLV, 22 sub fin., quibus omnibus locis tempus potissimum respici patet. Sunt tamen nonnulli loci, ubi etiam adiuncto vel adiectivo vel genitivo posuit praepositionem, qui quidem tales sunt, ut commemorando bello non tempus significatum voluerit scriptor, sed potius id, quod opportunitatem quandam agendi praebeat. Cf. II, 24 extr. *neque aliorum magis in Volsco bello virtus — enituit;* VI, 27 in. *Camillus consilio et virtute in Volsco bello, felicitate in Tusculana expeditione — insignis, magistratu abiit;* XXXVII, 49 in. *prope exprobrantes virtutem suam in Philippi bello;* XL, 3 med. *fidiora haec genera hominum fore ratus in Romano bello;* XXXV, 47 post in. Inde etiam factum est, ut Livius aliis locis diceret *eo bello*, aliis, ut supra, *in eo bello.* V. de hoc I, 42 med. *In eo bello et virtus et fortuna enituit Tullii;* XXXVI, 7 med. *quorum plurima fuit opera in eo bello;* XXXVII, 54 extr. *Rhodii et in hoc et in omnibus bellis — quam forti fidelique opera vos adiuverimus;* XLIII, 8 in.; XLIV, 13 extr.; ibid. 15 extr.; 22 sub fin.; XLV, 22 extr.; 23 med.; 44 med. De altero dicendi genere v. infra XXIV, 3, 2; XXIX, 26 in. *non eo bello solum —, sed ne priore quidem, ulla profectio tanti spectaculi fuit;* ibid. sub fin. *mens ipsa traiiciendi, nulli ante eo bello duci tentata*; XXXVI, 22 in. *et ceteras Graeciae civitates defecisse eo bello ab optime de se meritis Romanis*; XXXVIII, 39 sub fin.; XLIV, 22 post in.; XLV, 10 med.; ibid. 19 in.; ibid. 20 in. et extr. et saepe alibi.

datus est) Addiderunt Strothius et Heusingerus ante 7 haec verba ex plerisque codicibus *locus.* Sed quum haec vox in optimo cod. a manu secunda demum adiecta sit, in duobus aliis codd. omnino non legatur, alii pro ea *latus* habeant, recte videntur eam plerique editores auctore Gronovio omisisse. Nam quae verba ex lege Thoria attulit Gronovius: *quemve agrum locum de eo agro loco*, *qui publicus po. Romani* etc. *adsignatum esse fuisseve iudicaverit*, ea alius generis sunt, quippe ubi *ager* et *locus* iungantur ex ea formularum abundantia, de qua dictum est ad XXII, 10, 3.

cum quibus v. copiis) i. e. cum iis copiis, cum qui- 8

9 Arpos consedit. Q. Fabius, ut profectum in Apuliam Hannibalem audivit, frumento ab Nola Neapolique in ea castra convecto, quae super Suessulam erant, munimentisque firmatis, et praesidio, quod per hiberna ad tenendum locum satis esset, relicto, ipse Capuam propius movit castra agrum-
10 que Campanum ferro ignique est depopulatus, donec coacti sunt Campani, nihil admodum viribus suis fidentes, egredi
11 portis et castra ante urbem in aperto communire. Sex milia armatorum habebant: peditem imbellem, equitatu plus poterant: itaque equestribus proeliis lacessebant hostem.
12 Inter multos nobiles equites Campanos Cerrinus Iubellius

---

bus venerat. Aliis quoque locis Livius eadem orationis contractione usus est. V. XXVII, 7 post in. *Laelium primo quoque tempore cum quibus venerat navibus redire in Hispaniam iussit*; XXV, 32 extr. *Ibi Cn. Scipio cum quibus ante dictum est copiis, substitit.*

circaque Arpos) Cf. supra ad c. 35, 5.

9 *ad tenendum l.*) Haec scriptura a Gronovio ex coniectura data et nuper a Bekkero recepta vera videtur esse. Nam in optimis codicibus est: *ad petendum locum*, in tribus: *ad tuendum locum*, unus id ipsum, quod Gronovius coniecit, praebet. Vulgo legitur: *ad tutandum locum.*

Capuam propius) *Propius* in anastrophe positum est, qua figura dicendi, nisi in iis praepositionibus, ubi legitima haec collocatio est, ut in *tenus*, Livius non ita saepe utitur. V. ad XXII, 3, 3. Poteris et conferre: XXX, 7 in. *castris ex incensis*; XLI, 23 sub fin. *provinciis de controversis*, quanquam, ea non plane eiusdem generis esse, manifestum est.

10 *nihil admodum*) V. supra ad c. 29, 14.

in aperto) Castra in aperto posita opponuntur moenibus urbis, intra quae ante versati Campani erant. Cf. quae exempla posuimus ad XXII, 4, 3.

11 *habebant: peditem imb., equitatu* etc.) Ceteri editores hunc locum sic distinguunt: *Sex milia armatorum habebant, peditem imbellem: equitatu plus valebant*, unde sententia fit ea, quam Heusingerus quoque et Klaiberus germanica lingua expresserunt, peditem illum imbellem sex milium armatorum fuisse. Sed neque armati soli intelligi possunt pedites, et tollitur ita ea oppositio membrorum, quae una vera potest esse i. e. verborum: *peditem imbellem* et *equitatu plus valebant.* Contra, nostram locum distinguendi rationem si sequaris, omnia optime se habent: nam primum militum omnium numerum tradit Livius, deinde alteram partem eorum militum imbellem fuisse, alteram bello meliorem etc.

erat, cognomine Taurea. Civis indidem erat, longe omnium Campanorum fortissimus eques, adeo ut, quum apud Romanos militaret, unus eum Romanus Claudius Asellus gloria equestri aequaret.
Tunc Taurea, quum diu perlustrans 13
oculis obequitasset hostium turmis, tandem silentio facto,
ubi esset Claudius Asellus, quaesivit, *et*, *quoniam ver-* 14
bis secum de virtute ambigere solitus esset, *cur non ferro decerneret daretque opima spolia victus aut victor caperet?*

Iubellius erat, *c. Taurea*) Cf. de eo supra c. 8, 5; 12
XXVI, 15 sub fin.

indidem) i. e. ex Capua. Saepe ea voce Livium uti, observarunt interpretes. Plerumque addit, quem locum dicat. Cf. XXV, 15 ante med. *indidem ex Achaia oriundi*; XXVII, 12 post in. *additi erant Bruttiorum indidem perfugae*; ibid. 25 sub fin. *naves indidem accitae erant*; XXVIII, 1 sub fin. *ducibus indidem ex Celtiberia transfugis*; XXXIX, 8 extr.; ibid. 12 in. *Civem* autem h. l. Strothius aliique censuerunt civem Romanum intelligendum esse. Sed etsi non negaverim, Tauream civem Romanum fuisse (cf. supra ad c. 31, 10), tamen Livium, si Romanum civem significaret, hic, ubi de Campanis agit, credibile non est adiectivum illud omissurum fuisse. Cf. v. c. XXVI, 33 in. et sub fin. Itaque hic intellexerim civem ex ea ipsa urbe i. e. ex ipsa Capua, non ex alio Campaniae oppido. Cf. et XXVI, 16 med.; ibid. extr.; XXVIII, 46 in.

Tunc) In optimis codd. est *Hunc*, quae lectio, nisi si 13
anacolutho usum esse scriptorem statuas, et hic quidem durius quam in illis exemplis, quae commemoravimus ad XXI, 3 in., locum tenere non videtur posse. Neque enim, quod Drakenborchius contendit, in *lustrando* et *perlustrando* vim esse quaerendi, in Livium cadit, qui, ubicunque locutionem *perlustrare oculis* posuit, de re sub aspectum cadente locutus est. Cf. I, 7 med.; XXI, 54, 1; XXV, 9 in. Codices deteriores habent *Hic*, quod haud dubie ex mutatione ortum. Itaque probabilis videtur Walchii coniectura *Tunc*, ut quae proxime accedat ad scripturam optimorum librorum, et apte id tempus, de quo iam loquitur Livius, illi opponat, de quo in antecedentibus dixit i. e. quo apud Romanos Taurea militavit.

perlustrans oculis) Repete ex sequentibus: *hostium turmas*. V. ad XXI, 52, 11.

obequitasset) Hoc verbum quum plurimis locis apud Livium legatur, non tamen alii scriptores, unum Curtium si excipias, eo videntur usi esse. V. Liv. II, 45 in.; IV, 18 extr.; IX, 36 post med.; XXI, 54 med.; XXIX, 34 med.; XXX, 12 in. alibi.

opima spolia) „*Opima* proprie dici spolia non potue- 14

1 XLVII. Haec ubi Asello sunt nuntiata in castra, id modo moratus, ut consulem percunctaretur, liceretne extra
2 ordinem in provocantem hostem pugnare, permissu eius arma extemplo cepit, provectusque ante stationes equo, Tauream
3 nomine compellavit congredique, ubi vellet, iussit. Iam Romani ad spectaculum pugnae eius frequentes exierant; et Campani non vallum modo castrorum, sed moenia etiam ur-
4 bis prospectantes repleverunt. Quum iam ante ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos.

---

runt, siquidem ea opima sunt, quae dux duci detraxerit." Duker. — „Quia uterque nobilis erat eques, et Taurea quidem longe omnium Campanorum fortissimus, ita ut etiam inter Romanos *unus* eum Claudius Asellus gloria equestri aequaret, hinc *opima* vocat Livius ea spolia, quae alter alteri erat detracturus, non tamen ex sua, sed ex iactabundi Taureae persona, et non illo angustiore, sed laxiore sensu. Spolia vere magnifica, luculenta et gloriosa victori intelligit." Perizon.

XLVII.

1 *id modo moratus*) Idem hoc significat ac si dixisset: eam modo moram moratus, sive quod accommodatius est dicendi consuetudini: ea modo mora facta.

provocantem) V. ad c. 16, 4.

2 *compellavit*) *Compellare* est hic magna voce appellare. Cf. X, 28 sub fin. *patrem P. Decium nomine compellans, Quid ultra moror, inquit, familiare fatum?* V. etiam quae dicta sunt ad XXII, 12, 12.

3 *ad spectaculum*) V. de hac locutione ad XXI, 42, 1; infra ad XXIV, 39, 1.

exierant) *Exire* ut *egredi* saepe ita ponitur, ut locus, unde quis exeat, cogitatione sit supplendus, maxime ubi milites dicuntur castra relinquere, velut in locutione satis frequenti *in aciem exire*. V. supra c. 29, 1; IX, 45 post med.; X, 20 med.; ibid. 35 extr.; XXV, 21 in.; XXVII, 25 extr.; XXXV, 4 in. etc.

repleverunt) Quum octo codices in iisque unus ex praestantissimis (Flor.) consentiant in *repleverunt*, eam scripturam praeferendam alteri *repleverant*, quae ceteris editoribus probata est, duximus. Nam et mutationi hic opportunius fuit perfectum, et gratius est auribus et a Livii consuetudine minime alienum, ut patet ex iis, quae supra allata sunt ad c. 29, 6.

4 *f. d. rem nobilitassent*) i. e. quum iam, antequam ad manus venirent, suam uterque virtutem laudibus efferendo rei dignitatem conciliassent.

Dein libero spatio inter se ludificantes, sine vulnere pugnam 5
extrahere. Tum Campanus Romano, *Equorum*, inquit, *hoc, non equitum, erit certamen, nisi e campo in cavam hanc viam demittimus equos: ibi nullo ad evagandum spatio cominus conserentur manus.* Dicto prope citius equum in 6
viam Claudius deiecit. Taurea, verbis ferocior quam re, *Minime sis*, inquit, *cantherium in fossam.* Quae vox in 7

---

libero spatio) Cf. XXXI, 24 med. *intra eam extraque latae sunt viae, ut et oppidani dirigere aciem a foro ad portam possent, et extra limes pediti equitique hostium liberum spatium praeberet;* ibid. 39 post med. *Erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum: quae, nisi ubi praelongis hastis velut vallum ante clipeos obiecit (quod ut fiat, libero campo opus est) nullius admodum usus est;* III, 22 extr. *Inde effuse fugientes eques, cui superare vallum haud facile fuerat, — libero campo adeptus* etc. Curt. VII, 4 sub fin. *recesserunt, dato libero spatio.*

inter se ludificantes) Non deest *se*, sed est: alter alterum ludificantes. V. ad XXI, 39, 9.

sine vulnere) V. supra ad c. 22, 11.

extrahere) Ita praeeunte Gronovio Bekkerus, quum in praestantissimo cod. legatur *extraherebant*, quae scriptura nata est ex coniunctione duplicis lectionis. Sed videtur potius imperfectum indicat. quam infinitivus correctoris inventum esse. De infinitivo historico separatim posito v. ad c. 24, 12.

Romano — inquit) De structura plura v. ad XXII, 6, 3. 5

ad evagandum) i. e. ad declinandum ab itinere instituto, quo alter alterum petimus. Cf. ad XXII, 47, 2 *nullo circa ad evagandum relicto spatio.*

Dicto pr. citius) Est locutio poetarum magis quam 6
prosa oratione utentium. V. Horat. Sat. II, 2, 80 *Alter ubi dicto citius curata sopori Membra dedit;* Virg. Aen. I, 142 *Sic ait et dicto citius tumida aequora placat.* Ceterum cf. Z. §. 484 n. 1; Sch. p. 433; Weiss. §. 262 n. 2.

sis) V. Z. §. 360; Sch. p. 352; Weiss. §. 150 n.; Cic. orat. 45, 154. Frequens ea locutio est hortantium vel monentium vel deterrentium vel orantium. Quotidiani ea maxime sermonis fuit ideoque creberrime apud comicos legitur. Sed Cicero quoque ea usus est (v. Rosc. Am. 16, 48), neque Livium ea abstinuisse, ut Drakenborchius affirmat (ad III, 29 in.), docet et hic locus et XXXIV, 32 extr. *parce sis, fidem ac iura societatis iactare.*

cantherium in fossam) i. e. deiice sive demitte, quod ex more eorum, qui concitatius loquuntur, omissum est. V. Weiss. §. 340. Verba Latina idem fere valent ac si patrio sermone dicas: *Warum nicht gar mit dem Gaul* (vel *Wallach*)

rusticum inde proverbium prodita. Claudius, quum ea via longe perequitasset, nullo obvio hoste in campum rursum evectus, increpans ignaviam hostis, cum magno gaudio et
8 gratulatione victor in castra redit. Huic pugnae equestri rem (quam vera sit, communis existimatio est) mirabilem certe, adiiciunt quidam annales: quum refugientem ad urbem

---

in den Graben! Scilicet non exspectaverat Taurea, ut Claudius, quod ipse faciendum dixerat, probaret atque exsequeretur; quod quum praeter opinionem eius factum esset, neque ipse ita valeret animo, ut idem faceret, his verbis significat, se non serio illud commendasse, atque adeo stultitiae esse, equum, cuius in campo sit usus, in cavam viam tanquam in fossam demittere. Videtur igitur proverbium ad eos valuisse, qui rem perversam susciperent. *Cantherius* proprie est equus castratus; sed nescio an propter frequentem eius generis equorum usum latius patuerit vis verbi, ut in sermone quotidiano id nomen vulgo in equis, non sollicite quaerentes, num re vera castrati fuerint, ponerent. Huc faciunt et loci Ciceroniani Nat. d. III, 5, 11 (ubi, qui ante II, 2, 6 *equi albi* dicti erant, eos Cicero iocülariter ad rem elevandam viliore verbo usus *cantherios albos* dixit) et Fam. IX, 18 extr., denique quod et ipsum in proverbio erat: „*rideo*, *inquit Galba*, *cantherio*", quod de iis dicebatur, qui in principio rei alicuius inchoatae deficerent animo, sicut Sulpicii Galbae iter ingredientis equus ad ipsam portam urbis Romae cecidisset. (Cf. Festum v. *rideo.*) *In fossam* lectio est novem codicum, quorum e numero unus ex optimis est, alii *in fossa*. Mittimus autem multas multorum huius loci interpretationes, de quibus exponere longum est.

7 *perequitasset*) i. e. perrexisset equitare sive equitans perrexisset iter institutum. V. supra ad c. 42, 10.

cum magno g. et grat.) Eodem modo Livius priore cap. §. 3 locutus est. Omnino multis locis apud hunc scriptorem voces et dictiones, si quando iis usus est, invenias brevi intervallo repetitas. Sic *requietus*, quod verbum nusquam alibi habet, brevi intervallo bis posuit XLIV, 38 sub fin.; pariter *terminare bellum* dixit XXXIII, 19 med. et ibid. 21 med.; XLII, 50 med. *sub casibus multis esse*, et ibid. 52 sub fin. *sub casibus maritimis fore;* XL, 31 sub fin. *quingentos passus, non plus, a vallo aberant;* ibid. extr. *quinque milium armatorum, non amplius, relictum erat praesidium.* Nec pauca aliis locis similia reperies.

8 *quam vera sit* etc.) Ita egregie locum restituit Gronovius, quum in plerisque libris legatur: *quam aetatis, communis certe existimatio est*, in tribus vero optimis: *quam vetatis communis certe* etc. Cf. Liv. IV, 20 sub fin. *Qui si in ea re sit error, quod* etc. — *existimatio communis omnibus est. Certe*, quod in codicibus post *communis* legitur, videtur per

Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium portae invectum, per alteram, stupentibus miraculo hostibus, intactum evasisse.

XLVIII. Quieta inde stativa fuere, ac retro etiam 1
consul movit castra, ut sementem Campani facerent; nec ante violavit agrum Campanum, quam iam altae in segetibus herbae pabulum praebere poterant. Id convexit in Clau- 2
diana castra super Suessulam, ibique hiberna aedificavit. M. Claudio proconsuli imperavit, ut, retento Nolae neces-

---

errorem ex sequentibus huc translatum. Perizonius legendum pro eo suspicatur *per me*. V. Z. §. 301 extr.; Sch. p. 604.

portae invectum) Plerumque verbo *invehendi* accusativum vel *in* cum accusativo Livius adiunxit. Cf. II, 31 in.; IV, 29 med.; V, 23 med.; XXXVIII, 7 in.; XLIV, 1 post in.; ibid. 7 extr.; (cum praepos.) XXXI, 20 in.; ibid. 47 extr.; XXXV, 8 extr.; XXXVI, 39 post in. Nec vero desunt alia exempla dativi. V. I, 59 extr. *invecta corpori patris nefando vehiculo filia;* XXII, 5, 8 *qui* (motus terrae) *mare fluminibus invexit;* XLIV, 2 in. *ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus.* Cf. ad XXI, 41, 5 et ad XXII, 17, 6.

stupentibus miraculo) Cf. ad XXII, 53, 6.

XLVIII.

1 *altae in segetibus herbae*) *Segetes* hic ut plurimis locis agri consiti dicuntur. V. Cic. Orat. 15, 48 *Segetes fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus;* Verr. III, 8, 20 *ut neque in segetibus neque in areis neque in horreis — grano uno possit arator sine maxima poena fraudare decumanum;* Sen. 15, 54 *Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis et pomariis.* Nec minus saepe herbarum nomen in frumentis ponitur. Ita Liv. XXV, 15 extr. *non ad frumenta modo, quae iam in herbis erant, corrumpenda;* Cic. amic. 19, 68 *ut tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat;* Ovid. Fast. IV, 645 *Saepe Ceres dominum primis fallebat in herbis.*

poterant) V. supra ad c. 30, 4.

2 *hiberna aedificavit*) *Hiberna* hic non differunt ab hibernaculis; alias latius illa vox patet, ut non solum castra intelligantur ad hiemandum destinata, sed omnia loca, ubi per hiemem commorantur milites. Sicut hic *hiberna aedificare* Livius dixit, ita *hibernacula aedificare* V, 2 in.; XXIV, 39 extr.; *exaedificare* XXX, 3 extr. Erant enim casae pellibus (cf. V, 2 med.), lignis (cf. XXX, 3 extr.), stramentis (Caes. b. hisp. 16) aliave materia (cf. Liv. XLV, 28 extr.) adversus frigus munitae.

sario ad tuendam urbem praesidio, ceteros milites dimitteret Romam, ne oneri sociis et sumptui reipublicae essent.
3 Et Ti. Gracchus a Cumis Luceriam in Apuliam legiones quum duxisset, M. Valerium inde praetorem Brundisium cum eo, quem Luceriae habuerat, exercitu misit, tuerique oram agri Sallentini et providere, quod ad Philippum bellumque Macedonicum attineret, iussit.

4 Exitu aestatis eius, qua haec gesta perscripsimus, literae a P. et Cn. Scipionibus venerunt, quantas quamque prosperas in Hispania res gessissent. Sed pecuniam in stipendium vestimentaque et frumentum exercitui et sociis na-
5 valibus omnia deesse. Quod ad stipendium attineat, si aerarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quomodo ab Hispanis sumant: cetera utique ab Roma mittenda esse,
6 nec aliter aut exercitum aut provinciam teneri posse. Literis recitatis, nemo omnium erat, quin, et vera scribi et postulari aequa, fateretur: sed occurrebat animis, quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur, quantaque nova

---

dimitteret Romam) Nam urbanas legiones habebat. Cf. ad c. 45, 7. Sociorum autem, ut saepe, non distincte mentionem Livius facit.

3 *Et Ti. Gracchus*) Cf. ad c. 29, 15.

providere) Hoc verbum absolute positum est. Neque enim sententia est haec: providere id, quod — attineret. Nam hoc si placuisset Livio, haud dubie scripsisset: *quae — attinerent.*

4 *Exitu aestatis*) V. supra ad c. 30, 13.

P. et Cn. Scipionibus) V. ad c. 26, 2.

quantas — gessissent) Saepe orationem obliquam poni post locutiones *nuntios, literas mittere* et quae eiusdem generis sunt, ostendimus ad XXI, 24, 3.

5 *utique*) *iedenfalls.* V. ad XXI, 48, 5.

teneri) Vulgo: *retineri.* Sed optimi libri habent *ateneri* vel *attineri.* Hinc verisimile fit, verum esse, quod in aliis quibusdam est: *teneri*, illamque scripturam natam esse ex syllaba ultima praecedentis vocis. *Tenere* autem saepe ita poni constat, ut idem declaret quod *retinere* vel *continere.* Cf. V, 51 post in. *quum — Capitolium tamen atque arcem Diique et homines Romani tenuerint, habitaverint;* VII, 25 med. *quum cerneret metu tenendos, quos fides non tenuisset;* XXV, 15 post in.; XXXIV, 27 in.; XXXVII, 35 med.; supra c. 15, 5.

6 *tuerentur*) V. supra ad c. 38, 12.

classis mox paranda esset, si bellum Macedonicum moveretur. Siciliam ac Sardiniam, quae ante bellum vectigales fuis- 7
sent, vix praesides provinciarum exercitus alere; tributo 8
sumptus suppeditari: quum ipsum tributum conferentium numerum tantis exercituum stragibus et ad Trasimenum lacum et ad Cannas imminutum; tum, qui superessent pauci, si multiplici gravarentur stipendio, alia perituros peste. Ita- 9

---

si bellum M. — moveretur) Cf. VIII, 16 in. *Sidi-* 6
cini aut ipsi moverant bellum aut moventibus auxilium tulerant; XXI, 39 in. *Taurinis — adversus Insubres motum bellum erat;* XXIV, 40 in. *Eadem aestate et cum Philippo rege, quod iam ante suspectum fuerat, motum bellum est;* XXVI, 24 extr. *Aetoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum;* XLIII, 1 extr. *ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat.*

vectigales) Cf. ad XXI, 41, 7. 7

praesides pr. exercitus) V. supra ad c. 32, 2.

Tributo sumptus s.) „*Sumptus* hic accipe pro pecu- 8
nia in sumptus. *Tributum* vero, non quod populi, qui proprie *tributarii*, *stipendiarii*, *vectigales* dicuntur, dant, sed quod cives et Italici conferunt. Id ex eo colligas licet, quod ait numerum id conferentium tantis stragibus ad Trasimenum et Cannas imminutum." Gronov. Cf. supra c. 31 in.

quum ipsum etc.) Ante haec multi libri habent *verum*, quod ab optimis abest et poterat omitti, quo maiore vi protinus efferretur ea, quae sequitur, exceptio. Miratur Rupertus tot hic ὁμοιοτέλευτα. Similia aliis quoque locis excidisse Livio videmus, v. c. IV, 7 in. *magistratus eius ius;* VII, 31 sub fin. *data mandata;* IX, 9 in. *profanos nos*, *quos;* X, 10 in. *intra — muros accepturos;* XXII, 3, 7 *mediam iam Italiam;* XXV, 16 extr. *circum laevum brachium* etc. Non confundenda haec sunt cum iis, ubi soni similitudine gravitas quaedam aut suavitas quaeritur, de quibus alibi diximus.

stipendio) „*Stipendium* pro tributo. Nam tributum a civibus conferebatur in stipendium. II, 9 extr. *portoriisque et tributo plebes liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent; pauperes satis stipendii pendere, si liberos educarent;* XXXIII, 42 in. *Quaestores ab auguribus pontificibusque, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant* (pecuniam)." Duker. Adde XXXIX, 7 med. *Ut ex pecunia, quae in triumpho translata esset, stipendium, collatum a populo in publicum, — solveretur.*

alia perituros peste) Intelligitur inopia, in quam inciderent, quae pestis opponitur pesti illi, qua absumti in acie multi erant.

nisi fide st. r.) „Sensus est: Nisi respublica pecunia 9

que, nisi fide staret, rempublicam opibus non staturam.
10 Prodeundum in concionem Fulvio praetori esse, indicandas populo publicas necessitates, cohortandosque, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicae, ex qua crevissent,
11 tempus commodarent, conducerentque ea lege praebenda,

---

mutuo sumpta sublevetur, praesenti aerarii pecunia se sustinere non posse.“ Sigonius. *Fides* (*Credit*) ut II, 30 in. *fidem tollere;* VI, 11 extr. *fidem moliri;* VIII, 28 extr. *ingens vinculum fidei.*

staret) Cf. IV, 3 post in. *Si populo Romano liberum suffragium datur — stare urbs haec non poterit?* ibid. 40 extr. *pro virtute tua fideque, qua una hoc bello respublica stetit;* V, 11 sub fin. *quia stare diutius respublica — non posset;* VIII, 7 post med. *disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti;* XLV, 19 med.

rempublicam) Vulgo: *nisi fide staret respublica, opibus non staturam.* Illud optimus cod. Florentinus cum nonnullis aliis habet (de Puteanei cod. omnium praestantissimi lectione nihil proditum est), quam scripturam a Livii dictione minime abhorrere, ex iis cernitur, quae ad XXI, 17, 4 allata sunt.

10 *redempturis*) V. Strothii annotationem: „*Redemtores*, ut ait Festus, *proprie et antiqua consuetudine dicebantur, qui quum aliquid ad faciendum aut praebendum conduxerant effecerantque, tum demum pecunias accipiebant.* Tam publica vectigalia quam aedificia exstruenda a certis hominibus redimebantur seu conducebantur, quare *redemtores* nobis sunt tam *Pachter* quam *Entrepreneurs*, atque hinc *redemturae* non solum *Pachtungen*, sed etiam *Entreprisen.*“

ex qua crevissent) *Crescere* saepe est divitiis, opibus, potentia augeri. V. I, 46 in. *crescendique in curia sibi occasionem datam ratus est;* ibid. 47 med. *Tarquinius — tum de se ingentia pollicendo, tum regis criminibus omnibus locis crescere;* VIII, 13 extr. *Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam —? Materia crescendi per summam gloriam suppeditat;* XXI, 7, 3. Hinc Livius aliique scriptores saepe adiiciunt praepositionem *ex*, ut id indicent, in quo origo est sive causa crescendi. Cf. XXVII, 35 sub fin. *ne crescendi ex se inimico collegae potestas fieret;* XXIX, 37 extr. *crescendi ex his ratus esse occasionem;* XXXV, 19 extr. *si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi ex me quaerant.*

tempus commodarent) Ita libri manuscripti plerique omnes et quidem optimi quique, pauci *ad tempus*, quod editores tantum non omnes receperunt. Sed stare videtur posse librorum optimorum lectio. Nam quum *commodare aliquid alicui* sit aliquid in gratiam alicuius praebere sive aliqua re alicui

quae ad exercitum Hispaniensem opus essent, ut, quum pecunia in aerario esset, iis primis solveretur. Haec prae- 12
tor in concione edixit, et qua die vestimenta, frumentum Hispaniensi exercitui praebenda, quaeque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus.

XLIX. Ubi ea dies venit, ad conducendum tres so- 1
cietates aderant hominum undeviginti, quorum duo postulata fuere: unum, ut militia vacarent, dum in eo publico 2

---

gratificari, quid obstat, quo minus praetor edixerit, ut reipublicae tempore gratificarentur i. e. solutione proferenda? In hoc enim res vertebatur, ut laxius quam alias tempus pecuniae solvendae reipublicae daretur. De significatione verbi non abs re erit conferri XXXIV, 12 med. *ne suas vires aliis eas commodando minuat;* Cic. Off. I, 16, 51 *Una ex re satis praecipitur, ut, quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto;* Fam. XIII, 48 *quibus tu quaecunque commodaris, erunt mihi gratissima.* Praeterea cf. XLII, 6 med. *ne cuius nisi temporis gratia regi fieret.*

ad ex. Hisp. opus essent) i. e. quae opus essent, si 11
respiceretur exercitus Hispaniensis. Cf. XXXVII, 18 extr.; XLV, 13 sub fin. Pro *Hispaniensi* duo codd. deteriores: *Hispano.* Sed cf. quae Drakenborchius ex Charisii inst. gramm. (II, p. 82) affert: *Quum dicimus Hispanus, nomen nationis ostendimus, quum autem Hispanienses, cognomen eorum, qui provinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani.* Itaque Festus: *Romanenses*, inquit, *et Hispanienses et Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur.* Cf. supra c. 28, 8; XXXIX, 20 med.; c. 38 med.

iis primis solveretur) Cf. ad c. 45, 3.

et qua die) Sic scribendum cum Kreyssigio videtur ex 12
Drakenborchii coniectura, quum unus cod. praebeat: *ut quo die.* Ceteri libri coniunctionem omnes non habent. Sed ea facile excidere potuit ob similitudinem ultimae syllabae vocis praecedentis. Etiam *die* a plurimis abest. De genere h. v., in quo et ipso libri dissentiunt, cf. ad c. 26, 1 et init. c. 49.

XLIX.

ad conducendum) *Conducere* absolute ut §. 3. 1

societates) „Publicani dicuntur *societates*, quia coniunctim *publica* conducebant sive in conducendis *publicis* erant *socii.*" Doering.

unum — alterum) Germani dicimus fere: *erstlich* — 2
zweitens. Sed apud Latinos ita saepissime ad praecedens substantivum refertur distributio. V. Liv. VIII, 12 extr. *tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati, tulit: unam — alteram — tertiam;* XXIX, 17 in. *duarum rerum gratia: unius,*

essent, alterum, ut, quae in naves imposuissent, ab hostium
3 tempestatisque vi publico periculo essent. Utroque impetrato, conduxerunt, privataque pecunia respublica administrata est. Hi mores eaque caritas patriae per omnes or-
4 dines velut tenore uno pertinebat. Quemadmodum conducta

---

ut coram P. Scipione — agatur; alterius, quod — haec, quae passi sumus, pati non debuimus; XXXIV, 58 in. *ego quoque duas conditiones ponam —: unam, — ut et ipse omni Europa abstineat; — alteram, — ut et Romanis ius sit* etc.; ibid. 16 in.; XXXVI, 7 med.; XXXVIII, 29 in.; XLII, 12 post in.; XLV, 13 sub fin. Rarius pro *uno* ponitur *primus,* ut XXXIV, 19 post in. *trium conditionum electionem ferre iubet: primam — alteram — tertiam.* Cf. supra ad c. 9, 11.

ut militia vacarent) „Qui in militiam scribebantur, praeter alia incommoda et pericula, quibus suum caput obiectabant, illis praesens iactura erat omissio rei familiaris. Aequum erat igitur, eos (i. e. de quibus hic agitur), dum damno suo, certe prolatione commodi praesentisque pecuniae impendio necessitati publicae subveniunt, vacationem militiae habere, et aliunde aut aliis commerciis providere sibi ac rem fidemque integram tueri.“ Gronov. (Obss. IV, 23 p. 793).

dum in eo publico essent) i. e. dum eam publice curationem agerent. Nam *publicum* est hic publica curatio sive publicum munus.

publico periculo essent) i. e. ut, si quid damni ab hostibus tempestatibusque, v. c. captis navibus vel fractis, veniret, id non ad se, sed ad rempublicam pertineret. Cf. exempla, quae congessit Gronovius: XXV, 3 med. *quia publicum periculum erat a vi tempestatis in iis, quae portarentur ad exercitus;* Cic. Att. VI, 1, 4 *Impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse*; Flacc. 17, 41 *Facis iniuste, Laeli, si putas, periculo nostro vivere tuos contubernales.* Utrumque autem Latini dicunt, et *magno periculo esse* et *magno in periculo esse.* Hoc quidem habes v. c. V, 47 in.; XLIV, 20 sub fin.

3 *Hi mores eaque caritas*) *Hi mores* quum dicit, mores significat, quos in proxime praecedentibus ostendit et allato exemplo quasi ante oculos legentibus posuit; *ea caritas* declarat caritatem, qualem, lectis prioribus, fuisse animo concipias.

pertinebat) Cf. XXV, 24 post in. *in vastae magnitudinis urbe partium sensu non satis pertinente in omnia*; XXVI, 38 post in. *ad plures exemplum quam calamitas pertinebat*; XXXIV, 28 extr. *Inde vallem Taygeto subiectam agrosque ad mare pertinentes evastat*; Cic. nat. d. I, 14, 36 *rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem vi divina esse affectam putat.*

omnia magno animo sunt, sic summa fide praebita, nec secus quam si ex opulento aerario, ut quondam, alerentur.
Quum hi commeatus venerunt, Illiturgi oppidum ab Has- 5
drubale ac Magone et Hannibale Bomilcaris filio ob defe-
ctionem ad Romanos oppugnabatur. Inter haec trina ca- 6
stra hostium Scipiones quum in urbem sociorum magno cer-
tamine ac strage obsistentium pervenissent, frumentum,
cuius inopia erat, advexerunt; cohortatique oppidanos, ut 7
eodem animo moenia tutarentur, quo pro se pugnantem
Romanum exercitum vidissent, ad castra maxima oppugnanda,
quibus Hasdrubal praeerat, ducunt. Eodem et duo duces 8
et duo exercitus Carthaginiensium, ibi rem summam agi
cernentes, convenerunt. Itaque eruptione e castris pugna- 9
tum est. Sexaginta hostium milia eo die in pugna fuerunt,

---

praebita) i. e. militibus sive exercitibus. Hinc in se- 4
quentibus, quasi id ipsum addidisset, subiecto non posito, ait: *alerentur*. Cf. supra ad c. 9, 3.

Quum — venerunt) V. ad XXI, 39, 4; Weiss. §. 449. 5

Hannibale) Hanc scriptionem optimi quique tuentur codd., ceteri *Hamilcare*, quod retinuerunt Kreyssigius et Bekkerus. Si quid mutandum, potius scribendum putaveris *Himilcone*, quem cum Hasdrubale et Magone Hispaniensibus exercitibus praefectum esse retulit Livius supra c. 28. Sed huius in locum iam alius potuit successisse. Neque verisimile est, verba *Bomilcaris filio* adiecta fuisse a Livio nisi ad vitandam nominis ambiguitatem, quae nulla est in Himilcone.

defectionem ad R.) Similia v. ad XXI, 15, 6; supra ad c. 9, 11.

Inter h. trina castra) De praepositione *inter* cf. ad 6
XXI, 30, 5. Pro *trina* multi libri typis expressi olim praebebant *terna*. V. Sch. p. 183. 10; Sch. §. 119; Weiss. §. 229. 5. Neque tamen praeterquam in pluralibus tantum ea forma Livius usus est. Nam V, 2 sub fin. dixit: *Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos.*

duo duces) i. e. duo alii duces, Mago et Hannibal. V. 8
supra ad c. 11, 9.

rem summam agi) Cf. I, 25 in. *Imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum;* III, 12 in. *Apparebatque, vulgo homines in damnatione Caesonis libertatem agi credere;* XXVII, 34 med. *quum fama eius ageretur;* XXVIII, 32 med. *velut si omnium communis agatur honos;* ibid. 19 sub fin.; XLI, 23 post in.

eruptione e castris) V. supra ad §. 5 et ad XXII, 9
45, 2.

10 sexdecim circiter Romanis. Tamen adeo haud dubia victoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant, Romani ho-
11 stium occiderint, ceperint amplius tria milia hominum, paullo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa, septem elephantos, quinque in proelio occisis. Trinisque castris
12 eo die potiti sunt. Illiturgi obsidione liberato, ad Intibili oppugnandum Punici exercitus traducti, suppletis copiis ex provincia, ut quae maxime omnium, belli avida, modo praeda
13 aut merces esset, et tum iuventute abundante. Iterum signis collatis eadem fortuna utriusque partis pugnatum. Supra tredecim milia hostium caesa, supra duo capta cum
14 signis duobus et quadraginta et novem elephantis. Tum vero omnes prope Hispaniae populi ad Romanos defecerunt, multoque maiores ea aestate in Hispania quam in Italia res gestae.

---

10 *ut — occiderint, ceperint* etc.) De structura v. ad c. 16, 1; de chiasmo ad c. 44, 5. Aptissime autem praemissum est *ceperint* quum ad perspicuitatem, quod multa sequuntur, quae quo spectent, nisi praemisso illo verbo, diutius nescires, tum ad vim narrationis; nam caedem cogitantibus (*occiderint*) statim cogitatio subiicitur alterius damni hostibus Romanorum illati.

12 *Illiturgi*) *Illiturgi*, *Intibili* hic non magis declinantur quam XXI, 24, 1 *Illiberi*. V. quae ibi dicta sunt.

provincia) Hanc vocem non semper ad Romanos eorumque aut munera aut terras referri, ostendimus ad XXI, 60, 5.

ut quae maxime) Cf. V, 25 sub fin. *Grata ea res, ut quae maxime senatui unquam, fuit;* VII, 33 post in. *Proelium, ut quod maxime unquam, pari spe, utrimque aequis viribus — commissum est.* V. Ramsh. §. 155, 5.

modo) V. supra ad c. 25, 4.

TITI LIVII LIBER XXIV.

EPITOME.

Hieronymus, Syracusanorum rex, cuius avus Hiero amicus populi Romani fuerat, ad Carthaginienses defecit et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul prospere adversus Poenos et Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos liberos esse iussit. Claudius Marcellus consul in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est; qui, ad Apolloniam nocturno proelio oppressus fugatusque, in Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. Ad id bellum gerendum Valerius praetor missus est. Res praeterea in Hispania a P. et Cn. Scipionibus adversus Carthaginienses gestas continet. Syphax, rex Numidarum, in amicitiam ascitus, et a Masinissa, rege Massylorum, pro Carthaginiensibus pugnante, victus, in Maurusios cum magna manu transiit contra Gades, ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt: quorum auxiliis ascitis, tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

Ut ex Campania in Bruttios reditum est, Hanno, adiu- 1
toribus et ducibus Bruttiis, Graecas urbes tentavit, eo fa- U. C. 537.
cilius in societate manentes Romana, quod Bruttios, quos a. C. 215.
et oderant et metuebant, Carthaginiensium partis factos

I.

Ut — reditum est) Cf. XXIII, 46, 8. 1

Gr. urbes tentavit) Graecorum in magna Graecia colonias, Rhegium, Locros, Crotonem. Doering. *Tentat* urbem aliquis, qui experitur, num suae potestatis eam facere queat, de qua verbi vi dictum est ad XXI, 25, 10.

manentes) i. e. sed manebant. Sed participium accommodatius erat scriptori studio brevitatis multa in unum enuntiatum coniungenti.

Romana) De collocatione verborum cf. ad XXIII, 42, 10.

2 cernebant. Rhegium primum tentatum est, diesque aliquot ibi nequicquam absumpti. Interim Locrenses frumentum lignaque et cetera necessaria usibus ex agris in urbem rapere, etiam ne quid relictum praedae hostibus esset; et in dies
3 maior omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros ac portas telaque
4 in propugnacula congerere cogebantur. In permixtam omnium aetatium ordinumque multitudinem, et vagantem in agris magna ex parte inermem, Hamilcar Poenus equites emisit, qui, violare quemquam vetiti, tantum, ut excłude-
5 rent ab urbe fuga dissipatos, turmas obiecere. Dux ipse, loco superiore capto, unde agros urbemque posset conspicere, Bruttiorum cohortem adire muros atque evocare principes Locrensium ad colloquium iussit et, pollicentes ami-
6 citiam Hannibalis, adhortari ad urbem tradendam. Bruttiis in colloquio nullius rei primo fides est: deinde ut Poenus apparuit in collibus, et refugientes pauci aliam omnem mul-

---

2 *Interim Locrenses*) De ipsa re cf. quae dicta sunt ad XXIII, 30, 7.
etiam ne quid etc.) i. e. non solum ut suis usibus consulerent, sed etiam, ne quid etc.

4 *vagantem — inermem*) V. supra ad XXIII, 23, 9.
Hamilcar) Tres minoris auctoritatis codices: *Bomilcar*, quam lectionem unus ex iis etiam §. 9 habet. Recepit eam Strothius. Et sane magnam probabilitatem habet, si compares XXIII, 41 §. 10—12.

5 *Bruttiorum cohortem*) *Cohors* hic de militibus non Romanis eodem modo dicitur, quo ante *turmae* et alias saepe *legiones*. Cf. ad XXII, 6, 3; ad XXI, 54, 3; ad XXIII, 10, 6.
pollicentes) „Plurali numero refertur ad collectivum *cohortem*.“ Stroth. Scilicet quum plura interiecta inter substantivum et participium sint, non potuit non praevalere logica ratio, ut eos potissimum cogitaret scriptor, qui cum Locrensibus acturi essent.

6 *Bruttiis — n. r. pr. fides est*) Cf. XXI, 35, 4 *errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi fides iis non esset, temere initae valles — faciebant;* XXIX, 6 ante med. *Ibi se habitare, fidemque sibi rerum omnium inter Carthaginienses esse.* Aliter XXVII, 50 extr. *aliis iam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos — audissent.*
ut — apparuit — et — afferebant) De perfecto et imperfecto post *ut* posito cf. ad XXI, 12, 4.

titudinem in potestate hostium esse afferebant, tum, metu
victi, consulturos se populum responderunt. Advocataque 7
extemplo concione, quum et levissimus quisque novas res
novamque societatem mallent, et, quorum propinqui extra
urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis,
pigneratos haberent animos, pauci magis taciti probarent 8
constantem fidem, quam probatam tueri auderent, haud du-

---

mallent) Ita optimi codd., alii *mallet*. De numero plu- 7
rali saepissime a Livio post *quisque* posito v. ad XXII, 55, 7.
pigneratos) i. e. tanquam pignoribus apud hostem relictis obstrictos.

quam probatam tueri auderent) Bekkerus ex Wal- 8
chii coniectura pro *probatam* recepit: *propalam*, nullo codicum consentiente. Nec sane ulla corrigendi quod vulgo legitur necessitas est. Nam quod Walchius frigidam et ambiguam lectionem dicit, haec videtur causa esse, quod non posse opponi inter se *tacitum probare* et *probatam tueri* putaret. Sed quum *tueri* saepe sit oratione aliquid defendere, vides antitheton in hoc verbo esse. Cf. Liv. XXXIV, 31 post in. *At enim ego eam* (societatem) *violavi et everti*, *quod Argivorum civitatem teneo. Quomodo hoc tuear? re an tempore?* XL, 5 post med. *iuvenis incautus et amore nominis Romani et certamine adversus fratrem omnia tuendo suspectum se patri — faciebat.* Nec omnino semper tam diligens Livius est in ponendis antithetis, nihil ut legentibus, quod oppositionem expleat, cogitatione relinquat addendum. Ita, quod oppugnantium opera saepe occulta sunt, XLIV, 12 med., ut ostendit Büttnerus, satis habuit dixisse: *Placuit — quoniam vis aperta non processisset, operibus moenia oppugnare.* Denique ipsum genus loquendi, quo ad coniungendam vim adverbii temporis (ut *postea*, *tum*) et pronominis (ut hic: *eam*) idem verbum, quod antecessit, in participio perf. pass. ponitur, et elegantius est, quam quod librariis debeatur, et optime cum Livii dictione convenit. V, 1, 5 post in. *latrones — Remum cepisse, captum regi Amulio tradidisse;* II, 28 in. *Eam rem consules — ad Patres deferunt; sed delatam consulere ordine non licuit;* XXII, 20, 4 *quum urbem vi cepissent captamque diripuissent;* XXVI, 32 in. *urbem recipi, non capi, et receptam legibus antiquis et libertate stabiliri;* XXVIII, 39 in. *Bellum propter nos suscepistis, susceptum quartum decimum annum tam pertinaciter geritis;* XXXIV, 33 med.; infra h. l. c. 22, 15; 30, 14.

haud dubio in sp. cons.) In speciem tantum, non re ipsa, haud dubius erat consensus, quum essent, qui constantem fidem probantes metu victi simularent, se consentire. De locutione *in speciem* cf. III, 9 extr.; ibid. 40 post in.; IV, 42 med.; VI, 14 in.; XXI, 32, 12; XXXV, 36 extr. etc.

9 bio in speciem consensu fit ad Poenos deditio. L. Atilio praefecto praesidii, quique cum eo milites Romani erant, clam in portum deductis atque impositis in naves, ut Rhegium deveherentur, Hamilcarem Poenosque ea conditione, ut foedus extemplo aequis legibus fieret, in urbem acce-
10 perunt. Cuius rei prope non servata fides deditis est, quum Poenus dolo dimissum Romanum incusaret, Locrenses pro-
11 fugisse ipsum causarentur. Insecuti etiam equites sunt, si quo casu in freto aestus morari aut deferre naves in terram posset. Et eos quidem, quos sequebantur, non sunt

---

9 *deductis*) Post enuntiationem relativam nemo non cogitatione facile supplet: *iis* (*militibus Romanis*). Quare pluralis numerus participii a scriptore positus est. Comparant interpretes XXVII, 5 post in. *Mutine, et si quorum aliorum merita erga populum Romanum erant, in senatum introductis;* infra h. l. c. 40 post in. *et, quod longae naves militum capere non poterant, in onerarias impositis.*

10 *prope non s. f. est*) De indicativo cf. ad XXI, 34, 1; Weiss. §. 463. 2.

d. dimissum Rom. incusaret) Cf. XXVI, 12 med. *se quoque et praesidium in omnes cruciatus proditos, incusabant;* XXXI, 6 extr. *incusaverat, bella ex bellis seri;* XXXIII, 35 extr. *alii ferocius incusarunt exprobraruntque, non modo vinci sine Aetolis Philippum.* Ceterum *incusare* eum dici, non qui apud iudicem aliquem de altero queratur, quod est accusantium, sed qui in ipsum, de quo queratur, orationem convertat, ut aut irae satisfaciat suae aut alterius poenitentiam moveat, Döderlinius (Syn. II, 165) docuit.

11 *si quo casu — posset*) i. e. quod fortasse alicuius casus ea vis esset sive aliquo casu fieri posset, ut — moraretur: *für den möglichen Fall, dass* etc. V. quae exempla attulimus ad XXII, 12, 7; infra c. 36, 8. De voce *aestus* v. ad XXI, 49, 2.

naves) De collocatione huius vocis v. quae supra dicta sunt ad XXIII, 19, 6.

Et eos quidem) Procedente oratione per *et — quidem* induci posse prius oppositionis membrum, ostendit Nägelsbachius (Stilübungen. III, p. 130). V. II, 2 extr. *Et ceteri quidem movebant minus; postquam Sp. Lucretius — agere varie — coepit — consul — abdicavit se consulatu;* IX, 11 extr. *Et illi quidem — in castra Romana inviolati redierunt. Samnitibus — omnia, quae deinde venerunt, — in oculis esse;* XXXII, 30 med. *Et id quidem impetrari nequiit. In id fides data consuli est, ut* etc.; XXXIII, 28 extr.; XXXVII, 44 in. Idem docuit, in tali oppositione tam *quidem* omitti posse quam

adepti; alias a Messana traiicientes freto Rhegium naves conspexerunt. Milites erant Romani, a Claudio praetore 12
missi ad obtinendam urbem praesidio. Itaque Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus iussu Hannibalis data 13
pax, *ut liberi suis legibus viverent; urbs pateret Poenis, portus in potestatem Locrensium esset; societas eo iure staret, ut Poenus Locrensem, Locrensisque Poenum pace ac bello iuvaret.*

II. Sic a freto Poeni reducti, frementibus Bruttiis, 1
quod Rhegium ac Locros, quas urbes direpturos se desti-

---

et. V. XXVI, 27 ante med. *Et primo elevabatur index indiciumque: — ceterum ut coram coarguebantur, — fassi omnes;* ibid. 40 extr. *Et, quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est. In Hispania* etc.; XXXII, 34 med. *Et Aetolis haec. Attalo autem Rhodiisque nihil iure debeo. Et* omissum est II, 19 extr. *Hunc quidem in secundam aciem Latini recepere. Aebutius — pugna excessit.*

Rhegio — abscessum est) i. e. a Poenis urbem obsidentibus. V. supra §. 2. 12

data pax) i. e. haec. Cf. supra ad XXIII, 7, 1. 13

in potestatem — esset) Ita optimi libri. V. supra ad XXIII, 12, 15.

eo iure staret) V. ad XXIII, 48, 9.

pace ac bello) i. e. pacis ac belli tempore. Sic aliis quoque locis. V. VII, 1 extr.; XXVII, 5 post in.; XLII, 46 sub fin. Nonnunquam paullulum mutatur sententia adiecta praepositione *in*, ut V, 52 post in. et XXXIX, 40 med. (cf. et XXXIX, 23 med.; ibid. 35 sub fin.; XL, 15 med.); aut V, 49 extr. et XLV, 8 post in., ubi altero loco praepositio omissa est, altero addita. Cf. supra ad XXIII, 46, 6.

II.

Sic — reducti) i. e. hoc modo factum est, ut Poeni — reducerentur. V. I, 5 med. *Sic Numitori ad supplicium Remus traditur;* XXXII, 37 extr. *Quum mandati sibi de his nominatim negarent quicquam, sic infecta pace regii dimissi.* Cf. supra ad XXIII, 28, 12. 1

direpturos se destinaverant) *Destinaverant* i. e. animis, quod nonnunquam addit Livius, v. c. VII, 33 sub fin.; IX, 16 extr.; XXI, 44 extr.; XXXIII, 28 post in.; XLV, 39 med. Raro sequitur accus. cum infinit., ut etiam XXIX, 20 in. *quem — spe destinaverit Hannibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum;* interdum infinitivus, ut VII, 33 sub fin. *morte sola vinci destinaverant animis;* XLIII, 7 in. *Si Cretenses bene ac gnaviter destinarent potiorem populi Romani*

2 naverant, intactas reliquissent. Itaque per se ipsi, conscriptis armatisque iuventutis suae quindecim milibus, ad Crotonem oppugnandum pergunt ire, Graecam et ipsam ur-
3 bem et maritimam, plurimum accessurum opibus, si in ora maris urbem ac portum moenibus validum tenuissent, cre-
4 dentes. Ea cura angebat, quod neque non arcessere ad auxilium Poenos satis audebant, ne quid non pro sociis egisse viderentur; et, si Poenus rursus magis arbiter pacis

---

quam regis Persei amicitiam habere; quae structura frequentissima est apud Tacitum, Curtium, Plinium minorem, alios. *Destinare* autem est pro certo aliquid habentium.

2 *per se ipsi*) V. ad XXIII, 42, 2.

ad Cr. oppugnandum) Cf. infra §. 5; Z. §. 39; Sch. p. 42; Weiss. §. 50 n. 4 a.

pergunt ire) V. ad XXIII, 27, 3.

3 *u. ac p. moenibus validum*) Libri typis expressi inde a Gronovio ex paucis ac deterioribus codicibus praebent: *urbem portu ac moenibus validam.* Sed vix credibile est, a Livio urbem dictam esse *portu* validam, quumque in plerisque et optimis codicibus sit: *urbem ac portum moenibus validam*, praeferenda ea ratio videtur, ut una literula paullulum mutata scribatur: *urbem ac portum moenibus validum.* Nam poterat non urbs solum, verum etiam portus moenibus validus esse. Saepissime autem Livius ita loquitur, ut praecedentibus duobus substantivis, adiectivum aliquod vel participium cogitatione ad utrumque, structura grammatica ad posterius referatur. V. III, 66 in. *tribunis et plebe incitata;* IV, 2 extr. *cum iure ac maiestate ademta;* V, 23 in. *vatum responsa et Pythicae sortes notae;* VIII, 1 med. *sauciis ac parte impedimentorum relicta;* IX, 35 med. *scuta galeaeque ictae;* XXVI, 24 in. *quum Syracusas Capuamque captam — ostentasset* etc.

tenuissent) i. e. obtinuissent sive occupavissent. Cf. quae exempla posuimus ad XXIII, 20, 10, vel quae magis etiam ad huius loci similitudinem accedunt: IV, 3 post med. *L. deinde Tarquinium — regem factum; Ser. Tullium post hunc — virtute regnum tenuisse?* I, 12 in. *Tenuere tamen arcem Sabini*, quod, si antecedentia spectes, vix aliter explices, quam occupatam esse a Sabinis arcem.

1 *pro sociis egisse*) Cf. infra c. 48, 5 *ut pro bonis ac fidelibus sociis agerent;* XXXV, 46 extr. *Id primum eos pro amicis facturos, si insula excedant atque abeant.*

et — ne — pugnaretur) Aut omittendum, si quaeris, fuit *ne*, aut verbum metus, quod et ipsum aptum esset ex *quod*, addendum post *et*. Sed ita orationem Livius persecutus est, ut, quam vocem ante *neque* posuisset (*quod*), eam, pluribus interiectis, iam non respiceret. Cf. ad XXI, 15, 4.

quam adiutor belli fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante Locrorum, frustra pugnaretur. Itaque optimum visum 5
est, ad Hannibalem mitti legatos, caverique ab eo, ut receptus Croto Bruttiorum esset. Hannibal quum praesentium 6
eam consultationem esse respondisset et ad Hannonem eos reiecisset, ab Hannone nihil certi ablatum. Nec enim di- 7
ripi volebat nobilem atque opulentam urbem; et sperabat, quum Bruttius oppugnaret, Poenos nec probare nec iuvare eam oppugnationem appareret, eo maturius ad se defecturos. Crotone nec consilium unum inter populares nec vo- 8
luntas erat. Unus velut morbus invaserat omnes Italiae civitates, ut plebes ab optimatibus dissentirent: senatus Ro-

---

in libertatem Cr.) i. e. ita, ut pugnantibus (nihil aliud nisi) Crotonis libertas proponeretur. De hac vi praepositionis *in* dictum ad XXI, 42, 2 et ibid. 45, 4; XXVI, 39 med. *quum in maioris discrimen rei, quam ipsae* (classes) *erant, pugnarent. Frustra* autem quid hic valeat, facile patet, si consideres, id adverbium in ea actione poni, quae spem alicuius fallat.

5 *caverique ab eo*) Cf. III, 55 in. *Quicquid libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant;* VII, 41 in. *sibi se privatim nihil cavere;* IX, 42 extr. *Sociis Samnitium nihil cautum;* XXXVI, 31 sub fin. *si qua haberent, de quibus — in posterum caveri sibi vellent.* V. ad XXI, 18, 8.

6 *praesentium*) i. e. eorum, qui in re praesenti (*an Ort und Stelle*) essent ideoque rerum illarum conditionem nossent. Inde apparet, quae vis sit particulae *et.* Cf. ad XXII, 16, 3.

ablatum) Cf. Cic. Orat. I, 56, 239 *quum — responsum ab eo verum magis quam ad suam rem accommodatum abstulisset;* Quint. 5, 20 *Quintius a Scapulis paucos dies aufert;* Att. XVI, 16 (ep. ad Plancum) *adiimus ad Caesarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus.*

7 *volebat*) Pauci, sed partim optimi codd. praeferunt singularem, ut ad Hannonem solum hoc verbum referatur; ceteri: *volebant — sperabant.*

Bruttius) Nonnulli codd.: *Bruttii.* Sed numerus singularis in nominibus gentium saepe pro plurali ponitur, de qua re v. ad XXI, 59, 5.

defecturos) Quum in verbis *oppugnandi* et *oppugnationis*, quibus in antecedentibus Livius usus est, non possis non cogitare eos, ad quos pertineat oppugnatio, mirum non est, scriptorem iam ita hic locutum esse, quasi eos ipsos nominasset.

8 *nec consilium — nec voluntas*) Non idem bis posuit scriptor; in altero enim verbo propositum, in altero studium animi spectavit.

9 manis faveret, plebs ad Poenos rem traheret. Eam dissensionem in urbe perfuga nuntiat Bruttiis: Aristomachum esse principem plebis tradendaeque auctorem urbis; et in vasta urbe lateque omnibus disiectis moenibus raras stationes custodiasque senatorum esse; quacunque custodiant plebis ho-
10 mines, ea patere aditum. Auctore ac duce perfuga, Brut-

---

ut plebes — dissentirent) Cf. III, 38 sub fin. *Haec fremunt plebes.* Nonnihil differunt exempla, qualia sunt: I, 17 extr. *Adeo id gratum plebi fuit, ut — id modo sciscerent iuberentque;* II, 35 extr. *plebem suam impelli posse, ut toties infeliciter tentata arma caperent;* IV, 5 sub fin. *parata vobis plebes est — si iungi miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt;* ibid. 60 in.; VI, 20 in. etc. V. et supra ad XXIII, 14, 8.

9 *dissensionem in urbe*) Exempla similia posita sunt ad XXII, 54, 11.

perfuga) V. supra ad XXIII, 14, 3.

l. omnibus disiectis m.) Iacobsius, nullo, quod sciam, codice addicente, delendum censet *omnibus.* Sed videntur *omnia moenia late disiecta* dici posse, si nullum non munimentum ita extendatur, ut aliqua pars eius a ceteris munimentis longe distet (*alle Festungswerke weit aus einander laufen*). Cf. etiam Sall. Iug. 57, 2 *cuncta moenia exercitu circumvenit.* Neque probabile, quod Rupertus putat, *urbem vastam* h. l. non amplam, sed vastatam, et *moenia late disiecta* diruta esse, ut apud Nepot. Timol. 3. Neque enim videtur ille v. d. animadvertisse, iis verbis causam contineri, cur rarae stationes custodiaeque senatorum fuerint. Et cf. infra c. 33, 9, ubi Syracusas Livius dicit *vastam disiectamque spatio urbem.*

raras stationes custodiasque) Hanc scriptionem restituit Gronovius ex optimo cod., in quo legitur: *paraset stationes custodiasque.* Ceteri fere praebent: *parasset.* Hinc Drakenborchius quique secuti eum sunt plerique editores praetulerunt: *raras et stationes custodiasque,* quod interpretantur: raras et stationes et custodias (cf. ad XXI, 49, 8). Sed stationes et custodiae, quae voces tam finitimae sunt, ut interdum etiam inter se permutentur (intelliguntur enim in utroque vocabulo milites separatim aliquo loco sub armis collocati, sed in custodiis tutela aliqua respicitur, in stationibus mansio in aliquo loco, in qua varia possunt consilia esse ut hostem speculantium, locum al. tuentium, ad aggrediendi hostis opportunitatem intentorum, alia id genus spectantium) non bene opponuntur inter se per *et — et* vel *et — que.* Cf. v. c. V, 44 extr. *sine stationibus ac custodiis;* XXI, 14, 2 *stationibus custodiisque;* Caes. b. c. I, 59. Recte igitur Gronovius et Bekkerus videntur coniunctionem priore loco induxisse.

10 *corona cinxerunt u.*) V. ad XXIII, 27, 7.

tii corona cinxerunt urbem, acceptique a plebe primo impetu omnem praeter arcem cepere. Arcem optimates tene- 11
bant, praeparato iam ante ad talem casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit, tanquam Poenis, non Bruttiis, auctor urbis tradendae fuisset.

III. Urbs Croto murum in circuitu patentem duodecim 1
milia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum. Post 2
vastitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur: flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca praeterfluebat; et arx procul iis, quae habitabantur.
Sex milia aberat (ab) urbe nobile templum (ipsa urbe erat 3

---

omnem) Vulgata lectio est: *locos omnes*. Sed *locos* in optimis et plerisque codd. non legitur et reiiciendum ob eam quoque causam est, quod Livius videtur ex consuetudine sua scripturus fuisse: *loca omnia*. Optimi libri, omissa ea voce: *omnes*, duo *omnia*, alteri duo, *omne*, a quo non multum abest quod unus inter versus suprascriptum habet *omnem*, id quod probarunt Gronovius et Bekkerus. Et sane quam unam interpretationem admittere videtur *omnes*, ut ad Bruttios referatur, ea habet quod displiceat. *Omnem* refer ad *urbem*. Cf. III, 15 extr. *reliquum noctis — in stationibus disponendis ad opportuna omnis urbis loca egere.*

III.

patentem d. m. p.) Cf. XXXVIII, 59 post in. *regionem* 1
dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem; XXXVII, 40 in. *a fronte introrsus in duos et triginta ordines armatorum acies patebat;* XXV, 23 post med. *numerando lapides aestimandoque ipse secum, quid in fronte paterent singuli.*

ante P. in Italiam adventum) V. ad XXIII, 29, 7.

eo bello) V. supra ad XXIII, 46, 6 et de praepositione 2
post ad XXIII, 22, 3.

habitabatur) Germani dicimus: *war bewohnt*. Cf. XXXVI, 22 post med. *partem extra muros, quae frequentius prope quam urbs habitabatur, Ti. Sempronio Longo oppugnandam dedit;* Curt. VIII, 2 ante med. *Scythiae confinis est regio habitaturque pluribus ac frequentibus vicis.* Similiter alia quoque verba ponuntur. V. ad XXI, 54, 1.

flumen) *Aesar* sive *Aesarus*. V. ind. geogr.

arx procul iis) Omissum est *erat*. V. infra c. 24, 2 *cui Gelonis filia nupta;* 36, 4 *adeo uterque populus in Siciliam intentus*; XLIV, 30 in. *novique duces in provinciam venerant — Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium.* Cf. ad XXII, 31 extr.

nobilius) Laciniae Iunonis, sanctum omnibus circa populis.
4 Lucus ibi, frequenti silva et proceris abietis arboribus saeptus, laeta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sa-

---

3 *aberat ab urbe nobile t.*) Codices: *in urbe*. Itaque fuerunt, qui pro *in urbe* scribendum putarent *inde urbe*, in quo mirum quantum languet *inde*. Rectius alii videntur delevisse *in*, quod ex primis literis insequentis vocis oriri potuit. *Ab* praepositio omnibus codicibus abest, et videtur abesse posse. Cf. XXXIII, 15 ante med. *haud procul castris aberant pedites equitesque*. Quanquam h. l. fieri potuit, ut praepositio interciperetur ab ultimis literis vocis praecedentis. Deinde in plerisque codd. est *nobile templum*, sed recentiores editores praetulerunt quod minorem codicum fidem habet: *nobili*, plerique omnes scribentes: *S. m. p. aberat ab urbe nobili templum (ipsa urbe erat nobilius) Laciniae Iunonis*, in qua lectione *nobili* prorsus supervacaneum est, quod ita tantum potest probari, si cum Gronovio et Bekkero, sublata et parenthesi et voce *erat*, legas: *ab urbe nobili templum ipsa urbe nobilius Laciniae Iunonis*, ita ut *nobili* adiectum sit propter antitheton, quod sequitur. Sed quum in nullo cod. desit *erat*, et plerique habeant *nobile*, veram scripturam videmur nobis restituisse eam, quam posuimus. Sic optime parenthesis adiecta est, ut legentibus, quam recte templum illud *nobile* dicatur, appareat. Talis verborum interpositio coniunctione carens frequentissima est apud Livium. V. I, 4 med. *ubi nunc ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt)*; II, 32 post in. *in Sacrum montem secessisse (trans Anienem amnem est)*; V, 28 med. *ut — ad castra hostium duceret (in conspectu erant posita in plano)*; ibid. 32 extr.; IX, 35 in.; X, 2 ante med.; XXIII, 15, 2 etc.

4 *Lucus ibi — saeptus*) Saepimentum, quod et ipsum partem luci fuisse contra Dukerum crediderim, opponitur laetis in medio pascuis. *Lucus* autem, ut docuit Doederlinius (Syn. II, p. 90), non semper intelligitur silva, sed omnino locus sacer.

et pr. abietis arboribus) Adiungitur per *et* quod angustius valet, ut coniunctionem explicare possis: *et maxime*. V. ad XXI, 17, 4. Codex unus non magnae auctoritatis: *abietinis arboribus*. Sed *abietinum* apud nullum bonum scriptorem legitur; nam pro eo *abiegnum* ponunt. Cf. Liv. XXI, 8, 10; XLII, 65 med. *Abietis arbores* sunt *Tannenstämme*. De numero singulari, cuius frequentissime in nominibus arborum collectiva est haec vis, v. XXVIII, 45 extr. *abietem in fabricandas naves et frumenti magnum numerum*. *Abiete ex publicis silvis est usus*. Praeterea cf. de genere loquendi Suet. Octav. 94 *quum silvam caederet, arborem palmae repertam conservari — iussit*; Iustin. XXXVI, 3 *Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent*; Colum. V, 11 prope fin.

laeta in m. pascua) Cf. I, 7 post in. *loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boves, et ipsum fessum via*

crum deae pecus pascebatur sine ullo pastore; separatim- 5
que greges sui quisque generis nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni 6
igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta et sacrata est; inclitumque templum divitiis etiam, non tantum sanctitate, fuit. Ac miracula aliqua affin- 7

---

procubuisse; Hor. Carm. IV, 4, 13 *laetis caprea pascuis intenta;* Cic. de orat. III, 38, 155 *laetas segetes etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo.*

separatimque greges sui quisque g.) Vulgo libri 5
typis descripti habent: *separatimque egressi cuiusque generis greges nocte* etc., in qua scriptura iure mireris, dici a Livio separatim egressos greges, quod supervacaneum, quum potius nocte separatim eos remeasse, dignum fuerit, quod commemoraretur. Sed optimi ac plerique codd. quum omissa voce gregum praebeant: *separatimque egressui* vel *egressi cuiusque generis nocte,* Gronovius coniecit: *separatique greges sui quique generis nocte remeabant,* in quo eum secutus Bekkerus est. Et sane plurima egregie ita restituuntur, nisi quod Gronovius sine idonea causa *separati* posuit pro *separatim,* et propius ad codicum scripturam, quod bene vidit Drakenborchius, accedit *quisque* quam *quique.* Itaque in his duobus vocabulis a Gronovii emendatione discessimus. *Quisque* saepissime per appositionem refertur ad praecedens nomen plurale inprimis post pronomen reflexivum et possessivum. Exempla v. ad XXI, 45, 9; praeterea II, 7 in. *ut ambo exercitus — suas quisque abirent domos;* ibid. 12 extr. *ceteri — suo quisque tempore aderunt;* 23 sub fin.; infra XXIV, 12, 8.

nunquam — non) Ita in re mirabili cum dissimilitudine simul plus vigoris illatum orationi quam si positum esset, quod usitatius est: *nunquam neque — neque,* quo genere loquendi Livius usus est III, 14 extr. *nunquam ulli neque publice neque privatim truces esse.*

aurea solida) *Solida* i. e. *massiv.* Cf. Cic. div. I, 24 6
Hannibalem Coelius scribit, quum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse: quumque solidam invenisset statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Iunonem praedicere, ne id faceret etc.

divitiis etiam, non tantum s.) Hoc modo Livium saepe locutum esse, ostendimus ad XXI, 54, 3. Apparet autem, hac verborum collocatione factum esse, ut verba *divitiis etiam,* quae iam potissimum commemoranda fuerunt, multo plus ponderis acciperent, quam si altera illa verborum positione Livius usus esset.

gunt, ut plerumque tam insignibus locis. Fama est, aram
esse in vestibulo templi, cuius cinerem nullo unquam mo-
8 veri vento. Sed arx Crotonis, una parte imminens mari,
altera vergente in agrum, situ tantum naturali quondam mu-
nita, postea et muro cincta est, qua per aversas rupes ab
9 Dionysio Siciliae tyranno per dolum fuerat capta. Eam tum
arcem, satis, ut videbatur, tutam, Crotoniatum optimates
tenebant, circumsedente cum Bruttiis eos etiam plebe sua.
10 Postremo Bruttii, quum suis viribus inexpugnabilem viderent
11 arcem, coacti necessitate, Hannonis auxilium implorant. Is,

---

7 *Ac miracula aliqua affingunt, ut* etc.) Libri typis descripti: *Ac miracula aliqua affinguntur plerumque* etc., quorum haec potest sententia esse: Praeterea miracula aliqua omnibus eiusmodi locis affingi solent; quare eorum ibi quoque mentionem fieri, per se patet. Ita quae ex generaliore sententia sequuntur, lectorum Livius reliquisset cogitationi supplenda. Sed verior videtur Freinshemii et Iacobi Gronovii coniectura: *miracula aliqua affingunt, ut plerumque tam insignibus locis.* Cf. exempla a Gronovio laudata: II, 7 in. *Adiiciunt miracula huic pugnae, ingentem vocem editam;* XXV, 39 extr. *Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est; et verae gloriae eius etiam miracula addunt.* De tertia persona numeri plur. indefinite posita diximus ad XXI, 38, 6; supra ad XXIII, 17, 7.

cinerem nullo moveri vento) Libri manu scripti fere omnes: *nullus unquam movet ventus;* sed cod. optimus Puteaneus: *nullo unquam more ventos*, unde veram lectionem restituit Gronovius. V. supra ad XXIII, 10, 3 et ad rem ipsam Plin. h. n. II, 107, 240 *Reperitur apud auctores, — in Laciniae Iunonis ara sub dio sita cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis.*

8 *Sed arx Cr.*) Redit iam eo, unde digressa erat, oratio, quod indicat particula *sed.*

una parte) V. ad XXIII, 46, 2.

ab Dionysio) Intelligendus est Dionysius maior, qui per duodecim annos Crotoniatis imperitavit.

9 *ut videbatur*) *Videbatur* refer ad *arcem*, ne Germanorum more hic pro impersonali verbum habeas. Cf. Cic. Tusc. III, 34, 84 *eaque verba — non, ut videntur, easdem res significant*; Att. VIII, 11 *quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus;* ibid. IX, 49 *quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata et literas attulerunt;* Fam. I, 8, 2 *neque id facio, ut forsitan quibusdam videar, simulatione;* Qu. fr. III, 1, 3 *uno die tres sunt redditae (epistolae), et quidem, ut videbantur, eodem abs te datae tempore.* Ita Graeci quoque fere loquuntur.

conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Bruttiorum eo deduci antiquamque frequentiam eo recipere vastam ac desertam bellis urbem paterentur, omnium neminem praeter Aristomachum movit. Morituros 12
se affirmabant citius, quam, immixti Bruttiis, in alienos ritus, mores legesque ac mox linguam etiam verterentur.

---

conditionibus) V. ad XXIII, 7, 1. 11
eo recipere) Vulgo: *eorum recipere*, quod codicum auctoritate destituitur nec per se probabile est. Bekkerus ex Gronovii coniectura scripsit: *antiquamque frequentiam suam recipere*, quod et multum discedit a codicum scriptura et eo quoque displicet, quod *suam* supervacaneum est. *Eo* videtur verum esse; neque enim, quod paulo ante praecessit *eo*, falsam voculam esse arguit, quum saepissime brevibus intervallis easdem voces ponat Livius, de quo dictum est ad XXIII, 24, 10. Significat autem *per eam rem.* Postulabat Hanno, ut antiquam frequentiam recipere urbem paterentur, idque per eam, quam ipse dixisset, rem. Itaque ne eos quidem editores recte fecisse verisimile est, qui unum deteriorem codicem secuti *eo* omiserunt.

citius) Cf. de hac vocis vi: II, 43 extr. *excellentibus* 12
ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent; V, 25 in. *ut morituros se citius dicerent in conspectu populi Romani, quam — quicquam earum rerum rogaretur;* VIII, 32 med. *vitam sibi eripi citius quam gloriam rerum gestarum posse;* XXXV, 31 extr. *in corpora sua citius per furorem saevituros, quam ut Romanam amicitiam violarent.*

quam — verterentur) Triplex in eiusmodi enuntiatis valet structura, non tamen aeque illa omnibus locis conveniens. Nam repeti potest post *quam* eadem, quae praecedit, verborum structura, quo dicendi genere rarius veteres utuntur quam ceteris. Cf. Cic. Att. II, 20, 3 *addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri;* Caes. b. c. III, 49 *prius se cortice ex arboribus victuros quam Pompeium e manibus dimissuros.* Sed saepius ponitur aut *quam ut* aut *quam* cum coniunctivo. De altero v. II, 34 extr. *ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant;* VI, 28 extr. *Locum — irritaturum se potius ad delendam memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat;* IX, 14 med. *potius, quodcunque casus ferat, passuros, quam ut sprevisse pacis auctores Tarentinos videantur;* XXVI, 26 sub fin.; XXXI, 11 extr.; XXXV, 31 extr.; XXXVII, 37 sub fin.; de altero cf. IV, 2 post med. *quamlibet dimicationem subituros fuisse potius, quam eas leges sibi imponi paterentur;* VII, 18 post med. *si quod tristius sit imperii nomen, patiendum esse potius, quam ambos patricios consules videant;* XL, 4 ante

13 Aristomachus unus, quando nec suadendo ad deditionem satis valebat nec, sicut urbem prodiderat, locum prodendae
14 arcis inveniebat, transfugit ad Hannonem. Locrenses brevi post legati, quum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci se in Locros paterentur nec ultima ex-
15 periri vellent. Iam, hoc ut sibi liceret, impetraverant et ab Hannibale, missis ad ipsum legatis. Ita Crotone excessum est, deductique Crotoniatae ad mare naves conscendunt. Locros omnis multitudo abeunt.

---

med. *se sua manu potius omnes interfecturam, quam in potestatem Philippi venirent.* VI, 15 extr. Eadem structura non praecedente accus. c. inf. saepe ponitur, v. c. VII, 30 sub fin. *vos potius beneficio vestro occupate eam* (urbem), *quam illos habere per maleficium sinatis;* ibid. 40 sub fin. *vel iniquis standum est potius, quam impias inter nos conseramus manus;* XXVIII, 22 sub fin.; XXXII, 21 ante med.; XXXIII, 13 in. Ceterum ad *verterentur* conferri possunt quae dicta sunt ad XXIII, 20, 4.

ritus) Hoc verbo significatur, ipsa natura eos a Bruttiis diversos esse. Nam *ritus* ipsa natura valent, (v. Döderl. Syn. V, p. 76), *mores* voluntate et consilio, *leges* publica auctoritate.

13 *ad deditionem*) Noli haec iungere cum *suadendo*, sed potius cum verbis *satis valebat.* Nam ut illud ab eleganti sermonis Latini consuetudine alienum est, quum dicendum sit *suadere aliquid*, ita saepe Latini dicunt *valere ad al. rem.* Cf. VII, 30 in. *ad id valere arbitror, ne nos in amicitiam accipiamur;* XXXIII, 16 med. *duo principes — non ad tollendum modo decretum Romanae societatis valuerunt.*

14 *brevi post*) Rara est haec locutio, quum Latini potius dicere soleant *paulo post.* Eandem Livius posuit XXXIII, 37 extr. *Brevi post Marcellus Romam venit.*

in Locros) V. ad XXIII, 41, 13.

nec — vellent) *Nec* pro *neve*, ut saepe, ubi eadem, quae ante, sententia aliis verbis ponitur aut explicatur. Cf. ad XXII, 10, 5.

15 *impetraverant*) Locros dicit.

Crotone excessum) Mirum, etiam hic in optimis codicibus legi: *Crotonem excessum est.* Pariter infra c. 20, 10 plerique et optimi libri habent: *vim* sive *viam excessum est.* Sed recte videntur utroque loco editores accusativum reiecisse. Nam si eam structuram ponere Livius vellet, de qua dictum est ad XXIII, 1, 3, credibile non est, eum dicturum fuisse: *urbem exceditur*, sed potius *urbs exceditur.* Neutrum ullo loco legitur.

In Apulia ne hiems quidem quieta inter Romanos atque Hannibalem erat. Luceriae Sempronius consul, Hannibal haud procul Arpis hibernabat. Inter eos levia proelia ex occasione aut opportunitate huius aut illius partis oriebantur; meliorque eis Romanus et in dies cautior tutiorque ab insidiis fiebat. 16 17

IV. In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis regnumque ad Hieronymum nepotem eius translatum, puerum, vixdum libertatem, nedum dominationem, modice laturum, 1

---

abeunt) De numero plurali voci multitudinis subiuncto v. ad XXII, 10, 8; infra c. 24, 9; 32, 9. Sed h. l. verba *omnis multitudo* videntur pro appositione subiecti esse.

ex occasione aut opportunitate) *Occasionem* et *opportunitatem* ita differre, ut illa facultatem (*Möglichkeit*) tantum al. rei faciendae ostendat, haec etiam prosperum eventum, Doederlinius docuit (Syn. p. 243). Cf. XXI, 35 in. *utcunque aut locus opportunitatem daret aut progressi morative aliquam occasionem fecissent;* XXV, 38 sub fin. *in occasionis momento, cuius praetervolat opportunitas.* 17

huius aut illius p.) Ita Latini quoque, ubi de duobus ita dicunt, ut nihil interesse, utrum intelligas, significent. Cf. II, 19 med. *Nec quisquam procerum ferme hac aut illa ex acie sine vulnere — excessit*; V, 8 extr. *huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverant, adsunt;* XXXI, 32 in. *nihil aut huic aut illi parti assensus;* XLI, 8 post med. *neque eo minus aut hos aut illos in delectum militum dare;* XXXIII, 6 extr.; XXXVIII, 40 extr. (bis) etc.

meliorque) *Meliorem* nonnunquam ita dici, ut melior bello intelligatur, diximus ad XXII, 39, 12.

IV.

translatum) V. ad XXIII, 39, 4. 1

modice laturum. Ea aetas, id ingenium) Haec scriptura olim Salmasio probata, nuper Böttchero, quanquam non ab omni parte placet, recipienda visa est ut minime abhorrens a verbis praestantissimi cod. Put., qui habet: *laturum*
a te
aeetas (*te* videtur a m. 2 esse). Alii libri mss. fere praebent: *laturum aetates* vel *aetatis*. *Modice ferre* est ea, qua decet, moderatione ferre. Cf. infra c. 25, 8 et ad XXII, 25, 10. De vi participii futuri cf. Weiss. §. 183 n. 2; Sch. p. 97. 9; de omissa v. *erat* ad c. 3, 2. Eam (i. e. talem) aetatem idque ingenium Hieronymi fuisse Livius ait, ut vix libertatem videretur ferre posse s. dignus esse, qui ipse alterius imperio careret, nedum qui dominationem in alios haberet. De repetito pro-

2 Ea aetas, id ingenium; et tutores atque amici ad praecipitandum in omnia vitia acceperunt. Quae ita futura cernens Hiero, ultima senecta voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili per ludibrium bonis arti-
3 bus partum firmatumque interiret regnum. Huic consilio eius summa ope obstitere filiae, nomen regium penes puerum futurum ratae, regimen rerum omnium penes se virosque suos, Andranodorum et Zoippum: nam ii tutorum primi re-

---

nomine Böttcherus confert III, 10 sub fin. *Ecetrae Antiates — concilia facere. Id caput, eas vires belli esse;* VII, 40 med. *iis eram natus, id specimen mei dederam, ea aetate consulatum adeptus eram, ut* etc. Differunt tamen nonnihil ea exempla, ut in quibus et maior causa sit anaphorae quam h. l. neque pronominis prorsus eadem atque hic vis. Itaque nescio an praeferendum fuerit: *Ea aetas et ingenium*, ita ut pronominis vis ad utrumque substantivum pertineat. Ceterum alii alia in hoc loco emendando excogitaverunt. Vulgaris scriptio est: *laturum. Laete id ingenium tutores* etc. Gronovius, quem Bekkerus secutus est, dedit: *modice laturae aetatis. Id ingenium tutores* etc., ubi aetatis vitium minus bene videtur ad ingenium transferri. Alii plurimorum codd. verba secuti probaverunt: *laturum. Aetatis id ingenium* etc.; qui fortasse exempla spectarunt huiusmodi: II, 30 in. *imperium suo (ingenio) vehemens;* XXVIII, 12 extr. *Hispania — quam ulla pars terrarum bello reparando aptior erat locorum hominumque ingeniis;* XXXVII, 54 post med. *si natura insita velut ingenio terrae vinci posset*, ut Livium verbis *aetatis id ingenium* significare vellent, quum aetatis, qua Hieronymus erat, natura ea esset, ut vixdum libertatem, nedum dominationem modice ferret, etiam tutorum atque amicorum pravitatem accessisse.

2 *et tutores*) *Et*, quod ab recentioribus editoribus plerisque omissum est, in tribus praestantissimis libris legitur. Est ut saepe: accessit, quod. Cf. ad XXIII, 5, 2.

senecta) Haec vox, Ciceronis aetate rarior apud solutae orationis scriptores, postea apud eos multo usu invaluit. Livius ea saepe usus est. V. II, 40 med. *infelix senecta;* VI, 8 in. *senecta invalidus;* XXVIII, 16 *constantissima ad ultimam senectam fides;* XXXVIII, 53 extr. *cum senecta res quoque defloruere;* XLV, 40 post in. *senecta ipsa maiestatem prae se ferens.* Est proprie adiectivum; quare plenius Sallustius, Lucretius et saepius Plautus dixere: *senecta aetas.*

3 *summa ope*) i. e. omni contentione. Locutio Livio admodum familiaris. V. I, 23 in.; II, 2 ante med.; III, 35 in.; IV, 3 post in.; ibid. 50 extr.; V, 26 in.; XXIII, 7, 4 aliisque locis. Pariter et *omni ope* saepe posuit, ut III, 50 in.; VII, 17 med.; VIII, 16 in.; IX, 26 med.; XXIII, 12, 3 etc.

linquebantur. Non facile erat nonagesimum iam agenti an- 4
num, circumsesso dies noctesque muliebribus blanditiis, libe-
rare animum et convertere ad publicam privata curam. Ita- 5
que tutores modo quindecim puero relinquit; quos precatus
est moriens, ut fidem erga populum Romanum, quinqua-
ginta annos ab se cultam, inviolatam servarent, iuvenem-
que suis potissimum vestigiis insistere vellent disciplinaeque,
in qua eductus esset. Haec mandata. Quum exspirasset, 6
(per) tutores testamento prolato pueroque in concionem

---

nam ii tutorum) Haec verba, quae, ad sententiam necessaria, in nullo cod. leguntur, supplevit Valla. In multis codicibus etiam quae duae praecedunt voces *et Zoippum* desunt. Patet, in similitudine extremarum syllabarum vocum *Andranodorum* et *tutorum* causam fuisse, ut librarii versum praetermitterent.

liberare animum) i. e. facere, ut animus incorruptus 4
sive integer (*unbefangen*) esset.

conv. ad publicam privata c.) h. e. ita statuere de domo sua, ut praecipue reipublicae consuleret et illius statum huius commodo attemperaret. Gronov. Ad *publicam curam* cf. quae dicta sunt ad XXII, 10, 8. Strothius coniecit: *convertere ad publicam a privata curam* i. e. (animum) a privata cura ad publicam curam convertere. Cf. ad XXIII, 26, 6 et infra ad c. 5, 11.

tutores modo etc.) i. e. satis habuit, ita reip. consu- 5
lere, ut tutores quindecim pueri relinqueret.

relinquit) Alii *reliquit*. Sed praesens, pro quo duorum optimorum aliorumque codd. fides est, vera videtur scriptura. Cf. ad XXIII, 33, 8.

suis p. vestigiis insistere) V. de hac locutione ad XXII, 47, 6.

in qua eductus esset) Codices omnes: *edoctus*. Sed quum credibile non sit, Livium scripsisse *edoceri in aliqua re*, sed potius *edoceri aliquam rem*, ut XXV, 37 in. *omnes militiae artes edoctus fuerat;* ibid. 40 med.; praeterea quum *disciplina* hic non ad studia doctrinae, sed ad vitae agendae rationem spectet (v. ad XXI, 7, 3), recte videntur coniecisse Tan. Faber et Gronovius *eductus*, quod Bekkerus quoque probavit. *Educere* est educare. V. ad XXI, 43, 15.

Haec mandata) „Frequentissimus hic Livii usus est, hunc in modum absolvere et finem dare praecedenti orationi. Cf. h. l. c. 13, 5; XXXI, 11 ante med. *Haec ad Carthaginienses mandata;* XXI, 54, 5 *Haec mandata Numidis;* XXVII, 43 sub fin. *Haec senatui scripta;* XXXI, 32 extr.; XXXVII, 56 in.“ Iac. Gronov.

(per) tutores) *Per* in duobus tantum libris deteriori- 6

7 producto (erat autem quindecim tunc ferme annorum), paucis, qui per concionem ad excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testamentum, ceteris velut patre amisso
8 in orba civitate omnia timentibus, funus fit regium, magis
9 amore civium et caritate quam cura suorum celebre. Brevi deinde ceteros tutores summovet Andranodorus, iuvenem iam esse dictitans Hieronymum ac regni potentem; deponendoque tutelam ipse, quae cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.

1 V. Vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis erat

---

bus legitur videturque inducendum esse. Nam Livius quum dicturus esset, tutores funus fecisse non ita magna cura, factum est, ut longius commorando in exsequendis iis, quae et ipsa orta a tutoribus funus praecesserunt, ab incepta structura deflecteret. Anacolutho igitur, ut iam Boettcherus animadvertit, hic usus est. V. ad XXI, 3, 1; infra ad 26, 3; 34, 4.

7 *paucis — approbantibus — tim.*) Haec ad priora, non ad sequentia, referenda sunt. Germani dicimus: *wobei.* Itaque alteri ablativi absoluti alteris pro enuntiatione secundaria accedunt.

per concionem) Cf. ad XXIII, 15, 5.

8 *amore civium et caritate*) i. e. quod cives eum et amabant et diligebant. Nam *amor* in affectu animi positus est, *caritas* in iudicio. Ceterum plus ponderis hic esse in caritate et res ipsa et verborum positio docet. Cf. et c. 5, 1.

9 *Brevi deinde*) Ita legendum coniecit Crevierius, quum in optimo cod. sit: *celebrevi;* ceteri *brevi* non habent. Secuti sunt Crevierium recentiores editores tantum non omnes. Cf. super. cap. §. 14.

regni potentem) V. ad XXIII, 16, 6.

deponendoque t. ipse) De hac structura, qua *ipse* per appositionem additur ablativo gerundii, dictum est ad XXII, 34, 10.

in se unum — convertit) Cf. exempla, quae Dukerus laudavit: Cic. Div. in Caec. 17 *Ex illa pecunia maximam partem ad se vertit; mulieri reddidit, quantum visum est;* Tac. Ann. II, 64 *Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data et resistenti vim facere;* quibus adde Liv. XXI, 53, 6 *occasio in se unum vertendae gloriae.*

V.

1 *facilis erat*) *Facile* hic dicitur, quod sine negotio ad nos vertimus, nobis comparamus. Praeterea tirones consulant Weissenb. §. 178. 2.; Z. §. 518; Liv. XXXVII, 31 in. *praesidium ab Lysimachia — deduci pravo — consilio iussit. Non*

favor apud Syracusanos, succedenti tantae caritati Hieronis; verum enim vero Hieronymus, velut suis vitiis deside- 2
rabilem efficere vellet avum, primo statim conspectu, omnia
quam disparia essent, ostendit. Nam qui per tot annos 3
Hieronem filiumque eius Gelonem nec vestis habitu nec alio ullo insigni differentes a ceteris civibus vidissent, conspe-
xere purpuram ac diadema ac satellites armatos quadrigis- 4
que etiam alborum equorum interdum ex regia procedentem

---

enim tueri solum Lysimachiam a primo impetu Romanorum facile erat etc.; IX, 19 med. *An si sana mens fuisset, difficile illis fuit — mittere Romam legatos?*

succedenti t. caritati H.) „i. e. qui succederet tam caro Hieroni. V. I, 48 extr. *regnavit — ita, ut bono etiam moderatoque succedenti regi difficilis aemulatio esset;* IV, 11 in. *Fabius et Aebutius consules quo maiori gloriae rerum, domi forisque gestarum, succedere se cernebant;* Iustin. III, 5 *ut non numero tantum amissorum civium, sed et dignitati succederent;* XXII, 1 *Agathocles, qui magnitudini prioris Dionysii successit.*" Gronov. V. Z. §. 672; Sch. p. 521; Weiss. §. 205 n. 3.

2 *verum enim vero*) Haec in unum enuntiatum cum prioribus coniungenda esse, quod editores adhuc non fecerunt, et opposita inter se ostendunt *quidem — verum*, et omnis sententiae ratio, quae talis est, ut sub unam cogitationem utraque cadant. Nam circuitus verborum haec est sententia: Nulli bono regi facilis erat post Hieronem favor, nedum dissimillimo Hieronis Hieronymo. Animadvertant autem tirones, quali modo hanc sententiam ac potissimum posteriorem partem, quae gravitate praevalet, Livius illuminaverit atque amplificaverit, ita ut pulchre structa periodus existeret.

velut — vellet) *Velut* interdum ponitur pro *velut si.* V. supra ad c. 18, 14.

primo st. conspectu) i. e. quum primum conspectus eius esset seu quum primum conspiceretur. Cf. XXXV, 35 med. *elephantorum aciem conspectu ipso debellaturam.*

3 *Gelonem*) De hoc cf. XXIII, 30, 11 sq.

4 *quadrigisque alborum equorum*) Cf. V, 23 med. *Maxime conspectus ipse* (Camillus) *est, curru equis albis iuncto urbem invectus, parumque id non civile modo, sed humanum etiam, visum. Iovis Solisque equis aequiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant, triumphusque ob eam unam maxime rem clarior quam gratior fuit.*

procedentem) *Procedere* interdum dicuntur etiam, qui curru vehuntur vel navibus. V. XL, 41 post in. *Navibus inde Postumius ad visendam oram Ingaunorum — processit;* Cic. Att. XVI, 7 in. *quum a Leucopetra profectus (inde enim tra-*

5 more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum apparatum
habitumque convenientes sequebantur contemptus omnium
hominum, superbae aures, contumeliosa dicta, rari aditus
non alienis modo, sed tutoribus etiam, libidines novae, in-
6 humana crudelitas. Itaque tantus omnes terror invaserat,
ut quidam ex tutoribus aut morte voluntaria aut fuga prae-
7 verterent metum suppliciorum. Tres ex iis, quibus solis
aditus in domum familiarior erat, Andranodorus et Zoippus,
generi Hieronis, et Thraso quidam, de aliis quidem rebus
8 haud magnopere audiebantur: tendendo autem duo ad Car-

---

mittebam) stadia circiter CCC processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram.

more Dionysii tyranni) Graviter haec verba in clausula periodi posita sunt velut fastigium, ad quod per gradus sententia pervenit.

5 *habitumque*) Cf. ad XXIII, 34, 6.

convenientes) Valla coniecit: *convenientia.* Contra quem Gronovius: „Opus non est. Quum enim hoc adiectivum numero respondeat omnibus, quae sequuntur, tyrannidos notis, in genere positum est proximae i. e. *contemptus.*“ Alii interpretes contra codd. post *sequebantur* inseruerunt *mores.* Sed mores iuvenis etiam ex iis, quae praemissa a scriptore sunt, cognoscuntur; itaque h. l. iam non communiter de moribus eius agit, sed postquam prioribus exposuit, quae, superbum prodentia animum, innoxia tamen essent, iam ad ea venit, quibus Hieronymus laederet alios et violaret.

contemptus) Pluralis num. actiones illas plures spectat, quibus contemtionem hominum prae se ferebat.

superbae aures, cont. d.) Hoc Livius dicit: si qui cum eo loquerentur, superbiam fastumque ostendebat dicta eorum aversando; si quid ipse diceret, contumeliose dicebat. Eadem locutione usus est XXXIV, 5 extr. *Superbas, me dius fidius, aures habemus, si, quum domini servorum non fastidiant preces, nos rogari ab honestis feminis indignamur.*

rari aditus) Cf. III, 36 in. *iam haud dissimulando superbiam, rari aditus, colloquentibus difficiles, ad Idus Maias rem perduxere;* quanquam casus hic differt. *Aditus* hic intelligitur copia adeundi. Pluralem etiam Cicero simili modo posuit pro leg. Man. 14, 42 *faciles aditus ad eum privatorum;* Qu. fr. I, 1, 8 *facillimos esse aditus ad te;* Fam. VI, 13 med. *aditus ad eum difficiliores fuerunt.* Cf. ad XXIII, 28, 5.

l. novae) i. e. inauditae, nefandae.

6 *metum suppliciorum*) *Praevertere metum suppliciorum* est: quasi in antecessum hoc agere, ut metus suppliciorum ne verus evadere possit.

thaginienses, Thraso ad societatem Romanam, certamine ac studiis interdum in se convertebant animum adolescentis,
quum coniuratio, in tyranni caput facta, indicatur per Cal- 9
lonem quendam, aequalem Hieronymi, et iam inde a puero
in omnia familiaria iura assuetum. Index unum ex con- 10
iuratis Theodotum, a quo ipse appellatus erat, nominare potuit. Qui comprehensus extemplo traditusque Andranodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, con-
scios celabat. Postremo, quum omnibus intolerandis pa- 11
tientiae humanae cruciatibus laceraretur, victum malis se
simulans, avertit ab consciis in insontes indicium, Thraso- 12

---

tendendo — duo) V. c. 4 §. 9. 8

assuetum) Ruhnkenius maluit *assumtum;* Bauerus et 9
Walchius *ascitum*, quae coniecturae minime videntur necesse esse, atque adeo vulgata lectione deteriores. Scilicet non assumtus sive ascitus Callo puer erat, ut familiaria iura exerceret, sed assuetudine pueritiae eo pervenerat. Nec structura quicquam habet insoliti, ut ostendimus ad XXI, 33, 4.

appellatus erat) Cf. XXVI, 38 med. *Blattius — per* 10
occultos nuntios spem proditionis fecerat Marcello; sed sine adiutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus — Dasium appellabat. Et ibid. postea: *Blattius de proditione Dasium appellabat;* Nep. Att. 8, 3 *appellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut eius rei princeps esse vellet;* XXXIX, 9 med. *Mater adolescentulum appellat: Se pro aegro eo vovisse* etc.; XLV, 6 in. *Oroandemque — appellat, ut se — ad Cotym deveheret.*

de se ipse) Multi codices, neque vero qui praestantiores sunt: *de se ipso.* Recepit hoc Baumgarten-Crusius, quod oppositum sit *ipse* obiecti, non subiecti. Sed vide quae dicta sunt ad XXII, 60, 23. Subest haec cogitatio: quum ipse de se indicium faceret, tamen haud cunctanter fassus est. Licet et conferre, quod Livius pariter dicere potuit: *de suo ipse crimine haud cunctanter fassus, conscios celabat.* V. ad XXI, 33, 3.

omnibus) V. ad XXIII, 45, 2. 11

avertit ab consciis in i.) i. e. avertit ab consciis et vertit in insontes. V. ad XXIII, 26, 6; praeterea II, 5 med. *a ceteris — consulis liberi omnium in se averterant oculos;* III, 1 med. *invidiam rei a tribunis in consulem averterant;* ibid. 24 sub fin. *in comitiorum disceptationem ab lege certamen averterant;* IV, 20 in. *averteratque in se a curru dictatoris civium ora;* ibid. 52 in. *cogitationes hominum a foro — ad domum — avertit;* VI, 20 post med. *quum ab hominibus ad deos preces avertisset.* Ita saepissime. Similia sunt II, 20 in.

nem esse auctorem consilii mentitus, nec, nisi tam potenti duce confisos, rem tantam ausuros ab latere tyranni, quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitusque oc-
13 currere. Maxime animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit. Itaque extemplo traditur ad supplicium,
14 adiectique poenae ceteri iuxta insontes. Consciorum nemo,

---

in agmen suorum infenso cessit hosti; IV, 22 extr. *intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas.*

12 *Thrasonem — ausuros*) Haec in parenthesi posita esse, et verba *ab latere tyranni* referenda esse ad *insontes*, ut sententia sit, avertisse eum ab consciis indicium in insontes, qui a latere tyranni i. e. familiares, domestici, satellites essent, censet Gronovius. De locutione *ab latere tyranni* v. sq. annot. Vulgata olim lectio erat: *ausuros. Ab latere inde eos nominat tyranni, quorum* etc. Sed verba *inde eos nominat* quum in nullo cod. reperiantur, vix dubium, quin ab aliena manu adiecta sint. Negari tamen nequit propter multa inter *insontes* et *ab latere tyranni* duriorem structuram existere. Quare nescio, an potius iungenda inter se sint verba: *ausuros* et *ab latere tyranni.* Böttcherus post *ausuros* aliquid excidisse putat. — Ad *ausuros* cogitatione supplendum *fuisse*, de qua ellipsi cf. supra ad XXIII, 2, 5; Curt. X, 1 post in. *nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti aut credidissent reversurum.*

ab latere tyranni) Haec pro nomine substantivo posita sunt etiam apud Curtium III, 5 extr. *quum ad perniciem eius etiam a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis* i. e. eos, qui a latere essent. Saepe autem nomine *lateris* in personis ostenditur propinquitas. Cf. Sall. Iug. 14, 10 *hostes ab latere, vos amici procul;* Liv. XXIII, 8, 3 *abstractum a Decimi Magii latere;* XXXIX, 25 sub fin. *procul enim abesse libertatis auctores Romanos, lateri adhaerere gravem dominum;* pariter XXXIV, 41 med. Nec multum discedunt locutiones *latus* sive *latera tegere*, ut XL, 13 post in.; XLII, 65 extr.; XLV, 27 post in.; *latus cingere* ut XXXII, 39 extr.; XL, 6 in.; — *sepire* III, 37 extr.

vilissima — occurrere) i. e. quae vilissima putavit. *Occurrit aliquid* saepe idem declarat quod *in mentem venit al.* V. V, 54 in. *quotiescunque patria in mentem veniret, haec omnia occurrebant;* VI, 19 med. *Quum praeter vim et caedem nihil cuiquam occurreret;* ibid. 20 extr. *nullis occurrentibus tantae cladis causis;* XXV, 24 extr. *Atheniensium classes demersae et duo ingentes exercitus, cum duobus clarissimis ducibus deleti, occurrebant.* Cf. et XXIII, 48, 6. De forma verbi cf. ad XXI, 25, 13.

fingenti) *Fingere* absolute hic positum.

quum diu socius consilii torqueretur, aut latuit aut fugit: tantum illis in virtute ac fide Theodoti fiduciae fuit, tantumque ipsi Theodoto virium ad arcana occultanda.

VI. Ita, quod unum vinculum cum Romanis societatis 1
erat, Thrasone sublato e medio, extemplo haud dubie ad defectionem res spectabat: legatique ad Hannibalem missi, 2
ac remissi ab eo cum Hannibale, nobili adolescente, Hippocrates et Epicydes, nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exsule avo, Poeni ipsi materno genere. Per hos 3
iuncta societas Hannibali ac Syracusano tyranno; nec invito Hannibale apud tyrannum manserunt. Ap. Claudius prae- 4
tor, cuius Sicilia provincia erat, ubi ea accepit, extemplo legatos ad Hieronymum misit; qui, quum sese ad renovandam societatem, quae cum avo fuisset, venisse dicerent, per ludibrium auditi dimissique sunt ab quaerente per iocum

---

latuit) In hoc verbo interdum ea vis est, ut non solum 14
respiciatur conditio eius, qui latet, sed etiam voluntariam eam esse intelligatur. Est igitur: *sich verborgen halten*. V. Cic. Quint. 23, 34 *quis est, qui fraudationis causa latuisse dicat?* Quint. inst. or. III, 6, 25 *unde controversia videtur, — an exsulaverit, qui domi latuit;* Suet. Vesp. 4 *decessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti etiamque extrema metuenti provincia cum exercitu oblata est.* Similiter saepe *latitare* dicitur.

virium) *Vires* hic ad animi robur referuntur, quum aliis locis ea vox absolute posita ad corpus soleat referri. Cf. ad XXIII, 17, 4.

VI.

missi) Hoc participium cave pariter atque *remissi* ad 2
Hippocratem et Epicyden referas. Nam *remittere* hic non est *zurückschicken*, sed *dagegen schicken.* Neque enim Hippocrates et Epicydes a Syracusanis missi erant, sed alii duo legati Polycletus Cyrenensis et Philodemus Argivus, ut auctor est Polybius VII, 2.

ab Syr. exsule avo) Interpretes fere ita haec coniungunt: oriundi ab avo Syracusis exsule, sed verba *exsule avo* per appositionem potius sive epexegesin adduntur, ut sententia sit: Oriundi erant ab Syracusis i. e. ab avo exsule (Syracusis). Ita non tollitur oppositio vocum *nati Carthagine* et *oriundi ab Syracusis.*

Hannibali) V. ad XXIII, 43, 6. 3

ab quaerente — H.) h. e. ita dimissi, ut quaereret ex 4

5 Hieronymo, *quae fortuna eis pugnae ad Cannas fuisset: vix credibilia enim legatos Hannibalis narrare. Velle, quid veri sit, scire, ut ex eo, utram spem sequatur,*
6 *consilium capiat.* Romani, *quum serio legationes audire coepisset, redituros se ad eum* dicentes *esse*, monito magis eo quam rogato, ne fidem temere mutaret, proficiscun-
7 tur. Hieronymus legatos Carthaginem misit ad foedus ex societate cum Hannibale faciendum. Pacto convenit, ut, quum Romanos Sicilia expulissent (id autem brevi fore, si naves atque exercitum misissent), Himera amnis, qui ferme insulam dividit, finis regni Syracusani ac Punici imperii esset.
8 Aliam deinde, inflatus assentationibus eorum, qui eum non Hieronis tantum, sed Pyrrhi etiam regis, materni avi, iubebant meminisse, legationem misit, qua aequum censebat, Sicilia sibi omni cedi, Italiae imperium proprium quaeri Car-

---

iis, ut I, 9 in. *a rogitantibus dimissi* i. e. cum interrogatione, ita ut eos interrogarent. Bauer. et Rupert.

5 *quid veri sit*) De hoc dicendi genere plura allata sunt ad XXII, 40, 8.

utram) i. e. utrum eam, quam Romana societas faceret, an eam, quam Carthaginiensium.

6 *dicentes esse*) V. ad XXIII, 5, 10.

7 *foedus*) Id enim fiebat, si ad societatem cum Hannibale iunctam accederet populi Carthaginiensis auctoritas. De praepositione *ex* cf. ad XXIII, 18, 11.

id — fore) De omisso verbo, unde haec pendent, cf. ad XXII, 8, 4 et ad XXI, 16, 3.

misissent) i. e. Carthaginienses.

ferme insulam dividit) Polyb. VII, 4 ὃς μάλιστά πως δίχα διαιρεῖ τὴν ὅλην Σικελίαν. *Dividere* hic positum est, ut interdum Germani dicimus: *abtheilen*, quum aequales partes intelligimus. Cf. supra ad XXIII, 17, 10. Simili modo V, 55 extr. *dividere* dicitur de partibus ratione et ordine descriptis (*formaque urbis sit occupatae magis quam divisae similis*).

r. Syracusani ac Pun. imp.) Cf. ad XXIII, 44, 5.

8 *materni avi*) Nam Pyrrhi filiam Nereidem duxerat Gelo, Hieronymi pater. Stroth.

Sicilia s. omni cedi) Ita optimi codd., alii: *Siciliam omnem.* Saepissime Livius verbo cedendi adiunxit ablativum rei, quam quis relinquit. Laudat hic Drakenborchius: III, 45 in. *neminem esse alium, cui dominus possessione cedat;* IV, 6 extr. *ne cessisse possessione reipublicae viderentur;* XXII, 28

thaginiensi populo. Hanc levitatem ac iactationem animi 9
neque mirabantur in iuvene furioso neque arguebant, dummodo averterent eum ab Romanis.

VII. Sed omnia in eo praecipitia ad exitium fuerunt. 1
Nam quum, praemissis Hippocrate atque Epicyde cum binis milibus armatorum ad tentandas urbes, quae praesidiis tenebantur Romanis, et ipse in Leontinos cum cetero omni ex- 2
ercitu (erant autem ad quindecim milia peditum equitumque) profectus esset, liberas aedes coniurati (et omnes forte 3
militabant) imminentes viae angustae, qua descendere ad forum rex solebat, sumpserunt. Ibi quum instructi armati- 4
que ceteri transitum exspectantes starent, uni ex eis (Dinomeni fuit nomen), quia custos corporis erat, partes datae sunt, ut, quum appropinquaret ianuae rex, per causam ali-

---

extr. *se nunquam volentem parte, qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum;* XXIV, 22, 9; XXXVII, 35 in. etc. Cf. ad XXI, 1, 5.

levitatem ac iactationem a.) *Levitas* hic est eius, 9
qui nullo certo consilio aliud atque aliud cogitat et appetit, *iactatio* eius, qui nimium sibi tribuit. Utrumque in Hieronem cadebat.

VII.

ad tentandas urbes) V. supra ad c. 1, 1. 1

cetero) Cf. ad XXIII, 30, 3. 2

liberas aedes) *Liberae aedes* fere intelliguntur, quae, 3
ut ait Strothius, totae advenae seu peregrini alicuius arbitrio permissae sunt. In eam sententiam accipienda vox, ubi Livius legatis aedes liberas decretas esse tradit. V. XXX, 17 extr.; XXXV, 23 extr.; XLII, 6 extr. Hic dicuntur vacuae, nulli habitatae ideoque ad usum coniuratorum patentes.

et — militabant) De hac parenthesi cf. supra ad XXIII, 1, 6. In priore parenthesi scriptor posuit *autem.* Scilicet ibi quod interpositione adiunxit, id nullius ad rem ipsam, quam enarrat, momenti tantum ut cognitu utile adiicitur.

sumpserunt) Heusingerus hoc ad conductionem refert. Ita Cic. Off. III, 23, 89 *Quoad enim perventum sit eo, quo sumta navis est, non domini est navis, sed navigantium;* quemadmodum Germani quoque nonnunquam minus definite loquentes ponimus *nehmen.* Sed nescio an h. l. *sumere* nihil sit aliud nisi sui usus facere, ita ut non spectetur, quo id factum sit modo.

uni ex eis) Cf. infra ad c. 28, 1. 4

5 quam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita, ut con-
venerat, factum est. Tanquam laxaret elatum pedem ab
stricto nodo, moratus turbam Dinomenes, tantum intervalli
fecit, ut, quum in praetereuntem sine armatis regem im-
petus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus, quam
6 succurri posset. Clamore et tumultu audito, in Dinomenem,
iam haud dubie obstantem, tela coniiciuntur, inter quae
7 tamen, duobus acceptis vulneribus, evasit. Fuga satellitum,
ut iacentem videre regem, facta est. Interfectores pars in
forum, in multitudinem laetam libertate, pars Syracusas per-
gunt ad praeoccupanda Andranodori regiorumque aliorum
8 consilia. Incerto rerum statu, Ap. Claudius, bellum oriens
ex propinquo quum cerneret, senatum literis certiorem fecit,
9 Siciliam Carthaginiensi populo et Hannibali conciliari, ipse

---

sustineret) Cf. II, 19 in. *sustineri ira non potuit, quin extemplo confligerent;* V, 39 in. *Aliud priori simile miraculum eos sustinuit;* X, 43 sub fin. *clamor eos utrimque par accidens sustinuit;* XXV, 36 in. *nunc agendo nunc sustinendo agmen quum aliquamdiu haud multum procederetur.*

ab tergo agmen) V. ad XXIII, 15, 7.

5 *ab stricto nodo*) i. e. a vinculo artiore, quo caliga vel calceus ad pedem alligatus erat. *Strictus* enim nodus dicitur, qui arcte iunctus est.

vulneribus) V. infra ad c. 34, 9.

6 *inter quae tamen*) De praepositione v. ad XXIII, 49, 6. *Tamen* pronomini relativo Livius saepe subiunxit. V. II, 29 med. *consulum intercursu rixa sedata est: in qua tamen — plus clamoris atque irarum quam iniuriae fuerat;* III, 42 sub fin. *fide misericordiaque victurus hospitum, quae tamen non fefellerunt;* IV, 49 ante med. *Huic bellum adversus Aequos permissum est, pravae mentis homini, quam tamen victoria magis quam bellum ostendit;* XXXIV, 33 sub fin.; XLV, 23 med.; ibid. 38 med.

7 *Interfectores pars — pars*) Duo deteriores codd.: *interfectorum.* Sed cf. ad XXIII, 24, 9.

in multitudinem) Sic optimi codd., nec videtur a re alienum esse, statuere, interfectores immiscuisse se multitudini excitaturos eam et praesidium petituros. Ceteri editores praeter Boettcherum: *ad multitudinem.*

ad praeoccupanda — cons.) Cf. XXXIII, 32 extr. *unum gaudium praeoccupaverat omnium aliarum sensum voluptatum;* Nep. Dio 4 *ne, quum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet.*

8 *Carthaginiensi p. et Hannibali*) V. ad XXIII, 33, 11.

adversus Syracusana consilia ad provinciae regnique fines omnia convertit praesidia.

Exitu anni eius Q. Fabius ex auctoritate senatus Pu- 10
teolos, per bellum coeptum frequentari emporium, communiit
praesidiumque imposuit. Inde Romam comitiorum causa ve- 11
niens, in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit atque ex itinere praeter urbem in campum descendit. Eo die quum sors praerogativae Aniensi iuniorum ex- 12

---

ad provinciae r. f.) Codd. omnes sine idonea sententia: *adversus Syracusana consilia, provinciam regnique fines omnia convertit praesidia.* Altera lectio coniectura est Pighii, quam, quum in vulgatam abire facile potuerit, recipiendam cum aliis nonnullis editoribus putavimus. *Provincia* dicitur ea Siciliae pars, quae Romanae ditionis erat. Ad eius igitur regnique Syracusani confinia Appius omnes vires convertit, ut ad rem gerendam praesto esset. 9

ex auctoritate senatus) *Auctoritas senatus* proprie cernebatur in eo, quod decretum ab senatu erat neque tamen pro senatusconsulto habebatur, quod aut legitimus senatorum numerus non adfuisset, aut senatus alieno loco vel tempore vel non legitimo edicto habitus esset aut tribuni plebis intercessissent. Nam impedito, ut ait Dio (l. LV, p. 550) senatusconsulto exstare tamen senatus voluit sententiam suam. Neque tamen semper ea locutionis vis est, sed saepe latius patet senatus auctoritas, ut communiter senatus intelligatur voluntas sive iussum, atque etiam quod senatusconsultum fuit, auctoritas senatus dicatur. Atque id videntur hoc loco ea verba declarare. Cf. XXII, 23 med. 10

per bellum c. fr.) i. e. in bello causa fuit, cur id emporium frequentaretur. Plura de ea vi praepositionis *per* v. ad XXII, 33, 7.

veniens) V. ad XXIII, 34, 10. 11

in eum, quem pr. d. com. habuit) „non interiecto trinundino, quod alioqui inter edictum et comitia intercedebat.“ Duker. Macrobius Saturn. I, 16 *comitiales* (dies sunt), *quibus cum populo agi licet;* Varr. l. l. p. 50 *Comitiales* (dies) *dicti, quod tum esset populus constitutus ad suffragium ferendum, nisi si quae feriae conceptae essent, propter quas non liceret, ut Compitalia et Latinae. Contrarii horum vocantur dies nefasti.* — De attractionis genere cf. ad XXI, 29, 6. Efficitur autem eo, ut maiore vinculo coniungatur enuntiatum relativum cum primario. Ita enim verba *eum, quem — habuit* videntur unam notionem efficere.

ex itinere) Cf. quae allata sunt ad XXII, 61, 8. *Campus* ut saepissime *Campus Martius* dicitur. V. ad XXII, 36, 8; infra c. 9, 2.

isset, eaque T. Otacilium, M. Aemilium Regillum consules diceret, tum Q. Fabius, silentio facto, tali oratione est usus:

1 VIII. *Si aut pacem in Italia aut bellum eumque*

---

12 *sors praer. — exisset*) „Sortiebantur enim ante suffragium ferendum centuriae" (adde: primae classis) „cuius sors primum exisset, *ea primum rogabatur* suffragium ab eo, qui comitia habebat; hinc *praerogativa* dicta. — Dimidiam partem centuriarum cuiusvis classis *seniorum*, dimidiam *iuniorum* fuisse, scimus ex l. I, c. 43". Stroth. Tenendum est autem, eo tempore, de quo hic Livius loquitur, in suffragii latione centurias secutas esse descriptionem tribuum. Quum autem quinque classes essent, prima classis ex singulis tribubus, quarum universarum numerus erat triginta quinque, binas habebat centurias, seniorum alteram, alteram iuniorum. Itaque primae classis, quae suffragii ferendi initium faciebat, ideoque sola de praerogativa sortiebatur, duae centuriae, c. iuniorum et c. seniorum, in Aniensi quoque tribu erant. Harum altera sorte exierat, i. e. centuria iuniorum Aniensis tribus. Vides igitur, *Aniensem iuniorum* esse centuriam iuniorum primae classis ex tribu Aniensi.

exisset) i. e. urna sive sitella, quae tamen vox saepius omittitur. Cf. XLV, 15 med. *Esquilinae sors exiit;* Val. Max. VI, 3, 4 *coniectis in sortem omnibus tribubus, Polliae, quae prima exierat, primum nomen urna extractum citari iussit consul;* Cic. Att. I, 19, 3 *quum de consularibus mea prima sors exisset.*

diceret) Nondum peracta res erat, quum Fabius eam interrupit; quare imperfectum Livius posuit. Fuit autem teste Cicerone tanta praerogativae centuriae auctoritas, ut nemo eam unquam tulerit, quin renuntiatus sit.

VIII.

1 *bellum eumque h.*) Haec verba ex optimis codd. restituit Gronovius, in quibus legitur: *bellum cumque hostem.* Inde natum est quod in aliis est: *bellum cumque hoste* vel *bellum cum quo hoste* vel quod vulgo libri typis descripti habent: *bellum cum eo hoste.* Sed quemadmodum *cum* non raro locum habet, ubi *que* poteras exspectare (cf. ad XXI, 60, 7), ita contra quum hendiadys ponitur (v. ad XXI, 63, 1) *que* in eandem fere sententiam potest accipi atque *cum*. Est: *und dabei.* — Vide autem, quomodo Livius, ut a bene composita periodo graviter ordientem faceret Fabium, explicaverit atque illustraverit hanc sententiam: Rebus facilioribus obstare suffragiis, insolentiae est. Nam primum quae sententia est in *rebus facilioribus* vel alia simili locutione, eam ut amplificaret et ad sequentia animos magis intenderet, expressit enuntiatione conditionali, quam partibus insigniorem reddidit per *aut — aut* et adiuncta enuntiatione relativa; deinde quod per infinitivum aliquem

hostem haberemus, in quo negligentiae laxior locus esset, qui vestris studiis, quae in campum ad mandandos, quibus velitis, honores affertis, moram ullam offerret, is mihi parum meminisse videretur vestrae libertatis.
Sed quum in hoc bello, in hoc hoste, nunquam ab ullo 2
duce sine ingenti nostra clade erratum sit, eadem vos cura, qua in aciem armati descenditis, inire suffragium ad creandos consules decet, et sibi sic quemque dicere: Hannibali imperatori parem consulem nomino. *Hoc anno* 3

---

ut *obstare* etc., dicere potuit, id illustravit fortiusque ostendit verbis: *qui — moram ullam offerret*, pro *suffragiis* autem ampliore et ad animos audientium magis idonea oratione usus posuit: *vestra studia, quae — affertis.* Denique in quo reprehensio cernitur insolenter agentis; id quum summam sententiae vim habeat, et bene in clausula posuit et ita illuminavit oratione, ut ad ipsos audientes res maxime referretur, dicendo: *parum meminisse videretur vestrae libertatis.* Pariter in sequenti periodo, quae huic opponitur et potest etiam cum hac in unum coniungi, simili verborum ambitu ad ea verba venit, in quibus summa rei vertitur: *Hannibali imperatori parem consulem nomino.*

moram ullam) Cf. ad XXIII, 27, 12.

offerret) Nonnulli deteriores codd.: *afferret*, quod et auribus minus gratum est, quum modo praecesserit: *affertis*, et minorem vim habet. Nam *afferre alicui aliquid* nihil aliud est nisi ferre ad aliquem sive versus aliquem aliquid; *offerre alicui aliquid* est alicui obviam ferre aliquid *(vor ihn hin)*, ut non possit non id respicere eiusque rationem habere.

in hoc b., in hoc h.) *Hic* pronomen, quum res quasi 2
oculis subiiciat, aptissimum anaphorae esse, patet. Hinc tali modo saepissime Livius id repetiit, v. c. I, 32 med. *Haec, quum fines suprascandit, haec quicunque ei primus vir obvius fuerit, haec, portam ingrediens, haec forum ingressus — peragit;* III, 72 med. *Hoc legatos referre domum, hoc vulgari, hoc socios audire, hoc hostes;* IX, 11 med. *hoc fide, hoc foederibus, hoc fecialibus ceremoniis dignum erat;* ibid. 9 extr. *In haec saeviant, in haec ferrum, in haec iras acuant;* ibid. 34 in. *haec* septies positum.

sibi sic quemque d.) Bene Livius *quemque* non subiecit pronomini reflexivo, ne hoc loco pro enclitica voce habeatur. Cf. quae allata sunt ad XXI, 48, 2.

Hoc anno etc.) Oratio ita procedit: Nam quod aliis 3
locis observamus, id etiam hac in re observandum est eoque magis, quod non desunt, quae ex comparatione Hannibalis nostris imperatoribus vel optimis videantur obstare.

ad Capuam Iubellio Taureae Campano summo equiti provocanti summus Romanus eques Asellus Claudius est
4 *oppositus. Adversus Gallum, quondam provocantem in ponte Anienis, T. Manlium, fidentem et animo et viri-*
5 *bus, misere maiores nostri. Ob eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Valerio non diffideretur, adversus similiter provocantem*
6 *arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodum pedites equitesque optamus ut validiores, si minus, ut pares hosti habeamus, ita duci hostium parem impera-*
7 *torem quaeramus. Quum, qui est summus in civitate dux, eum legerimus, tamen repente lectus, in annum*

---

provocanti) De re cf. XXIII, 46 et 47, de verbo *provocandi* ad XXIII, 16, 4.

5 *Ob eandem causam*) *Ob* nonnulli editores tollendum censuerunt. Et poterat sane omitti praepositio. Sed quum codd. omnes eam servent, haec videtur sententia esse: Quia Valerius pariter atque Manlius et animo et viribus excellebat, fuit, cur ei non diffideretur etc. Cf. de re Liv. VII, 26. — Ceterum collocatio verborum ea est, qua Ciceronem semper uti, observatum a viris doctis est. Apud Livium et haec e altera, qua interponitur *ob*, invenitur. V. XXXIII, 11 extr. *Ob eas causas;* XLI, 24 in. *ob quam causam;* XXIV, 40, 4 et XLII, 24 med. et XLV, 25 med. *ob nullam aliam causam;* XLIV, 22 in. *ob aliam causam;* XLII, 63 in. *non ob aliam causam.* Contra XXXIII, 27 extr. *nullam aliam ob causam;* XXXVIII, 28 med. *quam ob causam;* ibid. 41 extr. *nullam ob aliam causam;* XLII, 40 extr. *quam ob causam.* Patet autem, in eiusmodi locis vim sententiae in iis verbis esse, quae praepositioni praemittantur.

ad certamen) Haec verba alii retulerunt ad *provocantem*, alii ad voces *arma capienti.* Et hoc quidem probabilius videri potest, quod propiora sunt verba *arma capienti*, et quod antea quoque (§. 3 et §. 4) *provocare* absolute Livius posuit. Sed si collocationem verborum accurate spectaveris, videbis, ob eam ipsam causam *Gallum* a scriptore non esse positum post *provocantem*, sed post arma *capienti*, ut pateret, coniungenda inter se esse verba: *adversus similiter provocantem — Gallum ad certamen.*

7 *repente lectus*) i. e. repente in eo loco constitutus, ut, quamvis egregius sit, non tamen aeque ac qui iam diu imperium tenuit, omnia, quae ad rempublicam bene gerendam conferre imperator possit, noverit.

in annum) i. e. in unum annum, ut plenius Livius dixit

creatus, adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque temporis neque iuris inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat administretque, ut tempora postulabunt belli. Nobis autem in apparatu ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circum- 8

III, 40 extr. Sed saepe annus ad designandum unius anni tempus dicitur. V. IX, 34 in. *decemvir in annum creatus, altero anno se ipse creavit;* VI, 4 med. *intraque annum nova urbs stetit;* II, 7 post in. *matronae annum ut parentem eum luxerunt;* III, 39 extr. *qui anno iam prope senatum non habuerint.* Locutio autem *in annum* aliis locis fere significat: in eum annum, qui instat sive in insequentem annum. Cf. IV, 25 med. *prolatae in annum res;* ibid. 55 sub fin. *neve quis reficeretur in annum tribunus plebis;* XXVII, 4 in. *ne in annum consules deessent;* XLIV, 17 in. *in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent.* Hinc Horat. Ep. I, 11, 23 dixit: *neu dulcia differ in annum.*

perpetuum imperatorem) *Perpetuum* saepe ponitur in potestatibus non circumscriptis certo temporis spatio. V. III, 19 post in. *cuius ordinis languore perpetui iam tribuni plebis — lingua criminibusque regnarent;* ibid. 57 in. *ubi decemvir ille perpetuus — virginem ingenuam — dono dederit;* VI, 40 ante med. *L. illum Sextium et C. Licinium, perpetuos (si diis placet) tribunos, tantum licentiae novem annis, quibus regnant, sumsisse;* ibid. 41 in. *omitto Licinium Sextiumque, quorum annos in perpetua potestate, tanquam regum in Capitolio, numeratis;* XXXIII, 46 in.; XXXVIII, 56 extr.

comparabitur) Vox *comparandi* hic, ut Doeringius vidit, translata est e ludo gladiatorio, ubi gladiatorum, qui componebantur, paria *comparari* dicebantur. Cf. XXX, 28 sub fin. *erexerant omnium animos Scipio et Hannibal velut ad supremum certamen comparati duces;* X, 15 extr. *Ita L. Volumnius de plebe cum Ap. Claudio consul est factus, priore item consulatu inter se comparati;* XL, 46 in. *ambo quum simul aspicimus, non possumus non vereri, ne male comparati sitis;* XXVIII, 40 extr. Cicero quoque in eam sententiam non semel *comparare cum al.* dixit, ut Quint. I, 2; Qu. fr. III, 4, 1.

gerat administretque) Nam alia ipse sustinet et exsequitur imperator, aliis praeest curatque exsequenda.

8 *Nobis*) Quum modo de Hannibale dixerit, mirum videri non potest, quod iam primae personae num. pluralis non, ut ante (*legerimus*) Romanos universos, sed duces sive consules subiicit.

in apparatu ipso) i. e. in solo apparatu. V. supra ad XXIII, 12, 15.

inchoantibus res) *Inchoare* quum Romani dicunt, imperfectum aliquid cogitant. V. ad XXI, 26, 8.

9 *agitur. Quoniam, quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum, restat, ut pauca de eis, in quos*
10 *praerogativae favor inclinavit, dicam. M. Aemilius Regillus flamen est Quirinalis, quem neque mittere ab sacris neque retinere possumus, ut non deum aut belli*
11 *deseramus curam. Otacilius sororis meae filiam uxorem atque ex ea liberos habet; ceterum non ea vestra in me maioresque meos merita sunt, ut non potiorem privatis*
12 *necessitudinibus rempublicam habeam. Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest: ubi saeva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento*
13 *navis, tum viro et gubernatore opus est. Non tranquillo navigamus, sed iam aliquot procellis submersi*

---

10 *flamen Quirinalis*) Flaminum primi erant tres: Dialis, Martialis, Quirinalis, qui Iovis, Martis, Quirini sacra facerent. V. Liv. I, 20. Hi nonnunquam vetiti sunt a pontifice maximo urbe exire, ne sacrorum curam omitterent. Cf. Liv. epit. 19; l. XXXVII, 51. Et flaminem Dialem noctem unam manere extra urbem nefas esse, diserte traditum legimus V, 52 extr.

deum) De hac forma cf. ad XXI, 4, 9.

11 *privatis necessitudinibus*) V. ad XXIII, 3, 4.

12 *Quilibet nautarum*) Sententiarum nexus et summa in his cernitur: Atqui non potiorem privatis necessitudinibus remp. haberem, si Otacilii electionem non impedirem. Nam talis est huius temporis conditio, ut non quilibet possit ad reipublicae gubernacula sedere, sed tantum optimus quisque imperator, qualem Otacilius se non praestitit. — Ceterum proverbium quoddam spectare Livius videtur. Cf. Senec. ep. 85 sub fin. *tranquillo enim, ut aiunt, quilibet gubernator est.*

viro) *Vir* hic ut saepissime cum emphasi pro viro forti dicitur. V. I, 42 in. *Tuum est, inquit, Servi, si vir es, regnum;* ibid. 58 extr. *qui mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium;* II, 38 extr. *Bellum vobis indictum est magno eorum malo, qui indixere, si viri estis;* III, 50 sub fin. *et viros et armatos se esse respondetur;* ibid. 67 in. et extr.; XXV, 18 sub fin. multisque aliis locis.

13 *tranquillo*) *Tranquillum* Livius non semel substantive posuit. Cf. ad XXI, 33, 7; III, 40 sub fin. *republica in tranquillum redacta;* IV, 43 in. *in urbe ex tranquillo necopinata moles discordiarum — exorta est.* H. l. *tranquillo* ablativus est absolutus, quo pariter usus est Livius XXVI, 51 ante med. *Remigium classicique milites, tranquillo in altum evecti;* XXXI, 23 in. *tranquillo pervectus Chalcidem.*

paene sumus. Itaque, quis ad gubernacula sedeat, summa cura providendum ac praecavendum vobis est. In minore te experti, T. Otacili, re sumus: haud sane, cur ad maiora tibi fidamus, documenti quicquam dedisti.
Classem hoc anno, cui tu praefuisti, trium rerum causa 14
paravimus: ut Africae oram popularetur; ut tuta nobis Italiae litora essent; ante omnia ne supplementum cum stipendio commeatuque ab Carthagine Hannibali transportaretur. Create consulem T. Otacilium, non 15
dico, si omnia haec, sed si aliquid eorum reipublicae praestitit. Sin autem, te classem obtinente, etiam, velut pacato mari, quaelibet Hannibali tuta atque integra

---

submersi paene sumus) V. supra ad c. 1, 10.

providendum ac praecavendum) Cf. ad XXIII, 43, 7.

haud sane) *Haud sane* est aliquid fidenter negantis, sed fere per λιτότητα. Cf. ad XXI, 2, 4; infra c. 37, 2.

ad maiora) i. e. si maiora spectamus. De hac praepositionis vi cf. ad XXI, 57, 6.

15 *non dico*) V. Weissenb. §. 190 n. 4.

si aliquid) „Livius tamen XXIII, 41 eum agrum Carthaginiensium depopulatum et e classe Punica septem naves cum sociis navalibus cepisse scribit. Fabius oratorie videtur elevare res eius gestas.“ Duker. — De *aliquo* post *si* posito cf. Z. §. 710; Weiss. §. 223 n. 6; Sch. p. 543. Opponitur, ut h. l., *omnia* etiam XXXIX, 15 in. *si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiae dem; si omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor*; praeterea cf. XLII, 24 extr.; ibid. 37 in.; XXVI, 49 ante med.

etiam, velut p. m.) *Etiam*, quod ab uno tantum deteriore codice abest, Crevierius delere voluit. Sed videtur sententia haec esse: Non solum venerunt Hannibali stipendium, commeatus et quae sunt eius generis, sed etiam velut pacato mari tuta atque integra venerunt. Drakenborchius contra *etiam* refert ad *quaelibet*.

quaelibet Hannibali — venerunt) Quum in optimis libris pro *quaelibet* sit: *quibus*, fortasse praeferenda est duorum deteriorum scriptura: *quaevis*. De structura *Hannibali — venerunt* cf. I, 7 in. *Priori Remo augurium venisse fertur*; III, 56 med. *superbiae crudelitatique, etsi seras, non leves tamen venire poenas*; VII, 29 in. *Belli autem causa cum Samnitibus Romanis — extrinsecus venit*; IX, 33 in. *Novus exercitus domo accitus Etruscis venit*; XXIV, 14, 5 *tempus venisse eis libertatis*; XXIX, 12 in. etc.

16 *ab domo venerunt; si ora Italiae infestior hoc anno quam Africae fuit, quid dicere potes, cur te potissimum*
17 *ducem Hannibali hosti opponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo maiorum nostrorum censeremus: nec tu id indignari posses, aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi quam te. Magis nullius interest quam tua, T. Otacili, non imponi cervicibus*
18 *tuis onus, sub quo concidas. Ego magnopere suadeo, eodem animo, quo, si stantibus vobis in aciem armatis*

---

16 *infestior*) Cf. I, 47 in. *in dies infestior Tullii senectus, infestius coepit regnum esse*; VI, 5 in. *multo eum infestiorem agrum ab nobilitate esse, quam a Volscis fuerit*; X, 46 post med. *quia regio ea infesta ab Samnitibus erat*; VII, 25 in. *Mare infestum classibus Graecorum erat*; X, 21 sub fin.

quid d. p., cur) Similia v. ad XXI, 43, 12.

opponant?) Duo optimi codd.: *oppugnabant*. Salmasius coniecit: *opponamus*, quod probarunt Gronovius et Bekkerus. Sane potest aliquis mirari, quod Livius hoc loco tertia persona num. pluralis usus est, quum ceteris primam posuerit; neque tamen hoc tanti esse crediderim, ut recipienda sit illa coniectura ab illorum quoque librorum lectione longius distans. Nam potest urbanitatem quandam dicentis in hoc Livius spectavisse, quod eum ipsam electionem ad ceteros tantum Quirites referentem facit. Otto retinendum censet verbum *oppugnandi* scribendumque: *cur te potissimum duce Hannibalem ducem oppugnemus*. Oppugnari saepe homines dicuntur. V. quae exempla Otto attulit: XXXVI, 7 post in. *quum, quibus adversus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam ut ipsi oppugnentur*; XXXV, 38 med. *quo suo dicto factove socii atque amici ad se oppugnandos venirent*. Adde XLIV, 24 in. *Eumene adiuvante — Antiochum oppugnatum;* supra XXIII, 28, 9. Cf. et ad XXIII, 30, 2.

17 *id indignari*) Cf. I, 35 in. *quod quisquam indignari mirarive posset;* VI, 40 med. *quod indignaris;* XL, 11 med. *Haec si indignor;* II, 31 extr. *suam vicem indignantem magistratu abisse;* XXXI, 31 sub fin. *quis id durius quam pro merito ipsorum statutum indignari posset?* XL, 23 in. *assentando indignandoque et ipse vicem eius.*

cervicibus) De huius vocis in numero et singulari et plurali positae usu Liviano v. ad XXII, 51, 7.

18 *Ego m. suadeo*) Iam in extrema oratione graviter monens, quo *sua* potissimum sententia spectet, incipit ab *ego*. V. supra ad XXIII, 13, 5.

quo, si etc.) Cf. XXII, 22, 18 *cetera omnia — acta per eundem ordinem, quo, si Carthaginiensium nomine sic ageretur*. V. ibi.

repente deligendi duo imperatores essent, quorum ductu atque auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis: quibus sacramento liberi vestri dicant, ad quorum edi- 19
ctum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent. Lacus Trasimenus et Cannae tristia ad recordationem 20
exempla, sed ad praecavendos similes duces documento sunt. Praeco, Aniensem iuniorum in suffragium revoca.

---

stantibus v. in aciem) Ita etiam VI, 39 med. *Nonum se annum iam velut in aciem — stare.* Cf. supra ad XXIII, 12, 15; praeterea ibid. ad 23, 9.

quibus sacramento l. v. dicant) Frequens formula 19
in iis, qui militiae sacramento obligantur, est: *sacramento dicere.* V. Liv. II, 24 extr. *concursus in forum, ut sacramento dicerent, fieri;* IV, 53 in. *quum — auxilio tribuni nemo invitus sacramento diceret;* ibid. med. *metu ceteri sacramento dixere;* XXV, 5 extr.; XLI, 5 extr. Nec minus frequens de eo, qui sacramento obligat, formula est *sacramento rogare.* V. XXXII, 26 med. *obvios in agris sacramento rogatos arma capere et sequi cogebat;* XXXV, 2 extr.; XL, 26 extr. Ablativus ex eo genere videtur esse, de quo disputavere Weiss. §. 274 n. 2; Sch. p. 430. Quanquam nonnulli pro dativo habent.

ad — edictum) Cf. ad XXIII, 25, 3.

ad praecavendos similes duces doc. sunt) Pleri- 20
que recentioris aetatis editores praeeunte Drakenborchio posuerunt: *sed ad praecavendum simile utili documento sunt*, quod non unam ob causam parum probabile est. Nam duorum optimorum codd. lectio haec est: *set ad praecavenda similes utiles documento sunt.* Neque alii libri receptam a Drakenborchio lectionem praebent, sed plerique: *ad praecavendum simile utiles documento sunt*, duo tantum: *ad praecavendum simile utile documento sunt*, quod proxime ad vulgatam l. accedit. Sed praeter codicum optimorum dissensum hoc quoque obstat, quod Livius locutioni *documento esse* nusquam adiectivum addidit (cf. III, 56 extr.; IV, 31 in.; V, 51 extr.; VI, 25 in.; VII, 6 extr.; X, 38 extr.; XXVIII, 42 in.; ibid. sub fin.; XLV, 44 sub fin.); deinde *simile*, si pro substantivo habeas, hoc loco durissime dicitur; si suppleas *exemplum*, in hoc quoque displicet et numerus singularis et ipsa locutio, quum de cavendo exemplo non agatur. Gronovius, quem Bekkerus secutus est, posuit: *sed ad praecavendos similes duces documento sunt.* Praeferendum credo, quod etiam minus videtur distare ab optimorum librorum scriptura et ad sententiam convenientius est: *ad praecavendas similes clades documento sunt.* Nam lacus Trasimenus et Cannae quum memorantur, non duces intelliguntur, sed clades, et aptius Fabius videtur significare quam diserte dicere, similem Flaminii et Varronis ducem esse Otacilium.

1 IX. Quum T. Otacilius ferociter, eum continuare consulatum velle, vociferaretur atque obstreperet, lictores ad
2 eum accedere consul iussit, et, quia in urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit, cum
3 securibus sibi fasces praeferri. Iterum praerogativa suffragium init; creatique in ea consules Q. Fabius Maximus quartum, M. Marcellus tertium. Eosdem consules ceterae cen-
4 turiae sine variatione ulla dixerunt. Et praetor unus refectus Q. Fulvius Flaccus: novi alii creati, T. Otacilius Crassus iterum, Q. Fabius consulis filius, qui tum ae-

---

Praeco — revoca) „Nam praecones apparebant comitia habentibus, qui tribus ad suffragia ineunda citarent et creatos magistratus renuntiarent.“ Gronov. Non praetermittendum autem, quam graviter eorum, quae ante dicta sunt, sententia in unum coniungatur hoc imperio, ut VIII, 32 med. *Accede, lictor.*

revoca) De hac *revocandi* vi dictum ad XXII, 55, 8.

IX.

1 *continuare magistratum*) i. e. consulatum etiam in insequentem annum retinere.

l. ad eum accedere) *Accedere* iubentur lictores poenam sumturi. Cf. quod exemplum modo posuimus VIII, 32 med.; III, 41 in. *Et ad Valerium negantem se privato reticere, lictorem accedere iussit;* I, 26 med.

2 *in u. non inierat*) *In*, quod Livius alias non solet in hac locutione addere (cf. v. c. III, 24 sub fin.; VII, 11 extr.; ibid. 13 extr.; XXVI, 21 in.; XXXVIII, 50 in.; XLV, 38 in.) hoc quidem loco propter oppositionem eam, quae subest cogitationi, ut extra urbem mansisse intelligatur, consulto videtur positum esse.

cum securibus s. f. praeferri) Vis sententiae est in verbis: *cum securibus.* „Minatur, se in eum animadversurum, quod secures sibi praeferantur, quas nisi extra urbem consul non praeferebat.“ Sigon.

3 *sine variatione*) *Variatio* est ἅπαξ εἰρημένον, qualia plurima leguntur apud Livium. V. infra ad c. 16, 3. — Veterem autem illam legem, cuius mentionem facit Livius VII, 42 in., ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, non hoc solum loco, sed etiam saepe alias videmus neglectam esse. Cf. IX, 41 in.; X, 13; XXVII, 6.

4 *novi alii creati*) Opponuntur inter se *refectus* et *novi — creati. Alii* quid valeat v. ad XXIII, 37, 13. *Tres*, quod vulgo ante hanc vocem inseritur, ab optimis et plerisque libris mss. abest.

dilis curulis erat, P. Cornelius Lentulus. Comitiis praeto- 5
rum perfectis, senatusconsultum factum, *ut Q. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset, isque potissimum, consulibus ad bellum profectis, urbi praeesset.* Aquae 6
magnae bis eo anno fuerunt, Tiberisque agros inundavit cum magna strage tectorum, pecorumque et hominum pernicie.

Quinto anno secundi Punici belli Q. Fabius Maximus 7
quartum, M. Claudius Marcellus tertium consulatum ineun- U. C. 538.
tes, plus solito converterant in se civitatis animos. Multis a. C. 214.
enim annis tale consulum par non fuerat. Referebant senes, 8
sic Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum, sic postea Papirium Carviliumque adversus Samnites Bruttiosque et Lucanum cum Tarentino populum consules declaratos. Absens Marcellus consul creatus, quum ad exercitum 9

---

extra ordinem) i. e. non, quod fere fieri solebat, sor- 5
tito. Erat autem praetura urbana iuris potestate amplior et honoratior ceteris, ut mirum non sit, extra ordinem ei destinatum Q. Fulvium, qui et eandem praeturam modo gessisset et bis consul fuisset et censor.

urbana provincia) Immerito hanc locutionem Iacobo Gronovio offensioni fuisse, Dukerus aliique ostenderunt. V. XXV, 3 in. *Et praetores provincias sortiti sunt: P. Cornelius Sulla urbanam et peregrinam, quae duorum ante sors fuerat;* XXXV, 21 in. *quibus, ut ius dicerent Romae, provincia erat;* XXXVIII, 42 in. *quas provincias praetoribus esse placeret, retulit ad senatum consul. Decreverunt duas Romae iuris dicundi causa;* XXXIX, 45 med.; XL, 44 med.; XLIII, 11 med.

Aquae magnae) Similiter Livius aliique non raro lo- 6
quuntur. V. XXX, 26 post in. *Annus insignis — aquarum magnitudine;* ibid. 38 extr. *aquarum insolita magnitudo in religionem versa;* XXXVIII, 28 in. *Aquae ingentes eo anno fuerunt; Tiberis duodecies campum Martium planaque urbis inundavit. Inundare* quam structuram habeat, dictum ad XXII, 2, 2.

Maximum Rullum) Cf. Liv. X, 21 sq. 8

Papirium Carviliumque) L. Papirius Cursor II, Sp. Carvilius Maximus II consules fuerunt anno urbis 480 (alii tradunt: 482), atque ambo in magistratu de his populis triumpharunt. Sigon.

ad exercitum esset) Cf. cap. sq. §. 3; III, 29 in. 9
iussusque ad exercitum manet; VI, 9 in. *relicto ad exercitum collega;* XXIX, 20 sub fin. *ut ad exercitum Scipio maneret.* V. ad XXI, 46, 6.

esset; praesenti Fabio, atque ipso comitia habente, consu-
10 latus continuatus. Tempus ac necessitas belli ac discrimen
summae rerum faciebant, ne quis aut in exemplum exqui-
reret aut suspectum cupiditatis imperii consulem haberet.
11 Quin laudabant potius magnitudinem animi, quod, quum
summo imperatore esse opus reipublicae sciret, seque eum
haud dubie esse, minoris invidiam suam, si qua ex re ori-
retur, quam utilitatem reipublicae fecisset.

1 X. Quo die magistratum inierunt consules, senatus
2 in Capitolio est habitus; decretumque omnium primum, ut
consules sortirentur compararentve inter se, uter censori-
bus creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum pro-
3 ficisceretur. Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad

---

10 *Tempus ac nec. b. ac discr. s. r.*) *Tempus:* nam in tantis temporum angustiis neque curabant homines, quid legitimum esset, et qui consulatum appetebat, non videbatur id imperii cupiditate facere; *necessitas belli:* nam bellum tale erat, ut necesse videretur, eum, qui optimus esset imperator, et quaeri et offerre se; *discrimen summae rerum:* nam quum respublica in summo periculo versaretur, hoc omnibus videbatur propositum, ut, omisso aliarum rerum respectu, illud periculum declinarent.

in exemplum exquireret) *In exemplum exquirere* est ita exquirere, ut spectetur exemplum, i. e., ut spectetur, utrum recti an mali exempli aliqua res (h. l. ut continuetur consulatus atque ei ipsi, qui comitia habeat) sit.

suspectum cupiditatis) *Suspectum* non alio Livii loco cum genitivo iunctum reperias. Tacitus bis ita dixit: Ann. III, 29 *suspectumque iam nimiae spei Seianum ultra extulisse* (videbantur); ibid. 60 *suspecti capitalium criminum.* Pariter Curt. VIII, 5 extr. *In Callisthenem olim contumaciae suspectum pervicacioris irae fuit.*

11 *ex re*) i. e. ex ea re. Neque tamen videtur opus esse, ut cum Dukero scribatur *ea re* vel *ex ea re.* Nam *res* saepe ponitur in eo, de quo sermo est. Cf. infra c. 23, 9; praef. post in.; X, 8 extr.; XXVIII, 21 med.

X.

2 *compararentve*) i. e. pactione inter se convenirent. Ita plurimis locis dixit Livius. V. v. c. III, 41 extr.; VIII, 6 extr.; XXV, 41 extr.; XXVI, 8 post med.; XL, 47 in. Saepe ut h. l. opponitur sortitio. Cf. XXVIII, 45 med.; XXIX, 20 extr.; XXX, 1 in.; XXXII, 8 in.; XXXIII, 43 in.; XXXVII, 1 post med.

exercitus erant, iussique in provinciis manere, Ti. Gracchus
Luceriae, ubi cum volonum exercitu erat, C. Terentius
Varro in agro Piceno, M'. Pomponius in Gallico. Et prae- 4
tores prioris anni pro praetore Q. Mucius obtineret Sardi-
niam, M. Valerius ad Brundisium orae maritimae, intentus
adversus omnes motus Philippi Macedonum regis, praeesset.
P. Cornelio Lentulo praetori Sicilia decreta provincia, T. 5
Otacilio classis eadem, quam adversus Carthaginienses priore
anno habuisset.

Prodigia eo anno multa nuntiata sunt. Quae quo ma- 6
gis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nun-
tiabantur: Lanuvii in aede intus Sospitae Iunonis corvos
nidum fecisse; in Apulia palmam viridem arsisse; Mantuae 7
stagnum effusum Mincio amni cruentum visum; et Calibus
creta et Romae in foro boario sanguine pluvisse; et in vico 8

---

cum volonum exercitu) V. ad XXIII, 32, 1. 3

M'. Pomponius in Gallico) Senatus igitur anno quidem 536. omiserat Galliam (cf. XXIII, 25), sed insequenti anno Pomponium praetura functum eo miserat, quod Livius non commemoravit. Sed cf. etiam infra c. 17.

Et praetores) Vulgo sine librorum auctoritate: *ex praetoribus*. *Et praetores* ex coniectura dedit Gronovius, quem secutus est Bekkerus. Sed dubia est scriptura. Nam quum in nullo cod. legatur *praetores*, sed alii notam tantum eius vocis habeant, alii *praetor*, potest Livius, id quod iam Drakenborchius vidit, etiam scripsisse: *Et praetorum*. Utrumque non discedit a consuetudine Livii. V. ad XXI, 15, 5 et ad XXII, 40, 6. — Neque in eo quicquam insoliti est, quod *praetores* positum sine verbo. Nam v. X, 27 sub fin. *diversae ferae, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit*; XXV, 19 post in. *consules — diversi, Fulvius in agrum Cumanum, Claudius in Lucanos abiit*. 4

pro praetore) V. ad XXIII, 30, 19.

in aede intus) *In* omittendum censuit Salmasius, quam coniecturam quodammodo confirmat optimus cod. Put., in quo est *Iani in aede intus*, ut *in* natum videatur ex extremo vocabulo *Lanuvi*. Et ita *intus aedibus* in veteribus inscriptionibus legi, testatur Gronovius. Cf. Sch. p. 618. Non desunt tamen loci, ubi iunctum videas *in* et *intus*. V. Cic. Fin. III, 5, 18 *quae sunt intus in corpore*; id. Tim. 10 *quia nondum omne animal in mundo intus incluserat*. Ceterum voce *intus* usus Livius videtur, quod ea res maxime miraculo fuit, si in interiore quadam parte templi, non extrinsecus, nidum corvi fecerant. 6

Insteio fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, ut serias doliaque, quae in eo loco erant, provoluta velut im-
9 petus torrentis tulerit; tacta de coelo atrium publicum in Capitolio, aedem in campo Vulcani, nucem in Sabinis publi-
10 camque viam, murum ac portam Gabiis. Iam alia vulgata

---

7 *foro boario*) Cf. de hoc ad XXI, 62, 2.

sanguine pluvisse) *Pluvisse* est in optimis libris. Cf. ad XXI, 62, 5 et de structura ibid.

8 *tanta vi aquarum fl.*) De ablativo conf. quae dicta sunt ad XXI, 48, 4.

serias) „*Seriae* sunt vasa fictilia, grandia, ut videntur, (septem enim amphorarum commemorantur), quibus vinum, oleum, salsamenta et alia huiusmodi condebant. Formam urnae similem habuisse videntur ex Colum. XII. cap. 53.“ Stroth.

velut impetus torr.) i. e. ut fons rapidi torrentis in modum dolia tulerit. Quanquam potest etiam ita locus explicari, ut non repetatur notio antecedens, sed sententia sit: ut putares, impetum torrentis dolia ferre. Gronovius coniecit legendum *impetu*, quod ipsum unus cod., minoris tamen ille fidei, habet.

9 *aedem in c. Vulcani*) i. e. aedem Vulcani in campo. V. ad c. 7, 11.

nucem) Codd. omnes: *vocem*, pro quo illud Valla dedit. Plerique editores receperunt *arcem*, quod de auguraculo dictum putat Heusingerus. Sed arx latius patet, quam ut sic absolute eam vocem a Livio positam credas. Tactae de coelo arbores etiam aliis locis inter prodigia memorantur. V. XXVII, 11 in. *In Albano monte tacta de coelo erant signum Iovis arborque templo propinqua;* Virg. Ecl. I, 17. Omnino quaecunque de coelo tacta animadvertebantur, videntur pro prodigiis habita esse, non modo, quod vulgo credunt, ubi aliquid insoliti in re erat. Quare Livius XXV, 7 med. in enarrandis prodigiis ait: *Tacta de coelo multa,* non addens, talia ea fuisse, quae rarius tangantur. Pariter fulmine icti homines saepe in prodigiis referuntur (v. X, 31 med.; XXII, 1 ante med.; ibid. 36 extr.; XXXIII, 26 extr.; XXXVII, 3 in.); XXVII, 11 in. *lacus;* XLI, 16 med. *privata aedificia.*

publicamque viam) Idem prodigium memoratum invenias XXXII, 9 in.

murum ac portam) Saepe hoc prodigium refertur. V. XXVI, 23 med.; XXVII, 11 in.; ibid. 23 in.; XXIX, 14 in.; XXX, 38 extr., alibi.

10 *Iam*) Hand Tursell. III, p. 145. 24: „Procedit oratio per *iam* ad aliam rem eiusdem rationis vel generis, quae cum reliquis coniungatur novumque adiiciat argumentum, ut intelligamus vel *item* vel *ad haec*, *adde*, *porro*.“ V. III, 34 extr. *Ea exspectatio — desiderium decemviros iterum creandi fecit. Iam*

miracula erant: hastam Martis Praeneste sua sponte pro-
motam; bovem in Sicilia locutum; infantem in utero matris
in Marrucinis *Io triumphe!* clamasse; ex muliere Spoleti
virum factum; Hadriae aram in coelo speciesque hominum
circum eam cum candida veste visas esse. Quin Romae 11
quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in foro visum,
affirmantes quidam, legiones se armatas in Ianiculo videre,
concitaverunt civitatem ad arma: qui tum in Ianiculo es- 12
sent, negarunt, quemquam ibi praeter assuetos collis eius
cultores apparuisse. Haec prodigia hostiis maioribus pro- 13
curata sunt ex haruspicum responso; et supplicatio omnibus
deis, quorum pulvinaria Romae essent, indicta est.

XI. Perpetratis, quae ad pacem deum pertinebant, de 1

---

plebs — ne tribunorum quidem auxilium, cedentibus invicem appellationi decemviris, quaerebat; IX, 19 med. *Statarius uterque miles* (i. e. Macedo et Romanus), *ordines servans: sed illa phalanx immobilis et unius generis*; *Romana acies distinctior —. Iam in opere quis par Romano miles?* XXXII, 22 extr.; XXXV, 48 med.; XL, 12 post in.

hastam Martis — promotam) „quo grave bellum denuntiari videbatur.“ Duker. Cf. XXI, 62, 4; XXII, 1, 11; XL, 19 in.

bovem — locutum) Idem traditur III, 10 med.; XXVII, 11 in.; XXVIII, 11 in.; XXXV, 21 post in.; XLI, 21 extr.; XLIII, 13 post in.

infantem — clamasse) Cf. ad XXI, 62, 2.

speciesque hominum) Cf. ad XXI, 62, 5.

secundum apum examen — visum) De hoc pro- 11
digio cf. ad XXI, 46, 2 et de praepositione *secundum* ibid. ad c. 45, 8. In omnibus libris manu scriptis post haec verba legitur: *quod mirabile est, quia rarum,* quod primus ut glossema Livio indignum induxit Lipsius; secuti sunt ceteri editores.

qui t. in Ianiculo essent) Coniunctivum videtur Li- 12
vius posuisse, quod non certos quosdam potuit cogitare, qui tum illo loco versarentur, quasi diceret: *si qui — essent.*

pr. assuetos — c.) *Assuetum* dicitur etiam id, cui assuevimus sive quod notum nobis est. Cf. V, 54 in. *assueta oculis regio;* XXV, 9 med. *portula assueta venationem inferens.*

hostiis maioribus) De his cf. ad XXI, 62, 7 et ibid. 13
§. 9 de iis, quae iam sequuntur.

XI.

Perpetratis) Nam prius de rebus divinis senatus con- 1
sulebatur, tum de republica. Cf. ad XXI, 6, 3.

republica belloque gerendo, et quantum copiarum, et ubi
2 quaeque essent, consules ad senatum retulerunt. Duodeviginti legionibus bellum geri placuit: binas consules sibi sumere; binis Galliam Siciliamque ac Sardiniam obtineri; duabus Q. Fabium praetorem Apuliae, duabus volonum Ti.
3 Gracchum circa Luceriam praeesse; singulas C. Terentio proconsuli ad Picenum et M. Valerio ad classem circa Brun-
4 disium relinqui, duas urbi praesidio esse. Hic ut numerus legionum expleretur, sex novae legiones erant scribendae. Eas primo quoque tempore consules scribere iussi et
5 classem parare, ut cum eis navibus, quae pro Calabriae litoribus in statione essent, centum quinquaginta longarum
6 navium classis eo anno expleretur. Delectu habito et centum navibus novis deductis, Q. Fabius comitia censoribus creandis habuit: creati M. Atilius Regulus et P. Furius Phi-
7 lus. Quum increbesceret rumor, bellum in Sicilia esse, T. Otacilius eo cum classe proficisci iussus est. Quum deessent nautae, consules ex senatusconsulto edixerunt, *ut, qui, L. Aemilio, C. Flaminio censoribus, milibus aeris quinquaginta ipse aut pater eius census fuisset usque ad centum milia, aut cui postea res tanta esset facta,*
8 *nautam unum cum sex mensium stipendio daret; qui supra centum milia usque ad trecenta, tres nautas cum*

---

2 *circa Luceriam*) V. ad XXIII, 35, 5.

3 *ad Picenum — ad cl.*) i. e. ut Piceno praesidio essent. Nam Livius saepe in significando consilio satis habet, praepositionem *ad* posuisse. Cf. quae exempla allata sunt ad XXI, 60, 5 et ad XXII, 13, 9; infra c. 13, 6.

5 *quae — in statione essent*) Cf. XXIII, 38, 7 sq.

7 *L. Aem., C. Flam. cens.*) Cf. ad XXIII, 22, 3.

milibus aeris) V. Weissenb. §. 229. 7; Ramsh. p. 515; ad XXII, 10, 7 et ibid. ad c. 33, 2.

qui ipse aut p. eius c. f.) Ex sermonis Germanici indole exspectaveris: *qui — ipse aut cuius pater census fuisset.* Sed annectuntur per attractionem quandam pronomini *ipse* verba *aut pater eius*, ita ut praecedentis structurae iam non ratio habeatur. Conferre poteris quae allata sunt ad XXI, 46 extr. et XXII, 31, 7; ad hoc XXVI, 34 med. *qui eorum aut ipsi aut parentes eorum apud hostes essent.*

8 *trecenta*) Utroque loco ex auctoritate optimi cod. Flor.

stipendio annuo; qui supra trecenta usque ad decies aeris, quinque nautas; qui supra decies, septem; senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. Ex hoc 9
edicto dati nautae, armati instructique ab dominis, cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt. Tum primum est factum, ut classis Romana sociis navalibus privata impensa paratis compleretur.

XII. Hic maior solito apparatus praecipue conterruit 1
Campanos, ne ab obsidione Capuae bellum eius anni Romani inciperent. Itaque legatos ad Hannibalem oratum mi- 2
serunt, ut Capuam exercitum admoveret: *ad eam oppugnandam novos exercitus scribi Romae, nec ullius urbis defectioni magis infensos eorum animos esse.* Id quia tam 3
trepidi nuntiabant, maturandum Hannibal ratus, ne praevenirent Romani, profectus Arpis, ad Tifata in veteribus castris super Capuam consedit. Inde, Numidis Hispanisque 4
ad praesidium simul castrorum simul Capuae relictis, cum

---

et nonnullorum aliorum delendum visum est *milia*, quod fere additum nemo non cogitatione hic facile suppleat. Idem Bekkerus omisit.

decies) i. e. centena milia. Cf. Weissenb. l. l.

senatores octo n. — darent) Inde apparet, nullius non senatoris rem visam esse maiorem quam decies aeris. Videtur igitur M. Fabius Buteo in legendis senatoribus (XXIII, 23) pecuniarum quoque rationem habuisse. De qua re eo, credo, nihil a Livio proditum est, quod ibi ea tantum commemoranda videbantur, quae tunc potissimum, non alio quovis tempore, respicienda in lectione senatus essent.

ab dominis) Ex servis vel suis quisque vel emtis eos 9
videntur praebuisse.

XII.

conterruit C., ne R. — inciperent) Cf. X, 14 extr. 1
errorque utilis Romanis oblatus fugae formidinisque Samnites implevit, maxime territos, ne ab altero exercitu — opprimerentur. Alia est sententia II, 45 in. *memoria pessimi proximo bello exempli terrebat, ne rem committerent eo;* Caes. b. g. VII, 49 *ut, si nostros loco depulsos vidissent, quo minus libere hostes insequerentur, terreret.* Ab his non multum differt, quod nonnunquam *terrere* adiunctam habet praepositionem *a*, ut Sall. Fragm. Or. Lep. §. 6; Cic. Caec. 13, 37.

eorum) De hac synesi cf. ad XXIII, 17, 4. 2

ad praesidium — relictis) V. ad XXI, 60, 5. 4

cetero exercitu ad lacum Averni per speciem sacrificandi, re ipsa, ut tentaret Puteolos, quodque ibi praesidii erat,
5 descendit. Maximus, postquam Hannibalem Arpis profectum et regredi in Campaniam, allatum est, nec die nec nocte
6 intermisso itinere, ad exercitum redit, et Ti. Gracchum ab Luceria Beneventum copias admovere, Q. Fabium praetorem (is filius consulis erat) Luceriam Graccho succedere iubet.
7 In Siciliam eodem tempore duo praetores profecti, P. Cornelius ad exercitum, Otacilius, qui maritimae orae reique
8 navali praeesset. Et ceteri in suas quisque provincias profecti; et, quibus prorogatum imperium erat, easdem, quas priore anno, regiones obtinuerunt.

1 XIII. Ad Hannibalem, quum ad lacum Averni esset, quinque nobiles iuvenes ab Tarento venerunt, partim ad Trasimenum lacum partim ad Cannas capti, dimissique domos cum eadem comitate, qua usus adversus omnes Roma-
2 norum socios Poenus fuerat. Ii, *memores beneficiorum eius perpulisse magnam partem se iuventutis Tarentinae* referunt, *ut Hannibalis amicitiam ac societatem quam populi Romani mallent; legatosque ab suis missos rogare Hannibalem, ut exercitum propius Tarentum ad-*
3 *moveat. Si signa eius, si castra conspecta a Tarento*

---

simul castrorum simul C.) Cf. ad XXI, 26, 9.
Puteolos) Cf. supra c. 7, 10.
5 *Arpis profectum et regredi*) „Si codd. addicerent, mallem *profectum regredi.* Iis tamen invitis nihil muto.“ Drakenb. Scilicet interiicere coniunctionem Livius eo consilio potuit, ut non unum de utraque re, sed diversos nuntios ad Fabium allatos significaret.
6 *Luceriam Graccho succedere*) Haec orationis brevitas non poterit mira videri, si reputaveris, in *succedendo* esse notionem *eundi,* quum succedere alicui nihil aliud sit quam in locum alicuius venire.
7 *profecti*) Hanc vocem delevit Gronovius minoremque distinctionem posuit post *praeesset.* Sed cf. ad XXIII, 24, 10.

XIII.

1 *qua usus — Poenus fuerat*) Cf. ad XXIII, 20, 8.
2 *legatosque ab suis missos*) V. Weissenb. §. 320 n. 1; Sch. p. 490. 5; Z. §. 605.

sint, haud ullam intercessuram moram, quin urbs dedatur. In potestate iuniorum plebem, in manu plebis rem Tarentinam esse. Hannibal collaudatos eos oneratos- 4
que ingentibus promissis, domum ad coepta maturanda redire iubet: *se in tempore affuturum esse.* Hac cum spe 5
dimissi Tarentini. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. Urbem esse videbat quum opulentam nobilemque tum maritimam et in Macedoniam opportune versam; regemque Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, quum Brundisium Romani haberent, petiturum. Sacro inde per- 6
petrato, ad quod venerat, et, dum ibi moratur, pervastato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit ad opprimendum praesidium Romanum. Sex milia hominum erant, et locus munimento quo- 7
que, non natura modo, tutus. Triduum ibi moratus Poe-

---

a Tarento) Tres ex deterioribus codd.: *a Tarentinis.* 3
Sed cf. supra ad XXIII, 19, 12; I, 5 extr. *a domo Numitoris alia comparata manu adiuvat Remus;* ibid. 47 in. *Non tibi ab Corintho nec ab Tarquiniis — peregrina regna moliri necesse est;* ibid. 48 in. *a vestibulo curiae magna voce — inquit;* III, 41 in. *Quiritium fidem implorante Valerio a curiae limine;* VIII, 17 extr. *adversus regem, escensionem a Paesto facientem, — pugnaverunt.*

oneratosque ing. promissis) Multi codd. perperam: 4
honoratosque. Cf. IV, 13 extr. *quum — laudibus haud immeritis onerarent* (eum); X, 14 post med. *iuvenes — nunc laudibus nunc promissis onerat;* XXV, 8 post in. *collaudati oneratique promissis;* XXIX, 32 in. *praemiorumque ingentium spe oneratus;* XXXII, 11 extr. *Ducem promissis ingentibus oneratum — tribuno tradit;* XXXIV, 61 in.; XXXV, 11 med. Nam in *onerando* saepe non est notio molestiae, sed spectatur tantum eorum, quae alicui adhibentur, multitudo vel magnitudo, quippe quae magni videatur ponderis esse.

regemque Philippum) Diligentius scriptor exsequi- 5
tur, quae ostenderat in Macedoniam opportune versam urbem dicendo. Cf. de hac coniunctionis vi ad XXI, 48, 4.

ad quod venerat) Cf. ad c. 11, 3. 6

munimento quoque, non n. modo) V. supra ad 7
c. 3, 6.

Triduum ibi m. — tentato pr.) Haec quum uni cogitationi ita subiecta sint, ut, quamdiu quomodo in ea re versatus Hannibal sit, exponatur, dissolute sive ἀσυνδέτως Livius posuit.

nus, ab omni parte tentato praesidio, deinde, ut nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum magis ira quam
8 potiundae urbis spe processit. Adventu eius in propinquum agrum mota Nolana est plebs, iam diu aversa ab Romanis et infesta senatui suo. Itaque legati ad arcessendum Hannibalem cum haud dubio promisso tradendae urbis venerunt.
9 Praevenit inceptum eorum Marcellus consul, a primoribus accitus. Die uno Suessulam a Calibus, quum Vulturnus
10 amnis traiicientem moratus esset, contenderat; inde proxima nocte sex milia peditum equitesque trecentos, qui praesidio
11 senatui essent, Nolam intromisit. Et uti a consule omnia impigre facta sunt ad praeoccupandam Nolam, ita Hannibal tempus terebat, bis iam ante nequicquam tentata re, segnior ad credendum Nolanis factus.

1 XIV. Iisdem diebus et Q. Fabius consul ad Casilinum tentandum, quod praesidio Punico tenebatur, venit; et ad Beneventum velut ex composito parte altera Hanno ex Bruttiis cum magna peditum equitumque manu, altera Ti. Grac-
2 chus ab Luceria accessit. Qui primo oppidum intravit, deinde, ut Hannonem tria milia ferme ab urbe ad Calorem fluvium castra posuisse et inde agrum populari audivit, et ipse, egressus moenibus, mille ferme passus ab hoste castra
3 locat, ibique concionem militum habuit. Legiones magna

---

ut — procedebat) De imperfecto post *ut* posito v. supra ad c. 1, 6.

deinde) Cf. supra ad XXIII, 23, 5.

11 *Et*) Per *et* adiungitur alterum, quod ad idem efficiendum valuit, quasi dicatur: Accessit ad eam rem efficiendam, quod, uti a consule etc. Cf. infra c. 37, 3.

bis — tentata re) Cf. XXIII, 14 sq. et ibid. c. 43 sq.

XIV.

1 *parte altera*) V. ad XXIII, 46, 2.

2 *Qui primo — intravit*) Haec verba perperam ante Bekkerum editores prioribus ita subiunxerunt, ut maximam distinctionem post ea ponerent, quasi *primo* positum esset pro *prius*, et Gracchus occupasset oppidum intrare. Sed opponuntur inter se verba: *primo oppidum intravit*, *deinde — egressus moenibus — castra locat*.

ex parte volonum habebat, qui iam alterum annum liberta-
tem tacite mereri quam postulare palam maluerant. Sen-
serat tamen hibernis egrediens, murmur in agmine esse
quaerentium, *en unquam liberi militaturi essent*, scripse- 4
ratque senatui, non tam quid desiderarent, quam quid me-
ruissent: *bona fortique opera eorum se ad eam diem
usum, neque ad exemplum iusti militis quicquam eis
praeter libertatem deesse.* De eo permissum ipsi erat, 5
faceret, quod e republica duceret esse. Itaque priusquam
cum hoste manum consereret, pronuntiat, *tempus venisse
eis libertatis, quam diu sperassent, potiundae. Postero* 6
die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo,

---

tacite mereri — post. palam) V. ad XXIII, 44, 5. 3

en unquam) Multi codd. pro *en unquam* habent *nunquam*. Sed illud aptius. Est enim, ut observarunt Gronovius et Handius (Tursell. II, p. 371), formula παθητική vehementer optantium per interrogationem aut etiam indignantium aut alio vehementiore animi affectu, praesertim desiderio et dolore, motorum. Cf. Liv. X, 8 extr. *En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos —?* XXX, 21 med. *En unquam ille dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam — visuri essent?* IV, 3 med.

bona) i. e. quae bonum animum (erga Romanos) proderet. 4

ad exemplum iusti m.) i. e. ut iusti militis exemplum explerent sive ut tales fierent, quales essent, in quibus iusti militis exemplum cerneretur. *Iustum* autem saepissime in eo dicitur, quod in suo genere plenum (*vollständig*) est sive tale, quale oportet esse, quo nihil desideretur. Cf. supra ad XXIII, 37, 8; praeterea ad XXII, 48, 1; infra c. 41, 5 *iustus exercitus*; pariter VI, 31 extr.; IX, 43 in.; X, 25 extr.; *iusta caedes* VI, 13 sub fin.; *iustus dux* XXV, 1 in.; XLI, 6 extr. *iustum servitium*; XLII, 8 extr. *iusti hostes*; et quae leguntur eiusdem generis plurima.

De eo permissum ipsi erat) Verbo *permittendi* saepissime subiungitur *de*, etiam talibus locis, ubi non sequitur enuntiatio, quae pro obiecto, quod vocant, eius verbi est. V. IX, 43 post in. *cui senatusconsulto permissum de Hernicis erat*; XXVIII, 45 post in. *Si consul senatui de provinciis permittit*; XXXIII, 13 in. *de ceteris senatui permissurum dixit*; XXXVI, 35 post in.; XXXVIII, 32 extr.; XXXIX, 19 extr. 5

e republica) V. ad XXIII, 24, 1.

venisse eis) V. supra ad c. 8, 15.

dimicaturum) V. ad XXIII, 3, 10. 6

ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute geri res pos-
7 *set. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo libe-*
rum iussurum esse; qui loco cessisset, in eum servili
8 *supplicio animadversurum. Suam cuique fortunam in*
manu esse. Libertatis auctorem eis non se fore solum,
sed consulem M. Marcellum et universos Patres, quos,
9 *consultos ab se, de libertate eorum sibi permisisse.* Li-
teras inde consulis ac senatusconsultum recitavit. Ad quae
clamor cum ingenti assensu est sublatus. Pugnam posce-
bant, signumque ut daret extemplo, ferociter instabant.
10 Gracchus, proelio in posterum diem pronuntiato, concionem
dimisit. Milites laeti, praecipue quibus merces navatae in
unum diem operae libertas futura erat, armis expediendis
diei reliquum consumunt.

---

puro ac patenti c.) i. e. ubi nihil aedium vel arborum vel frutetorum sit et quoquoversus omnia ad conspectum libera habeant. De *puro* cf. I, 44 extr. *ut — extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli;* auct. b. afr. 19 extr. *in campis planissimis purissimisque.*

7 *eum se* etc.) V. supra ad XXIII, 2, 8.

qui loco cessisset) *Loco cedere* dicuntur, qui ex eo loco, qui iis in acie tenendus adversus hostem datus est, pedem referunt. Cf. Liv. II, 47 in. *cessissentque loco, ni consul alter — rem inclinatam sustinuisset;* VII, 13 in. *sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa foede amissa obiici nobis possent;* XXVI, 5 post med.; XXXIX, 31 post in.

servili supplicio) i. e. eum a se in crucem sublatum iri. Hoc enim dicitur servile supplicium. In eandem sententiam Livius III, 18 extr. dixit: *De captivis, ut quisque liber aut servus esset, suae fortunae a quoque sumtum supplicium est*, i. e. liberi securi percussi sunt, servi cruci affixi; auct. b. hisp. 20 extr. *Ea nocte speculatores prehensi servi tres et unus ex legione vernacula. Servi sunt in crucem sublati, militi cervices abscisae.*

8 *non se fore solum, sed*) V. supra ad XXIII, 38, 9.

quos — permisisse) V. ad c. 3, 7. Verba autem *de libertate eorum* et ad *consultos* et ad *sibi permisisse* referenda sunt. Cf. ad XXIII, 46, 13.

9 *Ad quae*) Cf. supra ad XXIII, 25, 3.

10 *diei reliquum consumunt*) Editores omnes receperunt: *quod reliquum consumunt.* Sed recte Gronovius scribendum censuit, quod ipsi reposuimus. Nam et cod. optimus Put. cum nonnullis aliis habet: *que relicum communi*, ubi *que* ex *die* natum videtur, et unus Drakenborchii expresse: *diei*

XV. Postero die, ubi signa coeperunt canere, primi 1
omnium parati instructique ad praetorium conveniunt. Sole orto, Gracchus in aciem copias educit. Nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem septem milia peditum erant, 2
maxima ex parte Bruttii ac Lucani; equites mille ducenti, inter quos pauci admodum Italici, ceteri Numidae fere omnes Maurique. Pugnatum est et acriter et diu: quattuor horis 3
neutro inclinata est pugna. Nec alia magis Romanum impediebat res, quam capita hostium pretia libertati facta. Nam ut quisque hostem impigre occiderat, primum capite 4

---

reliquum communi. Ceteri fere: *quod reliquum communi* vel *consumtum* vel alia eiusmodi. Sed nusquam Livius *reliquum* per se posuit pro *reliquum diei*, neque ex verbis *in unum diem*, ubi dies infinite dicitur, bene repetes notionem eius diei, de quo hic sermo est. Ceterum cf. XXII, 59, 4 et ad XXII, 15, 1 et maxime III, 62 post med. *Reliquum diei apparandis armis consumptum est;* XXV, 38 extr. *reliquum diei expediendis armis — consumptum*, ubi eandem quam hic et *consumendi* habes structuram. Pariter V, 21 extr.; X, 22 extr.; XXIII, 46, 5; XXXII, 26 in.; XXV, 37 post in.

XV.

primi omnium) Eos dicit, quibus merces libertas futura erat i. e. volones. 1

parati instructique) Cf. infra ad c. 40, 5.

ad praetorium) In eum locum, qui circa ducis tabernaculum patebat, milites convenire solebant. Cf. de hac re ad XXI, 53, 6.

Decem septem) Ita optimus quisque cod. Cf. Prisc. 2
XVIII, p. 1170: „Graeci quoque πέντε καὶ δέκα, δέκα καὶ πέντε. Nos contra *quindecim* et *decem et quinque*. Livius tamen frequenter etiam sine coniunctione *septemdecem* et *decem septem* dixit.“ Similiter ex optimis codd. XXVIII, 38 med. et XXXIV, 10 med. et ibid. 52 post med. scribendum est *decem quattuor;* XXXVII, 30 extr. *decem tres*.

pretia libertati f.) Heinsius praeferendum iudicavit: 3
libertatis. Sed tali mutatione opus non est. Dativus est ex eo genere, quo indicatur, quo aliquid pertineat seu valeat. Eo dativo Livius saepissime utitur, ubi genitivum ponere poterat. V. I, 12 in. *prima urbi fundamenta ieci;* II, 1 in. *novas ipsi sedes ab se auctae multitudini addiderunt;* ibid. 15 extr. *Alium hinc — exilio quaerant locum;* III, 12 in. *Iam aderat iudicio dies;* V, 54 ante med. *Dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt*, et ita multis aliis locis. Cf. infra ad c. 22, 13.

inter turbam tumultumque) i. e. inter multitudinem 4

aegre inter turbam tumultumque abscidendo terebat tempus; deinde, occupata dextra tenendo caput, fortissimus quisque pugnator esse desierat, segnibus ac timidis tradita pugna
5 erat. Quod ubi tribuni militum Graccho nuntiaverunt, *neminem stantem iam vulnerari hostem, carnificari iacentes, et in dextris militum pro gladiis humana capita esse*, signum dari propere iussit, *proiicerent capita in-*
6 *vaderentque hostem: claram satis et insignem virtutem esse, nec dubiam libertatem futuram strenuis viris.* Tum

---

inconditam aliorum alios compellantium, urgentium, pulsantium. Cf. VI, 14 med. *tumultuosa turba;* XXV, 4 extr. *turbae ac tumultus concitatores.*

terebat tempus) Vulgo: *tempus terebat.* Illud praebet optimus Flor. cum nonnullis aliis. Sic III, 61 extr.; V, 26 extr.; VIII, 11 in.; XXVIII, 7 post in.; ibid. 31 in.; XLIII, 23 post med. etc.

occupata dextra) „Capita hostium laeva tenere non potuerunt, quia manus illa scuto tenendo impedita erat. Scutum autem sine manifesto periculo omittere non poterant." Drakenb.

5 *Quod ubi — nuntiaverunt — neminem — vulnerari*) Cf. infra c. 37, 5; VI, 7 in. *Quod ubi aciem iam instruenti Camillo centuriones renuntiaverunt, turbatas militum mentes esse;* XXVI, 44 med. *Quod ubi egressus Scipio in tumulum — animadvertit, multis partibus nudata defensoribus moenia esse;* XXVIII, 3 med. *Quod ubi animadvertit Scipio, nimia paucitate suorum exaequatum certamen esse;* XLII, 7 med. *Quod ubi consul vidit, nulla parte moveri Ligurum signa;* XXXII, 37 extr. *Quod ut satis apparuit, non taedere belli senatum;* XXXVII, 29 extr.; XLI, 10 med. *Quod quum milites consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent.* V. Z. §. 799; Weiss. §. 422 n. 1.

carnificari) Videtur esse ἅπαξ εἰρημένον. V. infra ad c. 16, 3. *Carnificare* est in modum carnificis interficere, quod opponitur h. l. iis, qui celeriter hic illic, si qua datur occasio, vulnera aut mortem inferunt.

signum dari) In hac locutione eandem fere atque in edicendo vim esse, cognosces ex exemplis ad XXI, 14, 3 allatis. Similiter *tesseram dare* saepius Livius posuit. V. VII, 36 med. *tessera data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium — obiecissent;* IX, 32 in. *extemplo tesseram dari iubet, ut prandeat miles firmatisque cibo viribus arma capiat;* XXVII, 46 in. *Tessera — data erat, ut tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet;* XXVIII, 14 post in.

redintegrata pugna est, et eques etiam in hostem emissus. Quibus quum impigre Numidae concurrissent, nec segnior 7
equitum quam peditum pugna esset, iterum in dubium adducta res. Quum utrimque duces, Romanus Bruttium Lucanumque, toties a maioribus suis victos subactosque, Poenus mancipia Romana et ex ergastulo militem verbis obtereret, postremo pronuntiat Gracchus, *esse nihil, quod* 8
de libertate sperarent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent.

XVI. Ea demum vox ira animos accendit. Renovato 1
clamore, velut alii repente facti, tanta vi se in hostem in-

Quibus) Cf. ad XXIII, 39, 8. 7

concurrissent) *Concurrere alicui* quanquam poetarum fere est, tamen non videtur mutanda haec scriptio cum altera, quam pauci iique deteriores libri habent: *occurrissent.* Neque enim eiusmodi structurae rariores a Livii consuetudine alienae sunt. Cf. ad XXI, 33, 4; XXII, 21, 2; ibid. 37, 8; XXI, 56, 1; ibid. 28, 11; XXII, 6, 6; ibid. 39, 2; ibid. 51, 5; XXI, 26, 9; XXII, 38, 13.

Quum utrimque) Praeeunte Crevierio plerique editores minorem distinctionem ante haec verba posuerunt. Sed ita minus placet conformatio totius enuntiationis incipientis a *quum* et desinentis in eadem structura, et ipsa sententia videtur postulare, ut haec verba iungantur insequentibus. Hoc enim Livius dicit: Quum animi viresque pugnantium viderentur pares, verbis accendere militem duces studebant; quod dum faciunt, Graccho contigit, ut vocem ederet eam, quae ad exitum rem perduceret.

ex ergastulo mil.) Cf. supra ad XXIII, 49, 9.

verbis obtereret) Cf. ad XXIII, 43, 10.

XVI.

demum) Hand. Tursell. II, p. 256 „*Demum* cum pro- 1
nominibus cuiusvis generis coniungitur, ut praestantia aut qualitas propria significetur, et ut maior vis adiiciatur demonstrationi. Est igitur modo *id maxime, ante omnia:* modo *quidem, dies eben,* τοῦτο δή." V. Liv. IV, 4 sub fin. *Verum enim vero lege id prohiberi, et connubium tolli Patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est.*

ira animos acc. Ren. cl.) Vulgo: *ita animos accendit, atque, renovato clamore — tanta vi se in hostem intulerunt;* quod per se non displicet, sed probari non potest, quia *atque* ab omnibus libris abest. Nonnulli pro eo habent *et,* quod destitutum librorum optimorum et plurimorum praesidio ne ipsum quidem videtur probari posse. Itaque nihil similius vero est

2 tulerunt, ut sustineri ultra non possent. Primo antesignani Poenorum, deinde signa perturbata, postremo tota impulsa acies; inde haud dubie terga data, ruuntque fugientes in castra, adeo pavidi trepidique, ut ne in portis quidem aut vallo quisquam restiterit, ac prope continenti agmine Romani insecuti, novum de integro proelium inclusi hostium

---

quam quod Gronovius statuit a Bekkero quoque receptum, pro *ita* scribendum esse *ira*. Nam quod Heusingerus negat, in verbis Gracchi fuisse, quod iram concitaret militum, non reputavit, iram nonnunquam dici de hostili animorum ardore. V. XXXI, 8 extr. *multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate iraque inde tumentibus;* XXXVIII, 17 post in. *si primum impetum, quem fervido ingenio et caeca ira effundunt, sustinueris;* et ibid. *molles, ubi ira consedit, animos sol, pulvis, sitis — prosternunt*; IX, 39 med. Atqui is ardor memoria libertatis, nisi caederentur hostes, non impetrandae excitari potuit. Praeterea asyndeton bene convenit huic loco. Cf. supra ad XXIII, 27, 5. Aliam expediendi loci rationem Handius (Tursell. III, p. 485) iniit, qui verba: *Ea demum vox ita animos accendit* explicat: ea vox ita pronuntiata. Sed quae ille affert ad eam interpretationem firmandam exempla (Liv. I, 55 post med. *Quae visa species haud per ambages arcem eam imperii caputque rerum fore portendebat: idque ita cecinere vates;* et VIII, 9 post med. *Haec ita precatus lictores ad T. Manlium ire iubet*), ea alius videntur generis esse, quippe ubi *ita* idem fere declaret quod: *ita ut dictum est*, quod in hunc locum non cadit. Otto revocandam scripturam a Sigonio e veteribus libris allatam censet hanc: *ita animos accendit*, *ut*, *renovato clamore*, *velut alii repente facti*, *tanta vi se in hostem intulerint*, *ut* etc.

2 *signa*) i. e. ii, qui sub ipsis signis constiterant, quales apud Romanos fuerunt triarii. Cf. ad XXII, 5, 7.

pavidi trepidique) Prius refertur ad timorem animi, alterum ad incogitantiam festinantium. Cf. infra ad c. 40, 12.

restiterit) Cf. ad XXIII, 16, 1.

continenti agmine) i. e. continenti hostibus agmine. Alias fere absolute ea dictio ita ponitur, ut non interruptum agmen significet. Cf. I, 29 extr.; II, 50 post med.; VIII, 8 ante fin.; X, 35 extr.; XXVII, 21 in.

novum de integro pr.) Cf. XXII, 5, 7 *et nova de integro pugna exorta est;* V, 3 med. *rursus novus de integro exsudetur labor?* X, 29 in. *novam de integro velle instaurare pugnam;* XXX, 34 extr. *Ita novum de integro proelium ortum est.* Neque superfluum alterum est. Nam si nova esset pugna, non tamen necesse erat, eam de integro esse i. e. talem, ut nulla videretur praecessisse.

vallo ediderint. Ibi sicut pugna impeditior in angustiis, ita 3
caedes atrocior fuit. Et adiuvere captivi, qui, rapto inter
tumultum ferro, conglobati et ab tergo ceciderunt Poenos
et fugam impedierunt. Itaque minus duo milia hominum ex 4
tanto exercitu, et ea maior pars equitum, cum ipso duce
effugerunt; alii omnes caesi aut capti. Capta et signa duo-
dequadraginta. Ex victoribus duo milia ferme cecidere. 5
Praeda omnis, praeterquam hominum captorum, militi con-

---

impeditior) In codd. tantum non omnibus et optimo 3
quoque invenitur: *inexpeditior*, quod nescio an perperam reiecerint omnes editores. Nam etsi apud nullum bonae aetatis scriptorem haec vox reperitur, tam frequentia tamen apud Livium sunt ἅπαξ εἰρημένα vel verba, quae apud alios scriptores non reperiuntur, ut hoc quoque locum tenere videatur posse. Cf. §. 19; superiore cap. §. 5; supra c. 9, 3; ad XXIII, 8, 7; ibid. 19, 14; infra ad 26, 11; 31, 10; ad XXI, 32, 7; praeterea I, 19 in. *desuetudo;* II, 29 med. et XXI, 46, 7 et aliis nonnullis locis: *intercursus;* II, 58 extr. et saepius alibi *adhortator;* III, 72 sub fin. *controversiosus;* IV, 9 med. *postulatu audito;* ibid. 10 sub fin. *dearmatus;* ibid. extr. *consulariter;* V, 13 in. *innavigabilis;* VII, 2 in. et ibid. 3 in. *placamina;* XXV, 24 *semigraves;* XXI, 38 extr. *semigermanus;* ibid. 61 extr. *tutamentum;* XXII, 16 med. *perhorridus;* quae omnia multaque alia, quae hic afferre longum est, aut Livii solius aut certe praetereum multo posteriorum scriptorum demum sunt. Potest autem pugna inexpeditior ea dici, quae minus facile expeditur i. e. cuius difficultates minus facile tolluntur sive quae difficilius ad exitum venit. De forma cf. XXXVI, 17 in. *inexsuperabilior;* VII, 4 extr. *infacundior;* XXVIII, 25 med. *insanabilius;* XXXIII, 23 extr. *inhonoratior.*

adiuvere) Heusingerus et Klaiberus cogitatione supplent: *caedem.* Sed potest et absolute accipi verbum, ut I, 5 extr. *a domo Numitoris alia comparata manu adiuvat Remus;* XXV, 11 med. *Reliquit modicum praesidium, ut simul in faciendo muro adiuvaret;* XXVII, 15 extr.; XXVIII, 17 sub fin.

et ea maior p. equitum) „Sensus Livii vix esse potest, 4
equites maximam illorum duorum milium partem effecisse. Ea enim ratione nullus ferme equitum aut certe quam paucissimi in acie cecidissent; in qua tantum mille et ducenti fuisse dicuntur cap. praec. Indicat ergo Livius, maiorem partem equitum effugisse.“ Drakenb. Cf. supra ad XXIII, 35, 6; praeterea Z. §. 699; Sch. p. 533; Weissenb. §. 345.

praeterquam hominum c.) Cf. supra ad XXIII, 5
37, 13.

cognovissent) Saepissime Livius *cognoscere* ponit de iis, quae quis sua esse intelligit, aut quae, nota ante, rursus

cessa est. Et pecus exceptum est, quod intra dies triginta
domini cognovissent.
6 Quum praeda onusti in castra redissent, quattuor milia
ferme volonum militum, qui pugnaverant segnius nec in
castra irruperant simul, metu poenae collem haud procul
7 castris ceperunt. Postero die per tribunos militum inde de-
ducti, concione militum advocata a Graccho, superveniunt.
8 Ubi quum proconsul veteres milites primum, prout cuiusque
virtus atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis
9 donasset, tunc, *quod ad volones attineret*, *omnes* ait
malle laudatos a se, *dignos indignosque*, *quam quem-
quam eo die castigatum esse. Quod bonum*, *faustum
felixque reipublicae ipsisque esset*, *omnes eos liberos*
10 *esse iubere.* Ad quam vocem quum clamor ingenti alacri-
tate sublatus esset, ac nunc complexi inter se gratulantes-
que, nunc manus ad coelum tollentes, bona omnia populo
11 Romano Gracchoque ipsi precarentur; tum Gracchus: *Prius-
quam omnes iure libertatis aequassem*, inquit, *neminem*
12 *nota strenui aut ignavi militis notasse volui. Nunc*,

---

noscuntur, qua in re proprium est *agnoscere*. V. I, 6 in. *originem nepotum*, *ut geniti*, *ut educati*, *ut cogniti essent*, — *ostendit*; II, 40 post in. *insignem moestitia inter ceteras cognoverat Veturiam*; III, 10 in. *exposita omni in campo Martio praeda*, *ut suum quisque per triduum cognitum abduceret*; IV, 29 post in. *Praedae pars sua cognoscentibus Latinis atque Hernicis reddita*; VIII, 7 in.; ibid. 39 extr., alibi.

7 *concione militum*) *Militum* abest a multis codd., optimi tamen eam vocem habent. Videtur sane supervacanea esse, et fortasse per errorem scribarum, quod paulo ante praecedit eadem vox, huc translata est.

8 *donis donasset*) Cf. §. 11; supra ad XXIII, 19, 18.

9 *dignos indignosque*) *Dignum* et *indignum* saepissime ita poni a Livio, ut ex ceteris verbis, quo referantur illae voces, intelligendum sit, ostendimus ad XXI, 48, 6.

Quod bonum, *f. felixque*) Frequentissima formula, qua praefabantur Latini optantes, ut ea res, quam acturi erant, utilis esset et deorum favorem haberet et ex sententia procederet. V. Liv. I, 17 extr.; ibid. 28 post med.; III, 34 in.; ibid. 54 med.; VIII, 25 extr.; X, 8 extr., alibi.

10 *complexi inter se gratul.*) V. ad XXIII, 47, 4; VII, 42 post med. *complecti inter se lacrimantes milites coepisse*.

exsoluta iam fide publica, ne discrimen omne virtutis ignaviaeque pereat, nomina eorum, qui, detrectatae pugnae memores, secessionem paullo ante fecerunt, referri ad me iubebo; citatosque singulos iureiurando 13
adigam, nisi quis morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potionemque, quoad stipendia facient, capturos esse. Hanc multam ita aequo animo feretis, si reputabitis, nulla ignaviae nota leviore vos designari potuisse. Signum deinde colligendi vasa dedit; militesque, 14

---

notasse volui) Perperam Ruperti: fortasse *notare.* 11
Quam saepe enim apud Livium *velle* adiunctum habeat infinitivum perfecti, exempla ostendunt ad XXII, 59, 10 allata. Cf. Z. §. 590; Weiss. §. 187. n. 2. 2).

nisi quis morbus) Codd. optimi quum praebeant: *nisi* 13
que morbus, Gronovius coniecit scribendum *nisi queis*, quem secuti sunt ceteri editores omnes, nisi quod nonnulli alteram formam dativi *quis* recte praetulerunt. Et videtur vera ea emendatio esse, etsi minore mutatione ac paene nulla legere possis: *nisi qui morbus.* Nam illud Livii consuetudo commendat. Cf. c. 18, 7; XXXIV, 56 med. *quibus aut emerita stipendia aut morbus causae essent, quo minus — militarent.* Ceterum *causa* in his locis de eo dicitur, quod impedimentum affert, quo minus aliquid fiat. V. praeterea XXXIV, 39 sub fin. *Pythagoras — unus, ne caperetur urbs, causa fuit.*

non aliter quam stantes) „etiam in coena. Nam vulgo omnes stantes prandebant.“ Duker.

cibum potionemque) Sic optimi duo codd., alii *potumque.* Cf. V, 5 extr. *cibi gratia praesentis aut potionis;* XXI, 4, 6 *cibi potionisque desiderio naturali — modus finitus;* Cic. de sen. 11, 36 *tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.*

quoad — facient) V. supra ad XXIII, 26, 2 et de indicativo in oratione obl. posito ibid. ad c. 44, 1.

Hanc multam) *Multa* fere est poena pecuniaria; ita tamen latius ea vox patuit, ut omnem poenam significaret, qua quis ad expiandum delictum facere aliquid cogebatur. Ita h. l. de militibus, qui, ut expient delictum commissum, id facere iubentur, ut stantes cibum potionemque capiant. De *ita — si* v. Weiss. §. 458 n. 2 extr. et ad XXI, 13, 5.

colligendi vasa) i. e. profectionis. Plura de hac locu- 14
tione dicta sunt ad XXI, 47, 2.

portantes agentesque) Alterum inanimata spectat, alterum animalia. Usitatius dicitur *ferre et agere*, de qua dictione v. ad XXII, 3, 7. H. l. grave praeda, ut in tanta victoria, agmen Livius significavit *portando.* Cf. et Caes. b. g. II, 29.

praedam portantes agentesque, per lasciviam ac iocum ita
15 ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie, reverti viderentur.
16 Beneventani omnes turba effusa quum obviam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium.
17 Apparata convivia omnibus in propatulo aedium fuerant: ad ea invitabant Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permisit, in publico epularentur

---

15 *per cel. f. diem actis*) Praepositio abest ab optimis et plurimis codd., editores eam receperunt omnes. Nec videmur ea carere posse, quum hoc loco propter ea, quae addita sunt, adiectiva in voce diei minus respiciatur notio temporis, quippe quae adiectiva non et ipsa ad tempus referantur. Neque enim, sicut potes dicere: *epulas multos dies agere*, ita recte dices: *epulas festos dies agere.* — *Celeber dies* dicitur, qui ut reddatur insignis, multa homines faciunt, ut magna frequentia conveniendo, caerimoniis et quae sunt alia eius generis. Cf. XXV, 12 extr. *celeberque dies omni caerimoniarum genere fuit.*

17 *Apparata*) Cf. supra ad XXIII, 4, 3.

in propatulo aedium) i. e. parte aedium, quae ad aspectum omnium pateret. Cf. V, 13 med. *Tota urbe patentibus ianuis promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito*; XXV, 12 extr. *vulgo apertis ianuis in propatulis epulati sunt*; XXVI, 13 extr. *magno rogo in propatulo aedium accenso*; Cic. Verr. IV, 49, 110 *Ante aedem Cereris in aperto ac propatulo loco signa duo sunt.*

epulari permitteret) *Permittere* sq. infinitivo ut Nep. Con. 4 *ut ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam.*

in publico epularentur) Sigonio placuit: *si in publico epularentur omnes.* Cf. supra ad §. 13. Duo deteriores codd. ante *in* habent *ut.* V. Z. §. 281; Weiss. §. 407 n. 2. Nihil tamen obstat, quo minus Gracchi praedictum non addita particula *ut* Livius posuerit. Nam quod praecedit *ita*, saepe simili modo hoc adverbium perspicuitatis vel gravitatis causa, quo magis advertantur animi ad sequentia, praemittitur, subiecta varia structura, quum quae sequuntur enuntiata quodammodo appositionem vocis *ita* habeant pro diversa verbi, cui additur *ita*, ratione diverse formatam. Sic aliis locis subiungitur infinitivus, ut II, 15 med. *Ita induxisse in animum, hostibus potius quam regibus portas patefacere;* XL, 34 post med. *ita in animum induxisse Ligurum gentem, nulla unquam arma, nisi imperata a populo Rom., sumere;* aliis accus. c. infinit. ut I, 55 med. *Id omen auguriumque ita acceptum est: non motam Termini sedem — firma stabiliaque cuncta portendere;* XXXII, 30 in. *quod ita acceperant, coniunctis legionibus con-*

omnes. Ante suas quibusque fores prolata omnia. Pileati 18
aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt, alii accubantes, alii stantes, qui simul ministrabant vescebanturque. Digna res visa, ut simulacrum celebrati eius diei 19
Gracchus, postquam Romam rediit, pingi iuberet in aede Libertatis, quam pater eius in Aventino ex multaticia pecunia faciendam curavit dedicavitque.

XVII. Dum haec ad Beneventum geruntur, Hannibal, 1
depopulatus agrum Neapolitanum, ad Nolam castra movet.
Quem ubi adventare consul sensit, Pomponio propraetore 2

---

sules rem gesturos; XLII, 38 extr. *Et se ita a patre suo accepisse dixit, amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse*; III, 40 post in. Itaque h. l. quum particula addita sit verbo permittendi, post quod nonnunquam omittitur *ut* (v. supra c. 14, 5; XXVII, 10 in.; ibid. 22 extr.; XXXIII, 45 in.), nihil offensionis id genus dicendi habet. — Ceterum causam, cur eam conditionem poneret Gracchus, in multa illa fuisse, patet.

Pileati) Pileus enim libertatis insigne fuit. Cf. infra 18
c. 32, 9 *Postero die servi ad pileum vocati*; XXXIII, 23 med. *magis in se convertit oculos Cremonensium Placentinorumque colonorum turba, pileatorum currum sequentium* (v. ibid. init. cap.), quem locum vulgo perperam distinguunt: *pileatorum, currum sequentium*; sed cf. supra ad XXIII, 28, 9; XXX, 45 extr. *Secutus triumphantem est pileo capiti imposito Q. Terentius Culleo; omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit.* Praeterea v. XLV, 44 extr. *Polybius eum regem* (Prusiam) *indignum maiestate nominis tanti tradit pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre, et ideo insignia ordinis eius gerere.* Eodem spectabat lana alba capitibus circumdata, quippe quae hic nonnullis pro pileo esset. Alba autem erat, quod et pileum gerere album solebant ad libertatem restituti.

Digna res visa, ut) Pronomen relativum hic non po- 19
tuisse poni pro *ut*, manifestum est. Cf. de structura supra ad XXIII, 42, 13.

multaticia) Ne hac quidem voce praeter Livium alios scimus usos esse. Sed Livius saepe eam posuit. V. X, 23 extr.; ibid. c. 31 med.; c. 33 extr.; XXVII, 6 extr.; XXX, 39 extr.; XXXIV, 53 med.; XXXI, 50 in.; XXXIII, 25 in.; ibid. 42 extr., ex quibus locis intelligas, fere ad res sacras talem pecuniam collatam esse.

curavit) De perfecto v. supra ad XXIII, 44, 5.

XVII.

consul) Cf. c. 13 extr. 1

cum eo exercitu, qui super Suessulam in castris erat, accito, ire obviam hosti parat nec moram dimicandi facere.
3 C. Claudium Neronem cum robore equitum silentio noctis per aversam maxime ab hoste portam emittit, circumvectumque occulte subsequi sensim agmen hostium iubet et, quum
4 coortum proelium videret, ab tergo se obiicere. Id errore viarum an exiguitate temporis Nero exsequi non potuerit,
5 incertum est. Absente eo quum proelium commissum esset, superior quidem haud dubie Romanus erat; sed, quia equites non affuere in tempore, ratio compositae rei turbata est. Non ausus insequi cedentes Marcellus, vincentibus suis
6 signum receptui dedit. Plus tamen duo milia hostium eo
7 die caesa traduntur, Romani minus quadringentis. Solis fere occasu Nero, diem noctemque nequicquam fatigatis equis hominibusque, ne viso quidem hoste rediens, adeo graviter est ab consule increpitus, ut per eum stetisse di-

---

2 *Pomponio propr.*) Atqui Pomponio prorogatum in Gallico imperium scripserat c. 10, 3. Nec quod Drakenborchius aliique ad expediendam rem statuerunt, mutatam esse assignationem provinciarum ab initio anni factam ac praefecturam castrorum super Suessulam Pomponio datam, id vero Livium referre neglexisse eiusque nunc tantum, data occasione, meminisse, haec igitur Drakenborchii sententia non potest pro vera haberi. Nam et distincte Livius extremo cap. 12 dixit: *quibus prorogatum imperium erat*, *easdem*, *quas priore anno*, *regiones obtinuerunt*, et infra c. 44, 3 Tuditanum, cui Gallia provincia evenisset, exercitum ait a M'. Pomponio accipere iussum, unde patet, vere hunc Galliae praefuisse, non castris super Suessulam. Itaque h. l. nomen Pomponii non recte illatum est, qui error utrum Livii fuerit an scribarum, et qui pro Pomponio ponendus fuerit, id iam non videtur diiudicari posse.

3 *silentio noctis*) De hac locutione perquam Livio usitata dictum est ad XXII, 60, 22.

6 *Romani minus quadr.*) Optimi codd. *Romanis*. Hoc pro dativo commodi sive incommodi habere, videtur ab Livii consuetudine abhorrere nec magis collocatio verborum admittere, ut iungas cum *quadringentis*. Itaque nisi forte excidit praepositio *a* vel *e* ante *Romanis* (v. ad XXI, 5, 9; XLII, 60 in.), Gronovius recte videtur posuisse *Romani*. Nescio tamen an etiam scribendum sit *quadringenti*. Vix enim credibile est, Livium, praemisso nominativo *Romani* posuisse *minus* cum ablativo. Ac potuit litera *s* facillime hic per errorem addi duplicata prima litera insequentis vocis.

ceret, quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti cla-
des. Postero die Romanus in aciem descendit, Poenus, ta- 8
cita etiam confessione victus, castris se tenuit. Tertio die
silentio noctis, omissa spe Nolae potiundae, rei nunquam
prospere tentatae, Tarentum ad certiorem spem proditionis
proficiscitur.

XVIII. Nec minore animo res Romana domi quam mi- 1
litiae gerebatur. Censores, vacui ab operum locandorum 2
cura propter inopiam aerarii, ad mores hominum regendos
animum adverterunt castigandaque vitia, quae velut diutinis
morbis aegra corpora ex se gignunt, nata bello erant.

---

increpitus) Multi ex codd. *increpatus*. Sed alteram 7
formam, si quidem fides optimis libris habenda sit, praelatam
a Livio Drakenborchius ostendit.

per eum stetisse) Cf. Sch. p. 604; Weiss. §. 289 n. 3. Liv. II, 31 extr. *quoniam per eum non stetisset*, *quin praestaretur* (fides); III, 61 in. *non per milites stetisse*, *ne vincerent*; VI, 33 in. *nihil per alteros stare*, *quo minus incepta persequerentur*; IX, 14 in. *Per utros stetisset*, *quo minus discederetur ab armis*; XLIV, 14 extr.; ibid. 19 extr. etc.

accepta ad C. redderetur h. cl.) Similiter infra c. 20, 2 *haud multo minorem*, *quam ad Beneventum acceperat*, *reddidit hosti cladem*; XXVII, 49 med. *redditaque aequa Cannensi clades — videbatur*.

tacita etiam confessione) i. e. non solum re ipsa, 8
sed etiam tacita confessione victus. De vocabuli *confessionis* satis frequenti in tali sententia usu v. ad XXI, 40, 2.

castris se tenuit) V. ad XXIII, 26, 6.

XVIII.

ab operum locandorum c.) „i. e. aedificiorum pu- 2
blice exstruendorum et redemtoribus locandorum (*Entrepreneurs im Accord zu überlassen*).“ Stroth.

quae — gignunt) Alii eam praeoptarunt distinctionem, ut *quae* separarent a *velut*, obiectum autem verbi *gignendi* cogitatione supplerent. Sed magis Latinorum consuetudini videtur id convenire, ut pronomen relativum enuntiationi secundariae adiungas. V. ad XXI, 6, 4 et XXII, 61, 15. Ante *nata* aliquid verisimile est excidisse. Nam in optimo codice est: *acanata*. Gronovius suspicatur: *tunc enata*. Neque tamen *enasci* videtur Livius usquam improprie posuisse. Probabilius Weissenbornius: *sic nata*. Praetulerim tamen, quod propius ab cod. illius scriptura abest: *sic eo nata bello*. *Velut — sic* etiam IV, 41 med. legitur. Cf. ad XXI, 8, 6.

3 Primum eos citaverunt, qui post Cannensem cladem agitasse de Italia deserenda dicebantur. Princeps eorum L.
4 Caecilius Metellus quaestor tum forte erat. Iusso deinde eo ceterisque eiusdem noxae reis causam dicere, quum purgari nequissent, pronuntiarunt, videri verba orationemque eos adversus rempublicam habuisse, quo coniuratio deseren-

---

3 *qui post C. cladem agitasse de Italia deserenda d.*) Vulgo: *qui post Cannensem pugnam rempublicam deseruisse Italiaque excessisse velle dicebantur*, quae verba et in uno tantum exiguae fidei cod. leguntur et per se parum probabilia sunt. Nam offensioni est *velle* pro *voluisse*. Plerique autem et optimi codd. habent tantum: *qui post Cannensem dicebantur*, ut versum excidisse manifestum sit. Eum igitur alii aliter librarii restituere conati sunt. Nam in uno cod. est: *qui post Cannensem pugnam fugae consilium habuisse d.*, in nonnullis: *qui post Cannensem pugnam Italiam deserere voluisse dicebantur*. Equidem cum Ottone Livianum maxime esse credo, quod in uno cod., qui nonnunquam cum optimis libris consentit (Lov. 5), superest: *qui post C. cladem agitasse de Italia deserenda dicebantur*. Nam et *deserere Italiam* in eadem re aliis quoque locis Livius posuit (v. hic §. 4; XXII, 53, 5; XXIV, 43, 3; XXVII, 11 sub fin.); et *Cannensis clades* hic aptius dicitur quam *Cannensis pugna* (cf. XXVII, 11 sub fin.); et frequens est apud Livium dictio *agitare de al. re* de iis, qui aliquid parant vel aggredi volunt. Cf. II, 32 in. *agitatum dicitur de consulum caede;* IV, 13 post in. *de regno agitare;* IX, 29 post in. *de inferendo bello agitat;* ibid. 35 extr. *Tum de persequendo hoste agitari coeptum*; XXI, 26, 5; XXII, 43, 4 etc. De re ipsa v. XXII, 53.

4 *videri*) Hoc verbum ab codd. tantum non omnibus abest. Sed quum in uno ex praestantioribus supersit: *videri orationemque*, recte Drakenborchius videtur suspicatus esse, eam vocem in ceteris scribarum errore ante *verba* excidisse. „Iudices enim, inquit, sententiam pronuntiantes, non aliquid esse, sed plerumque aliquid esse *videri* dicebant. — Similiter in senatusconsultis sollemnia erant verba *senatui videri*.“ Cf. Cic. Acad. II, 47 extr. *Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia, qui — voluerunt, — quae iurati iudices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronuntiarent.* V. Liv. XXX, 17 extr.; 42 med.; XXXVIII, 44 med.

verba orationemque adv. remp. h.) Ut in formulis sollennibus (cf. ad XXII, 38, 4), ita in sententiis iudicum moris erat, synonyma ad rem illustrandam eximendamque dubitationi omni iungere. „Verba,“ inquit Doeringius, „refer ad ea, quae seruntur in colloquiis, *orationem* ad ea, quae longiore expositione proponuntur.“ Errat autem idem vir d. *habuisse* per zeugma positum dicens, ita ut ad *verba* aliud, v. c. fecisse,

dae Italiae causa fieret. Secundum eos citati nimis callidi 5
exsolvendi iurisiurandi interpretes, qui captivorum, ex itinere regressi clam in castra Hannibalis, solutum, quod
iuraverant, redituros, rebantur. His superioribusque illis 6
equi adempti, qui publicum equum habebant; tribuque moti, aerarii omnes facti. Neque senatu modo aut equestri or- 7
dine regendo cura se censorum tenuit. Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio iusta militiae neque morbus

---

suppleatur. Nam *verba habere* Latini non raro dicunt. V. Liv. X, 24 in. *ut inter militares viros pauca verba habita;* XLII, 61 in. *quae* (verba) *ad concionem vocato exercitu habuit;* Cic. inv. II, 47, 140 *qui verba habuerit;* Somn. Scip. 1; Sall. Iug. 9 extr. — Comparari autem hic potest gravior illa formula, qua saepe senatus aliquem iudicabat adversus sive contra rempublicam *fecisse.*

ex itinere regressi) Cf. ad XXIII, 39, 1 et de re 5
ipsa XXII, 61.

solutum) Hoc satis mire pro supino Doeringius habuit. Quod monuisse, ne quis in eundem errorem incidat, videtur sufficere.

equi adempti) Haec formula ponebatur in iis, qui or- 6
dine equestri ignominiae causa movebantur. Post *adempti* cogitatione addendum: i. e. iis.

tribuque moti) *Tribu movebantur*, qui ignominiae causa ex ea, in qua erant, tribu pellebantur, quod fere ita fiebat, ut in aliam eamque minoris dignitatis tribum referrentur, praesertim, ut ait Donatus, quum ex rustica tribu in urbanam tribum motus transire cogebatur. Nobiliores enim rusticae urbanis et praestantiores habebantur, quod docet Plin. XVIII, 3. Sed cf. annotat. sq.

aerarii) i. e. non referebantur in aliam tribum, sed in tabulas Caeritum, ut suffragii et honorum adipiscendorum iure privati tamen, prout censebantur a censoribus, tributa conferrent. Cf. Liv. IV, 24 extr., ubi Mamercum censores dicuntur tribu movisse octuplicatoque censu aerarium fecisse. Minus autem nonnunquam a populo respiciebatur nota haec censoria, sicut videmus eundem Metellum paulo post tribunum plebis factum esse (cf. infra c. 43).

Nomina — excerpserunt) Perperam Ernestus: ex- 7
punxerunt, deleverunt. Immo exscribi ex tabulis iuniorum (*den Listen der Dienstfähigen*) eos iusserunt, qui non militassent, quo ipsi poena eos afficerent. *Omnium, qui — militassent* pro una notione est, cui adiungitur enuntiatio relativa: *quibus — fuisset.*

vacatio iusta m.) i. e. si aut emerita stipendia habe-

8 causa fuisset. Et ea supra duo milia nominum in aerarios
9 relata, tribuque omnes moti. Additumque inerti censoriae notae triste senatusconsultum: ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non prius, quam pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat.

10 Quum censores ob inopiam aerarii se iam locationibus abstinerent aedium sacrarum tuendarum curuliumque equo-

---

rent aut magistratu sacerdotiisve praediti essent aut senatus populive beneficio soluti militia. Opponuntur igitur haec, quae ex legum norma hominumque voluntate pendent, morbo, qui casu et natura incidit.

9 *inerti censoriae notae*) Vulgata haec lectio num vera sit, est, quod magnopere dubitemus. Nam primum ex codd. parum ea habet praesidii, quorum optimus pro *inerti* praebet: *tamerici*, alii *meri*, *merci* et similia; deinde *iners (wirkungslos*, *unkräftig*; cf. I, 59 ante med. *inertes querelae)* vix potest dici nota censoria, quae in aerarios referret tribuque moveret. Nam quae exempla Heusingerus attulit, ut ostenderet, illam notam ex Livii mente inertem dici potuisse (IV, 24 extr. coll. c. 31 med.; XXIX, 37 sub fin. et XXXI, 2 in.), ea probant tantum, aliqua ex parte vi eam caruisse, non omnino nihil valuisse seu inertem fuisse. Iacobus Gronovius vestigia secutus cod. Put. coniecit: *tam truci*, quemadmodum Livius dixit: *trux ingenium* III, 54 in.; *trux sententia* XXIX, 19 ante med. Nescio tamen an maior vis sit in *truci*, quam ut recte hoc verbum, auctum insuper per *tam* de illa nota censoria ponatur, inprimis quum senatusconsultum Livius satis habuerit *triste* dixisse. Fortasse scripsit: *Additumque tam tristi censoriae notae triste senatusconsultum*, ut non solum notam censoriam tristem fuisse, verum etiam eiusdem generis senatusconsultum additum significetur. Cf. V, 27 post in. *scelestus ipse cum scelesto munere venisti*; ibid. 28 sub fin. *Has inanium rerum inanes ipsas volventes cogitationes*; XXV, 38 extr. *Laeti audiere ab novo duce novum consilium.*

non pr. — finitum stip. t. erat) *Aliquid finire* saepe declarat alicuius rei finem aliquem constituere, sive constituere, ut alicuius rei aliquis finis sit. V. IX, 33 in. *quod Aemilia lege finitum censurae spatium temporis erat*; ibid. 34 ante med. *ira finitae potestatis Mam. Aemilium — aerarium fecerunt*; X, 13 extr. *quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent.* Eam igitur vim verbi respiciens Livius breviter haec dixit: constitutum erat, ut ei militum generi finis temporis stipendiorum non prior quam pulso Italia hoste esset.

10 *se — abstinerent*) Saepe huius verbi transitiva vis

rum praebendorum ac similium his rerum, convenere ad eos 11
frequentes, qui hastae huius generis assueverant, hortatique censores, *ut omnia perinde agerent, locarent, ac si pecunia in aerario esset: neminem, nisi bello confecto, pecuniam ab aerario petiturum esse.* Convenere deinde 12
domini eorum, quos Ti. Sempronius ad Beneventum manu emiserat, arcessitosque se ab triumviris mensariis esse dixerunt, ut pretia servorum acciperent: ceterum non ante, quam bello confecto, accepturos esse. Quum haec inclina- 13
tio animorum plebis ad sustinendam inopiam aerarii fieret, pecuniae quoque pupillares primo, deinde viduarum, coeptae

---

est apud Livium, neque solum addidit pronomen reflexivum, ut h. l., III, 11 med.; VIII, 2 med.; XXI, 49 extr.; XXXIV, 35 extr., sed etiam alios accusativos, v. c. I, 1 in. *duobus — omne ius belli Achivos abstinuisse;* IV, 59 sub fin. *a cetera praeda Fabius militem abstinuit;* VIII, 19 in. *ut eorum populorum finibus vim abstinerent;* ibid. 24 extr. *quanquam Romano bello fortuna eum abstinuit*, multisque aliis locis.

tuendarum) Cf. supra ad XXIII, 38, 12.

curuliumque equorum) „Equi curules, ut ex Festo, ex glossariis veteribus graeco-latinis et codice tam Theodosiano quam Iustinianeo patet, sunt equi quadrigales, ad vehendas quadrigas in ludis circensibus publice praebiti, quemadmodum recte explicavit Dukerus. Hi ab redemtoribus, pretio, locantibus censoribus, ex aerario accepto, praebebantur.“ Stroth.

qui hastae h. g. assueverant) Cf. supra ad XXIII, 11
32, 15 et Strothii annotationem: „Quemadmodum et apud nos in aedificiis publicis ab redemtoribus exstruendis negotium illud, auctione quadam facta, minimum postulanti locatur atque committitur, ita etiam apud Romanos — simili ritu atque in auctione fieri solebat, hasta a censoribus posita, minimum pretium poscenti opera publica locabantur.“

manu emiserat) Aliis locis Livius fere *manu mittere*, 12
quae frequentior est dictio, posuit, nisi quod etiam XXXIX, 12 extr. complures codd. habent: *ex quo manu emissa sit.* Atque id dicendi genus, quod apud Plautum quoque (cf. Aulul. V, 1, 15; Curc. II, 5, 18; Men. V, 7, 52 etc.) et Terentium (Phorm. V, 5, 2) ac posteriore tempore apud Tacitum (Ann. XV, 19) et Suetonium (Vitell. 6) invenitur, hic optimorum ac plurimorum codd. nititur auctoritate.

triumviris mensariis) V. supra ad XXIII, 21, 6.

viduarum) Hoc nomen non modo eas mulieres decla- 13
rabat, quae marito orbatae essent, sed etiam eas, quae virum non habuissent. Habebant et ipsae, sicut pupilli, tutores, qui

14 conferri: nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus, qui deferebant, quam in publica fide. Inde, si quid emptum paratumque pupillis ac viduis foret, a quaestore
15 perscribebatur. Manavit ea privatorum benignitas ex urbe etiam in castra, ut non eques, non centurio stipendium acciperent, mercenariumque increpantes vocarent, qui accepisset.

1 XIX. Q. Fabius consul ad Casilinum castra habebat, quod duum milium Campanorum et septingentorum militum
2 Hannibalis tenebatur praesidio. Praeerat Statius Metius, missus ab Cn. Magio Atellano, qui eo anno medix tuticus erat servitiaque et plebem promiscue armabat, ut castra Romana invaderet, intento consule ad Casilinum oppugnan-
3 dum. Nihil eorum Fabium fefellit. Itaque Nolam ad collegam mittit, *altero exercitu, dum Casilinum oppugna-*
4 *tur, opus esse, qui Campanis opponatur. Vel ipse, re-*

---

fere videntur pecuniis earum praefuisse, quanquam hoc proprie muneris tutorum in viduis non fuit.

14 *perscribebatur*) *Perscribere pecuniam* modus solvendi erat, non parata pecunia, sed literis, quibus solutio in mensarium aut alium quendam conferebatur, nostris temporibus notissimus. Quare nostro more reddas: *Wechsel, Staatsbillets ausstellen, die Zahlung assigniren.* Dukerus h. l. explicat: „quaestorem tanquam debitorem a tutoribus pupillorum ac viduarum per scripturam delegatum fuisse creditoribus, a quibus pupillis viduisque aliquid emtum paratumque erat, ut hi pretia illarum rerum a quaestore ex pecuniis pupillaribus ac viduarum apud aerarium depositis reciperent." Sed puto, eos nunc a quaestore pro pretio modo scripturam, finito demum bello pecuniam ipsam recepisse. Stroth.

15 *increpantes*) Cf. ad XXIII, 45, 5.

XIX.

2 *medix tuticus*) V. ad XXIII, 35, 13.

3 *Fabium fefellit*) i. e. Fabium praeteriit sive occultum Fabio erat. Plura de hac vi verbi *fallendi* v. ad XXI, 48, 5.

mittit, altero ex. — opus esse) Post *mittit*, ut saepissime, ponitur oratio obl. Exempla v. ad XXI, 24, 3. De indicativo *oppugnatur* v. supra ad XXIII, 44, 1 et cf. Weiss. §. 477 extr.

4 *si eum N. teneret*) Locutionem *locus tenet aliquem* saepius apud Livium aliosque legi, diximus ad XXI, 26, 7. Quanquam non omnibus locis plane eadem est in *tenendo* vis.

licto Nolae praesidio modico, veniret; vel, si eum Nola
teneret, et necdum securae res ab Hannibale essent, se
Ti. Gracchum proconsulem a Benevento acciturum. Hoc 5
nuntio Marcellus, duobus militum milibus Nolae in praesidio
relictis, cum cetero exercitu Casilinum venit, adventuque
eius Campani, iam moventes sese, quieverunt. Ita a duo- 6
bus consulibus Casilinum oppugnari coeptum. Ubi quum
multa, succedentes temere moenibus, Romani milites acci-
perent vulnera, neque satis inceptum succederet, Fabius,
omittendam rem parvam ac iuxta magnis difficilem absce-
dendumque inde censebat, quum res maiores instarent;
Marcellus, *multa magnis ducibus sicut non aggredienda,* 7
ita semel aggressis non dimittenda esse dicendo, *quia*
magna famae momenta in utramque partem fierent, te-

---

et necdum) *Nec* in *necdum* nonnunquam eandem vim habet quam in *necopinus, necopinans.* V. Ramsh. p. 818, et cf. Virg. Ecl. 9, 26 *quae Varo necdum perfecta canebat.*

securae r. ab H.) Hoc similiter dicitur atque *tutus ab al. re.* Cf. IX, 22 in. *securior ab Samnitibus agere.*

se — acciturum) *Se* dubiae est fidei, quippe quod in nonnullis ex optimis codd. non legatur. Cf. ad XXI, 18, 14.

Hoc nuntio) Aliis locis fere Liv. dixit: *Ad hunc nuntium.* Cf. quae dicta sunt ad XXI, 41, 3. Sed similis est vis ablativi causalis, quem hic posuit. 5

moventes sese) Cf. supra ad XXIII, 32, 13.

Ita) V. supra ad XXIII, 28, 12. 6

inceptum succederet) Cod. omnium optimus cum aliis nonnullis habet *inceptu*, qui proxime ad illum accedit: *inceptus*, tres *inceptum.* Atque hoc recipiendum visum est. Nam *inceptu* pro dativo substantivi *inceptus* habere, quod quidam vv. dd. probarunt (v. de structura infra ad c. 38, 3), Livii non patitur consuetudo, a qua alienum est nomen *inceptus.* Sed vera lectio videtur esse *inceptum;* nam *inceptu* potest natum esse omissa, quae superscripta lineola indicabatur, litera *m*, *inceptus* autem ex duplicata prima insequentis vocis litera. Ita etiam XLII, 58 in. Livius dixit: *inceptum non succedebat.* Ceteri editores praetulerunt: *inceptis succederet.*

iuxta magnis) Priscian. XVIII, p. 1172: „*Iuxta* et *prope* et dativo et accusativo iunguntur." Cf. Lucret. d. r. n. 1, 445 *Quare in utraque mihi pariter ratione videtur Errasse atque ollis iuxta, quos diximus ante.*

sicut non aggredienda, ita etc.) i. e. magnorum ducum esse quidem, multa non aggredi, sed eorundem, si tale quid aggressi essent, id non infecta re dimittere. 7

8 nuit, ne irrito incepto abiretur. Vineae inde omniaque alia
operum machinationumque genera quum admoverentur, Cam-
9 panique Fabium orarent, ut abire Capuam tuto liceret, pau-
cis egressis, Marcellus portam, qua egrediebantur, occu-
pavit, caedesque promiscue omnium circa portam primo, de-
10 inde, irruptione facta, etiam in urbe fieri coepta est. Quin-
quaginta fere primo egressi Campanorum, quum ad Fabium
confugissent, praesidio eius Capuam pervenerunt. Casilinum
inter colloquia cunctationemque petentium fidem per occa-
11 sionem captum est. Captivi, quique Campanorum quique
Hannibalis militum erant, Romam missi atque ibi in carcere
inclusi sunt; oppidanorum turba per finitimos populos in
custodiam divisa.

1 XX. Quibus diebus a Casilino, re bene gesta, reces-
sum est, eis Gracchus in Lucanis aliquot cohortes, in ea
regione conscriptas, cum praefecto sociorum in agro ho-
2 stium praedatum misit. Eos effuse palatos Hanno adortus,

---

in utramque partem) „tam in bonam, si res semel suscepta obtineatur, quam in malam, si dimittatur.“ Raschig.

tenuit) V. ad XXIII, 20, 10. Recte autem Bekkerus ante nomen Marcelli magnam distinctionem sustulit. Est enim una haec cogitatio: Inceptum parum procedebat; itaque Fabius abire voluit, sed impediit Marcellus. Quam cogitationem tali orbe verborum scriptor inclusit, ut, quae ad ostendendam rei difficultatem pertinerent, in protasi poneret, apodosis autem duas faceret partes ambitu fere aequales ducum inter se ita opponendo sententias earumque rationes, ut simul, utra vicisset, exitu periodi ostenderet.

10 *Casilinum*) i. e. ipsum oppidum inter colloquia etc. — captum est. Vides igitur, causam asyndeti in oppositione esse.

11 *quique — quique*) Ita Livium saepe dicere, ostendimus ad XXII, 26, 5.

in carcere inclusi) Cf. supra ad XXIII, 2, 9.

per f. populos) V. supra ad XXIII, 15, 5.

XX.

1 *c. praefecto s.*) De praepositionis vi cf. ad XXIII, 19, 17; de praefectis sociorum ibid. ad c. 7, 3.

in agro hostium) Libri typis exscripti *in agros*. Sed optimus quisque cod. ablativum habet. Iungendum igitur, ut iam Drakenborchius docuit, *praedatum in agro*.

2 *palatos*) Nonnulli libri typis expressi: *palantes*. Sed

haud multo minorem, quam ad Beneventum acceperat, reddidit hosti cladem, atque in Bruttios raptim, ne Gracchus assequeretur, concessit. Consules Marcellus retro, unde 3
venerat, Nolam redit, Fabius in Samnium ad populandos agros recipiendasque armis, quae defecerant, urbes processit. Caudinus Samnis gravius devastatus: perusti late 4
agri, praedae pecudum hominumque actae. Oppida vi capta, 5
Compulteria, Telesia, Compsa, Melae, Fulfulae et Orbita-

---

participium praet. a dicendi consuetudine hic minime alienum est. V. supra ad XXIII, 27, 3.

reddidit h. cladem) V. ad c. 17, 7.

atque) Cf. Hand. Tursell. I, p. 480: „Quae temporis nexu proxime et continua serie cohaerent, coniunguntur per *atque*, quo notatur, id, quod factum est, aequali vel eodem modo continuari et transire in aliam rem sibi per ipsum temporis successum cognatam."

assequeretur) Non videtur supplendum esse *se*, sed absolute dictum *assequi*. Cf. XXV, 35 extr. *Ante noctem assecuti Numidae;* ibid. *ut simul pugnarent procederentque, Scipio hortabatur, priusquam pedestres copiae assequerentur;* XXVII, 48 in. *Porcius deinde assecutus cum levi armatura;* XXXIII, 8 extr. *coactus nondum assecuta parte suorum periculum summae rerum facere.* Ita et *consequi* absolute Liv. posuit. V. I, 25 sub fin. *Prius itaque, quam alter — consequi posset, et alterum Curiatium confecit;* XLII, 48 extr. *Ibi stetit classis simul opperiens, ut terrestres copiae traiicerentur, simul, ut onerariae — consequerentur;* XXXIII, 1 extr. *causa erat morae, ut hastati consequerentur.*

Consules — Marcellus — Fabius) Cf. ad c. 10, 4. 3

retro, unde v., N. redit) V. infra c. 40, 9 *navibusque Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis;* XXVIII, 36 extr. *quum classis inde retro ad Oceanum, unde venerat, fugisset;* XXXI, 45 extr. *retro, unde venerant, Sciathum et ab Sciatho Euboeam repetunt;* XXXVII, 21 extr. *inde retro, unde profecta erat, Elaeam rediit* (classis); XXXVIII, 16 ante med.; et cf. Quintil. VIII, 3, 53: *Vitanda μακρολογία, id est longior, quam oportet, sermo, ut apud Livium: Legati, non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt*, qui locus in iis libris, qui supersunt, non legitur. Neque tamen crediderim, h. l. reprehendendum in eo Livium esse, quod non solum dixerit, retro redisse Marcellum, verum etiam, ne quid praetermitterent lectores, in eum ipsum locum, unde venisset, i. e. Nolam. De locutione *retro redire* v. ad XXIII, 28, 4.

C. Samnis gr. devastatus) V. supra ad XXIII, 41, 13. 4

Compulteria) De expugnata hac urbe a Romanis iam 5

nium. Ex Lucanis Blandae, Apulorum Aecae oppugnatae.
6 Milia hostium in his urbibus viginti quinque capta aut occisa, et recepti perfugae trecenti septuaginta; quos quum Romam misisset consul, virgis in comitio caesi omnes ac
7 de saxo deiecti. Haec a Q. Fabio intra paucos dies gesta. Marcellum ab gerundis rebus valetudo adversa Nolae tenuit.
8 Et a praetore Q. Fabio, cui circa Luceriam provincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum, stativaque ad Ardoneas communita.

9 Dum haec aliis locis ab Romanis geruntur, iam Tarentum pervenerat Hannibal cum maxima omnium, quacunque
10 ierat, clade. In Tarentino demum agro pacatum incedere agmen coepit. Nihil ibi violatum neque usquam via exces-

---

supra memoraverat Livius XXIII, 39, 6. Itaque aut iterum ea ad Poenos defecerat idque praetermisit Livius memorare aut temporis rationem altero loco parum diligenter animadvertit. Cf. ad XXIII, 30, 7.

oppugnatae) Bekkerus ex Gronovii coniectura recepit: *expugnatae.* Et sane frequentissime inter se permutatae sunt in codd. hae voces, ut diximus ad XXI, 57, 6; sed hic quum facile pateat, oppugnationem talem fuisse, ut eam exciperet expugnatio, videtur codicum omnium scriptura retineri posse.

6 *in comitio*) De comitio, fori parte quadam, dictum ad XXII, 7, 7.

de saxo) i. e. Tarpeio, quod in hac locutione saepe omittitur.

7 *ab g. rebus v. a. Nolae tenuit*) In *tenendo* quum nonnunquam vis sit retinendi sive prohibendi, potest, ut hoc loco, addi *ab* vel etiam *ne.* V. X, 5 in. *vix ab impetu et cursu tenebantur;* VII, 8 extr. *Diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne — signum dare posset.* Cf. ad XXII, 19, 10. Est autem h. l. zeugma quoddam, quum non una eademque vi verbum *tenendi* iunctum sit nomini *Nolae* et verbis *ab gerundis rebus.*

8 *circa Luceriam*) V. supra ad c. 11, 2.

9 *aliis locis*) Gronovius legi mavult: *aliis atque aliis locis.* Atque ita Livium saepe dixisse, interpretes ostenderunt. V. II, 11 in. *ut praedatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis traiiceret;* VII, 39 ante med. *quos consul aliis atque aliis — causis mittebat;* XXV, 23 post in. *et idem saepius eodem modo alii atque alii;* XXVII, 25 med.; XXVIII, 35 in.; XXX, 28 sub fin. et saepe alibi. Neque tamen ea mutatione opus est. Cf. infra ad c. 34, 5.

10 *via excessum est*) V. ad c. 3, 15.

sum est; apparebatque, non id modestia militum aut ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos, fieri. Ceterum 11
quum propemodo muris successisset, nullo ad conspectum primi agminis, ut rebatur, motu facto, castra ab urbe ferme passus mille locat. Tarenti triduo ante, quam Hannibal ad 12
moenia accederet, a M. Valerio propraetore, qui classi ad Brundisium praeerat, missus M. Livius, priore conscripta 13

---

nisi) Quod uno ore interpretes hic affirmant, *nisi* positum esse pro *sed*, probari non videtur posse. Neque enim eam vim adversativam, quae post voces negantes in *sed* est, vox *nisi* habet, sed etiam iis locis, ubi pro *sed* videtur posita esse, exceptionem infert, quae tamen non semper ad ea, quae verbis expressa sunt, sed nonnunquam ad ea, quae cogitatione supplenda, refertur. Hoc igitur loco, adiectis verbis *nisi ad conciliandos Tarentinorum animos,* non positum est, quod contrarium est prioribus, sed quod excipitur, ut vera sint, quae Livius dixit. Itaque non omnino negat modestiae fuisse, quae Poeni fecerint, sed alius modestiae quam eius, quae conciliandos Tarentinorum animos spectaret.

propemodo muris successisset) Vulgo: *quum prope iam moenibus accessisset.* Sed in optimis codd. est: 11
quum propemodo quis accessisset, unde Gronovius coniecit, quod supra positum est, idque retinendum, donec certius aliquid repertum sit, videtur. *Propemodo* etiam apud Plautum legitur (cf. Pseud. I, 3, 42). Neque sane eiusmodi rariores voces, ut aliis locis dictum est, a Livii dictione alienae sunt. Et potest comparari *postmodo*, quo frequenter usus est. V. II, 24 post med.; ibid. 43 sub fin.; III, 41 med.; IV, 7 med.; VI, 30 in.; XXV, 38 med. etc. Fortasse tamen verum est, quod in uno cod. legitur: *prope moenibus. Successisset* recte videntur Gronovius et Bekkerus pro *accessisset* dedisse; nam *accedere muris* Livianum non est.

nullo — ut rebatur, m. f.) Si verba interposita spectes, dicendum videtur fuisse: *non — ut rebatur, motu facto.* Gravius igitur quam accuratius praemisit Livius *nullo.* Cf. quae diximus ad XXII, 17, 6. Ceterum quod Drakenborchii libri tantum non omnes in iisque praestantissimus Flor. praebent: *ad conspectum primum agminis* pro vulgata: *ad c. primi agminis*, probabile esset, nisi obstaret verborum collocatio. Nam Livium credibile est scripturum fuisse *ad primum conspectum.* Cf. XXII, 7, 13; supra c. 5, 2; XXVIII, 40 med.; XXXV, 11 med.; XXII, 7, 6; 28, 9.

triduo ante) Cum his verbis iungendum: *missus M.* 12
Livius.

M. Livius priore conscr. i.) Nomen proprium in 13
nullo reperitur cod., sed optimus quum praebeat: *missus ibisin*

iuventute, dispositisque ad omnes portas circaque muros, qua res postulabat, stationibus, die ac nocte plurimum intentus neque hostibus neque dubiis sociis loci quicquam prae-
14 buit ad tentandum. Quare, diebus aliquot frustra ibi absumptis, Hannibal, quum eorum nemo, qui ad lacum Averni adissent, aut ipsi venirent aut nuntium literasve mitterent, vana promissa se temere secutum cernens, castra inde mo-
15 vit. Tum quoque intacto agro Tarentino, quanquam simulata lenitas nihildum profuerat, tamen spe labefactandae

---

priore, recte illud reposuisse videntur editores. Pro *priore*, quod in omnibus codd. legitur, Gronovius, quem secuti sunt ceteri editores, dedit *primore*, quod perperam videtur fecisse. Nam etsi saepissime inter se permutatae sunt eae voces, non tamen hic probabiliter ex coniectura pones *primore*, partim quod Livius semper pluraliter id verbum dixit, nusquam singulariter, partim quod causa, cur primorem iuventutem i. e. dignitate antecellentem Livius conscripserit, non aliam quoque, minus in promtu est. Videtur igitur praeferendum esse quod codices habent *priore*, ut praestantiorem seu meliorem partem iuventutis conscripsisse dicatur. Cf. XXVII, 8 post in. *ut nemo tota iuventute haberetur prior;* supra ad XXIII, 28, 1. Ordinem autem verborum ex optimis et plurimis libris restituimus. Vulgo: *iuventute conscripta.*

plurimum intentus) Optimi codd. habent: *puuia* vel *pluvia*, inde alii *plurima*. *Plurimum* pro adverbio Livius posuit etiam VII, 40 extr. *cui plurimum vos imperatori vestro crederetis;* XXXIII, 9 in. *dextro cornu rex, loci plurimum auxilio, — vincebat;* XLII, 33 sub fin. *quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset* (si vera eo loco scriptura vulgata). Crevierius propter optimorum librorum lectionem scribendum censuit *iuxta intentus*. Cf. supra ad XXIII, 28, 3. Nisi forte *p* ut saepe positum est pro *d* et Livius scripsit: *ad omnia intentus* ut XXVI, 44 in.

dubiis sociis) Cf. infra c. 39, 9; XXIII, 28, 3 *per dubios infestosque populos iuxta intentus;* XLIV, 18 post in. *qui fideles nobis socii, qui dubii suspensaeque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderentur;* IX, 15 in. *Apuli, gens dubiae ad id voluntatis.*

ad tentandum) *Tentare* hic absolute positum. Cf. supra ad XXIII, 37, 4 et de vi vocis supra ad c. 1, 1.

14 *ipsi venirent*) Pluralem numerum ut poneret Livius, quum praecessisset *nemo*, videntur interiecta verba: *qui ad lacum Averni adissent*, effecisse, quippe quibus factum sit, ut hic numerus iam in mente scriptoris praevaleret. Praeterea cf. IV, 35 extr. *neminem se plebeium contemturum, ubi contemni desissent;* Z. §. 376; Weiss. §. 156. 2.

fidei haud absistens, Salapiam ut venit, frumentum ex agris Metapontino atque Heracleensi (iam enim aestas exacta erat, et hibernis placebat locus) comportat. Praedatum 16
inde Numidae Maurique per Sallentinum agrum proximosque Apuliae saltus dimissi; unde ceterae praedae haud multum, equorum greges maxime abacti, e quibus ad quattuor milia domanda equitibus divisa.

XXI. Romani, quum bellum nequaquam contemnendum 1
in Sicilia oriretur, morsque tyranni duces magis impigros dedisset Syracusanis quam causam aut animos mutasset, M. Marcello alteri consulum eam provinciam decernunt. Se- 2
cundum Hieronymi caedem primo tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat vociferatumque ferociter, parentandum regi sanguine coniuratorum esse; deinde libertatis restitutae 3
dulce auditu nomen crebro usurpatum, spes facta ex pecu-

---

ex agris M. atque H.) V. ad XXIII, 29, 4. 15
iam enim aestas) Hoc recte videntur Gronovius et Bekkerus reposuisse. Vulgo: *iam media aestas*. Illud et sententiae magis convenit et optimi libri scriptura (*iameni*) nititur.

XXI.

oriretur) Nihil hic annotarunt editores, num omnes libri 1
hanc formam praebeant. Cf. supra ad XXIII, 7, 8.
causam) i. e. eam rem, quae disceptationem bellumque inter Romanos et Syracusanos moveret. Cf. supra c. 6 et 7.
tumultuatum) Passivo genere huius verbi aliis quo- 2
que locis Livius usus est. V. XXI, 16, 4; XXXVI, 44, 4. Quod sequitur passivum *vociferatum*, non alio loco apud eum legitur. Cf. Ramsh. I, p. 205 et 206; Weiss. §. 138. 5.
in Leontinis) Incolarum est nomen, pro nomine urbis positum. Hinc adiecta praepositio. Cf. infra c. 23, 3; c. 29, 6; supra ad XXIII, 41, 13.
militiaeque f. potioribus d.) Vulgo: *militi atque*, 3
unde verum optime restituit Gronovius. *Potioribus ducibus* ablativus est absolutus non aliud significans, quam si Livius dixisset: sub potioribus ducibus i. e. bello melioribus gratioribusque militi. Quod idem Gronovius coniecit: *militiaeque fungendae potioris ducibus*, recte videntur recentiores interpretes reiecisse. Neque enim, ut ait Strothius, tam perspicuum est, quomodo ducibus, sublato Hieronymo, militia potior fuerit, quam militibus magnum fuisse discrimen militiae fungendae aut tyranno ignavo et pessimo duce aut potioribus ducibus in republica libera.

nia regia largitionis militiaeque fungendae potioribus duci-
bus et relata tyranni foeda scelera foedioresque libidines
adeo mutavere animos, ut insepultum iacere corpus paullo
4 ante desiderati regis paterentur. Quum ceteri ex coniura-
tis ad exercitum obtinendum remansissent, Theodotus et
Sosis regiis equis, quanto maximo cursu poterant, ut igna-
ros omnium regios opprimerent, Syracusas contendunt.
5 Ceterum praevenerat non fama solum, qua nihil in talibus
6 rebus est celerius, sed nuntius etiam ex regiis servis. Ita-
que Andranodorus et Insulam et arcem et alia, quae pote-
7 rat, quaeque opportuna erant, praesidiis firmarat. Hexa-
pylo Theodotus ac Sosis post solis occasum iam obscura
luce invecti, quum cruentam regiam vestem atque insigne
capitis ostentarent, travecti per Tycham, simul ad liber-
tatem simul ad arma vocantes, in Achradinam convenire
8 iubent. Multitudo pars procurrit in vias, pars in vestibulis

---

foeda sc. foedioresque lib.) Perquam frequens apud Livium haec adiectio est adiectivorum vel adverbiorum in gradu comparativo vel ad idem vel ad aliud nomen relatorum. V. infra c. 26, 14; I, 7 med. *venerabilis vir miraculo literarum, — venerabilior divinitate credita Carmentae matris*; ibid. 56 med. *per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria;* II, 29 med. *Senatus tumultuose vocatus, tumultuosius consulitur;* V, 27 in. *scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit;* VI, 11 in. *grave bellum foris, gravior domi seditio exorta;* ibid. 37 extr. *magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda.* Similiter plurimis aliis locis.

4 *quanto maximo c. p.*) V. ad XXIII, 16, 12 et de genit. *omnium* ibid. ad 20, 10.

6 *opportuna*) i. e. ad firmandum praesidiis sive ad repellendam hostium vim. Cf. XXVII, 28 med. *oppidanos per muros urbisque opportuna loca in stationibus disponunt.*

7 *Hexapylo*) V. ad XXIII, 47, 8.

obscura luce) Similia v. ad XXII, 4, 4; supra XXIII, 10, 7 *luce clara.*

in Achradinam) Cf. infra ad c. 23, 4.

convenire iubent) V. ad XXIII, 45, 1.

8 *procurrit — stat — prospectant — rogitant*) „Mallem", inquit Strothius, „etiam *procurrunt — stant.*" Sed, ut aliis locis ostendimus, in contra positis mutare orationis formas Latinorum consuetudo solet. Et hic quidem gratam varietatem habet primum cogitatio multorum sub unum adspectum cadentium, deinde aliorum separatim prospectantium hinc illinc

stat, pars ex tectis fenestrisque prospectant, et, quid rei
sit, rogitant. Omnia luminibus collucent strepituque vario 9
complentur. Armati locis patentibus congregantur; inermes
ex Olympii Iovis templo spolia Gallorum Illyriorumque, dono
data Hieroni a populo Romano fixaque ab eo, detrahunt, 10
precantes Iovem, ut volens propitius praebeat sacra arma
pro patria, pro deum delubris, pro libertate sese armanti-
bus. Haec quoque multitudo stationibus per principes re- 11
gionum urbis dispositis adiungitur. In Insula inter cetera
Andranodorus praesidiis firmat horrea publica. Locus, saxo 12
quadrato saeptus atque arcis in modum emunitus, capitur
ab iuventute, quae praesidio eius loci attributa erat, mit-
tuntque nuntios in Achradinam, horrea frumentumque in
senatus potestate esse.

---

ex tectis fenestrisque vel inter se super ea re rogitantium. Vides autem ex h. l., non alienas a veterum consuetudine fuisse fenestras in publicum versas. Cf. XL, 7 extr.

ex Olympii Iovis t.) V. ind. geogr. v. *Syracusae.* 9

volens propitius) De his adiectivis frequenter iunctis 10
eorumque discrimine dictum ad XXII, 37, 12.

per principes reg. urbis) i. e. per primarias urbis 11
regiones. Stroth. Ceterum Heusingerum secuti distinctionem, qua verba *stationibus — dispositis* a reliquis in multis libris separantur, sustulimus. Neque enim huius potissimum multitudinis, quae serius ceperat arma, poterat esse, stationes per primarias regiones urbis disponere, sed potius stationibus eorum, qui prius armati in loca patentia convenerant, adiungi.

inter cetera) i. e. quae firmarat praesidiis. De loquendi genere v. ad XXI, 46, 1. Valde autem arridet Crevierii coniectura *firmarat.* Certe debebat ita scribere Livius, quum supra (§. 6) dixerit: *Insulam et arcem et alia, quae poterat, quaeque opportuna erant, praesidiis firmarat,* ut vix credibile sit, horrea eaque arcis in modum emunita serius firmata praesidio esse. Etiam verba *inter cetera* plusquamperfectum videntur postulare.

emunitus) i. e. magnopere munitus. Cf. ad XXI, 7, 7. 12

praesidio — attributa erat) Explicant fere: destinata erat ad praesidium eius loci. Conf. V, 19 extr. *senae horae operi attributae sunt.* Nisi tamen *praesidium* dicuntur milites iam, antequam haec fierent, ad horrea collocati i. e. mercenarii (quales postea saepe commemorantur, v. c. c. 32, 7, ubi item opponuntur iuventuti popularium), quibus tum attributa est iuventus ea, de qua h. l. Livius dicit. Eo videtur ducere, quod Livius dixit: *locus — capitur ab iuventute.*

1 XXII. Luce prima populus omnis, armatus inermisque, in Achradinam ad curiam convenit. Ibi pro Concordiae ara, quae in eo sita loco erat, ex principibus unus nomine Polyaenus concionem et liberam et moderatam habuit:
2 *Servitudinis indignitatisque homines expertos, adversus*

XXII.

1 *armatus inermisque*) Haec verba per appositionem referuntur ad *populum omnem;* quare commatis distinximus. Pariter distinguendum XXXVII, 6 post in. *oppidani — in arcem, quam inexpugnabilem habent, omnes, armati atque inermes, concessere.*

pro Concordiae ara) i. e. in prima parte arae (*vorn auf*). V. infra §. 13 *Ibi in aram Concordiae, ex qua pridie Polyaenus concionatus erat, escendit;* XXVI, 41 post in. *ut pro ripa Iberi stantes arceamus transitu hostes;* Tac. Ann. II, 13 *postquam crebras pro munimentis cohortes — sensere;* Hist. III, 31 *velamenta et infulas pro muris ostentant.* Cf. supra ad XXIII, 29, 4.

2 *Servitudinis*) Haec vox, quam omnium prope optimorumque codd. consensus tuetur, praeter hunc locum apud veteres scriptores non legitur, nisi quod apud Festum est: *eritudo ut servitudo* et apud Livium XXXIX, 37 post in. unus cod. eandem praebet. Neque mutandam eam, quae sententia est Ottonis, scribendumque *servitutes indignitatesque* censuerim. Nam quum plurima habeat Livius ἅπαξ εἰρημένα (cf. supra ad c. 16, 3), cur hoc potissimum, memoratum insuper etiam a Festo, expellamus ponamusque pro eo *servitutes*, quae forma numeri plur. ne ipsa quidem apud Livium aliosque bonos scriptores usquam legitur? Magis dubia altera quaestio videtur haec, num genitivus retinendus sit. Nam alibi Livius *experto*, ubi eam, quam h. l., vim habet, semper adiunxit accusativum; nec apud alios scriptores genitivum reperias, quum quod apud Virgilium (Aen. X, 173) et Tacitum (Hist. IV, 76) legitur, *expertus belli* aliam admittat explicationem. V. Weiss. §. 268; Ramsh. p. 448 extr. n.; Z. §. 400; Sch. p. 461. Accedit, quod paene nulla est mutatio, si scribas: *servitudines indignitatesque.* Pluralem autem *servitudines* (nam *indignitates* Livius aliique saepius dixerunt v. ad Liv. XXI, 44, 4) defendas analogia aliorum substantivorum in *tudo* exeuntium, quorum creber usus numeri plur. est. Ita Livius ipse non semel habet *altitudines* (v. ad XXI, 30, 6); Cicero autem saepe posuit *turpitudines* v. c. de inv. II, 11, 37 etc.; *aegritudines* v. c. Tusc. III, 19 extr. etc.; multis locis *sollicitudines; amplitudines* v. c. Fin. IV, 7, 18 etc.; *magnitudines* v. c. de orat. III, 33 in. etc.; *consuetudines* v. c. Mil. 8, 21 etc.; *similitudines* v. Acad. II, 17, 54 etc.; *dissimilitudines* Fat. 4 extr. etc. et quae alia huius generis non pauca apud eum leguntur. Quae si consideres, possis etiam suspicari, in ponendo n. plur. causam adhibendae insolentioris formae Livio

notum malum irritatos esse; discordia civilis quas importet clades, audisse magis a patribus Syracusanos, quam ipsos vidisse. Arma quod impigre ceperint, lau- 3
dare; magis laudaturum, si non utantur, nisi ultima necessitate coacti. In praesentia legatos ad Andrano- 4
dorum mitti placere, qui denuntient, ut in potestate senatus ac populi sit, portas Insulae aperiat, reddat praesidium. Si tutelam alieni regni suum regnum ve- 5
lit facere, eundem se censere, multo acrius ab Andranodoro quam ab Hieronymo repeti libertatem. Ab hac 6

---

fuisse. Sed haec omnia quanquam ita se habent, tamen res nondum videtur certa esse, quum et alibi rarissimis structuris Livius usus sit (cf. supra ad c. 15, 7; infra ad c. 25, 9), et quae in *experto* est vis, genitivum non respuat. V. Sch. p. 397; Z. §. 437; Weiss. §. 234. n. Quare vulgatam scripturam retinuimus.

indignitatisque) i. e. iniuriarum. Cf. de huius vocis vi ad XXI, 44, 4.

adv. notum malum) Opponitur notum malum ignoto i. e. cladibus, quas importet discordia civilis. Est igitur sententia haec: Irritatos eos esse adversus notum malum servitutis indignitatisque, sed instare ignotum atque grave malum ex discordia civili. Itaque cavendum ab hoc esse.

denuntient) *Denuntiare* saepe est minaciter aliquid di- 4
centium (*bedeuten*).

portas I. aperiat) Vulgo: *portae Insulae pateant.* Sed codd. tantum non omnes habent: *portas I. p.*, optimus autem: *portas I. apeat*, quod, ut primus vidit Gronovius, natum videtur ex *aperiat.* Hoc igitur cum Bekkero recipiendum putavimus. Strothius aliique dederunt: *portas I. patefaciat.*

reddat praesidium) i. e. milites praesidiarios. Nam locum militibus firmatum intelligere (cf. ad XXI, 57, 8), quod Crevierius fecit, minus probabile est, quod ita eadem fit sententia, quae est in verbis: *portas Insulae aperiat.*

alieni regni) Intelligitur regnum Hieronymi, cuius 5
tutor fuerat Andranodorus.

eundem se c.) „i. e. se, qui ante censuerit, armis non utendum esse, *eundem* i. e. ipsum quoque, censere etc.“ Raschig. V. XXVI, 41 med. *Quid igitur minus conveniat, milites, quam — vos hic — sustinuisse labantem fortunam populi Rom.; nunc eosdem — animis deficere?* XXVII, 18 sub fin.; XXXI, 29 post in.

repeti libertatem) Eadem structura *censendi* Livius aliis locis usus est. V. II, 5 in. *quae reddi ante censuerant;* XXI, 20, 4 *censere — ipsos id avertere in se;* XXVI, 32 in.

concione legati missi sunt. Senatus inde haberi coeptus est, quod sicut, regnante Hierone, manserat publicum consilium, ita post mortem eius ante eam diem nulla de re ne-
7 que convocati neque consulti fuerant. Ut ventum ad Andranodorum est, ipsum quidem movebat et civium consensus et quum aliae occupatae urbis partes, tum pars Insulae
8 vel munitissima prodita atque alienata; sed evocatum eum ab legatis Damarata uxor, filia Hieronis, inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu, admonet saepe usurpatae

---

quum — magna pars senatus — cum tyrannis bellum gerendum fuisse censerent, — et urbem recipi, non capi, et receptam legibus antiquis et libertate stabiliri, non fessam miseranda servitute bello affligi; XLII, 33 post med. *quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset;* XLIII, 5 extr.; XLV, 44 sub fin. Cf. supra ad XXIII, 38, 7. *Repetere* proprie esse iure aliquid postulantium diximus ad XXI, 3, 4.

6 *Ab hac concione*) V. supra ad XXIII, 6, 1.

publicum consilium) V. ad XXIII, 22, 2.

convocati — fuerant) V. ad XXIII, 14, 8 et supra ad c. 2, 8.

7 *vel munitissima*) Codd. omnes: *velut munitissima.* Veram scripturam restituit Gronovius. Nam *ut* natum videtur ex repetita prima sequentis vocis litera. Alii, auctore Kreyssigio, transposita voce *velut*, dant: *tum pars Insulae munitissima velut prodita atque alienata.* Sed ut recte *velut proditum* Livius dixit XXXIII, 1 extr. et XXXVIII, 6 extr., ita h. l. non potuit *velut proditum atque alienatum* dici, quod vere proditum atque alienatum erat. Itaque etiam infra c. 25, 4 Andranodorus dicitur *proditus ab eis, qui in Insula erant.* Maximam autem distinctionem, quam alii posuerunt post *alienata,* sustulimus. Nam haec cum sequentibus in unum verborum circuitum coniungi se voluisse, Livius ostendit praemissa particula *quidem.*

8 *evocatum ab l.*) i. e. vocatum ex eo loco, ubi cum legatis erat, sive sevocatum, ut ipsa secreto cum eo colloqueretur. Neque semper verbo *evocandi* adiicitur mentio loci, unde aliquis arcessitur, qui tamen et ipse hic significatur verbis: *ab legatis.* Pariter *evocare ad colloquium* Livius dixit supra XXIII, 43, 9 et hoc libro c. 1, 5; IV, 10 in.

regiis animis) i. e. regio fastu. Nam ita frequenter *animos* poni, ostendimus ad XXII, 26, 1.

s. usurpatae Dionysii t. vocis) Dukerus scribendum coniecit: *Dionysio tyranno*, ut non alios, sed Dionysium ipsum hoc saepe in ore habuisse mulier dicat. Comparat II, 40 extr. *hanc saepe eum* (Coriolanum) *exacta aetate usurpasse*

9 Dionysii tyranni vocis, qua, *pedibus tractum, non insidentem equo, relinquere tyrannidem* dixerit *debere. Facile esse momento, quo quis velit, cedere possessione magnae fortunae: facere et parare eam difficile atque arduum esse. 10 Spatium sumeret ad consultandum ab legatis. Eo uteretur ad arcessendos ex Leontinis milites: quibus si pecuniam regiam pollicitus esset, omnia in potestate eius futura.* Haec muliebria consilia Andra- 11

---

vocem. De dativo verbis passivis addito v. supra ad XXIII, 43, 6. Sed in re incerta codicum videtur fide standum esse. Itaque ipsum Andranodorum aut alios, non Dionysium, saepe usos ea voce dici crediderim. Cf. autem Strothii annotatio: „Si originem quaeras, non Dionysius auctor huius sententiae est, sed Philistus historicus, Dionysii necessarius. Sic enim Diodorus lib. XIV, cap. 8 rem narrat; quum Dionysius maxima Syracusanorum seditione oppressus atque inops consilii amicos consuluisset, atque Polyxenus dixisset: *δεῖν λαβόντα τὸν ὀξύτατον ἵππον εἰς τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπικράτειαν ἀφιππεῦσαι*, Philistum respondisse: *προσήκειν οὐκ ἐφ᾽ ἵππου θέοντος ἐκπηδᾶν ἐκ τῆς τυραννίδος, ἀλλὰ τοῦ σκέλους ἑλκόμενον προσπίπτειν.* Quod consilium secutus est Dionysius. — Sententia est, non praecipitandam tantam rem, neque regnum temere, nec nisi ultima necessitate cogente relinquendum.“ Plutarchus tamen (Dio p. 974), ipsum Philistum negasse, se auctorem eius vocis fuisse prodidit.

relinquere t. debere) Deest pronomen indefinitum. 9
Cf. Ramsh. p. 635; Weiss. §. 162; Z. §. 608.

momento) Genitivum tempus significantem a Livio huic voci saepe non addi, ostendimus ad XXI, 14, 3.

difficile atque arduum) De discrimine harum vocum disputat Doederlinius Syn. II, p. 105 ostendens, *difficile* relative poni i. e. quatenus aliquis cogitetur cum impedimentis conflictans, *arduo* absolute exprimi quod grave sit ad effectum. Hoc autem maioris ponderis esse, ita ut nonnunquam etiam quod fieri non possit, significet.

Spatium sumeret) Hoc ex Iacobi Gronovii coniectura 10
recepimus. Ceteri editores praeter Boettcherum praetulerunt: *Paullum sumeret spatii ad c.* Sed *spatii* a multis atque duobus optimis codd. abest. Et hi quidem praebent: *esses paulum.* Itaque recte videtur suspicatus esse Iac. Gronovius ex *esse spatium* ortum esse *esse spaullum.*

ad consultandum) *Consultare* pariter atque *consulere* (v. supra ad XXIII, 20, 9) non raro absolute dicitur, praesertim in gerundio. V. IX, 9 post med. *dum senes ab domo ad consultandum arcessunt;* infra c. 38, 4 *Noctem unam aegre ad consultandum sumsi;* XXX, 16 extr.

nodorus neque tota aspernatus est neque extemplo accepit, tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in prae-
12 sentia tempori cessisset. Itaque legatos renuntiare iussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero die luce prima, patefactis Insulae portis, in forum Achradinae
13 venit. Ibi in aram Concordiae, ex qua pridie Polyaenus concionatus erat, escendit, orationemque eam orsus est,
14 qua primum cunctationis suae veniam petivit. *Se enim clausas habuisse portas, non separantem suas res a publicis, sed strictis semel gladiis timentem, qui finis caedibus esset futurus: utrum, quod satis libertati foret, contenti nece tyranni essent, an, quicunque aut propinquitate aut affinitate aut aliquibus ministeriis regiam contigissent, alienae culpae rei trucidarentur.*
15 *Postquam animadvertit, eos, qui liberassent patriam,*

---

13 *cunctationis suae veniam p.*) Bauerus quaerit, nonne praeferendum sit *cunctationi.* Utroque modo Livius et dicere potuit et dixit, ut genitivum posuit VII, 20 in. *ad petendam erroris veniam;* XXXVIII, 13 extr. *veniam erroris petebant;* dativum III, 12 extr. *veniam errori atque adolescentiae petendo;* XL, 15 post med. Genitivus aptus est ex solo vocabulo *veniae*, dativus ex tota locutione *veniam petere*, ita ut non homini, i. e. Andranodoro, veniam petendo consuli dicatur, sed ipsi cunctationi, ea ne damnetur. Cf. supra ad c. 15, 3. De perfecto cf. quae dicta sunt ad XXIII, 44, 5.

14 *clausas habuisse*) i. e. clausas tenuisse. Plura eiusmodi v. ad XXII, 23, 2.

timentem, qui f. — utrum etc.) *Timere* h. l. significat cum timore cogitare. Inde patet, quomodo ea, quae sequuntur, verba referri possint ad vocem timendi.

aliquibus) Cod. optimus: *aliquis.* Quare Boettcherus recepit: *aliqueis.* Eandem formam dativi (*aliquis*) etiam XXVI, 49, 6 nonnulli ex optimis codd. habent. Nondum tamen, num veteres ita dixerint, satis videtur exploratum.

15 *Postquam animadvertit*) Nonnulli editores ex Gronovii coniectura scripserunt: *Postquam animadverterit.* Verum enuntiationes secundarias obliquae orationi insertas saepe a Livio ita poni, ut non ad loquentium cogitationem referantur, aliis locis ostendimus. Exempla v. ad XXI, 3, 3; cf. et ad XXIII, 44, 1. Valet hoc inprimis, ubi una notio, quae menti scriptoris obversabatur, pluribus verbis expressa est. Ita h. l. *postquam animadvertit* non multum differt a locutionibus *au-*

servare etiam liberatam velle, atque undique consuli in medium, non dubitasse, quin et corpus suum et cetera omnia, quae suae fidei tutelaeque essent, quoniam eum, qui mandasset, suus furor absumpsisset, patriae restitueret. Conversus deinde ad interfectores tyranni, ac no- 16
mine appellans Theodotum ac Sosim: *Facinus*, inquit, *memorabile fecistis. Sed, mihi credite, inchoata vestra* 17
gloria, nondum perfecta, est, periculumque ingens manet, nisi paci et concordiae consulitis, ne libera efferatur respublica.

---

dito sive *cognito* et quae sunt eiusdem generis. Similiter igitur IX, 25 med. orationi obliquae interpositum: *simul ad Lautulas pugnatum audierunt.*

liberatam) V. supra ad c. 1, 8.

consuli in medium) Cf. XXVI, 12 in. *quemadmodum nemo privato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur;* Curt. VIII, 14 med. *alius iungere aciem, alius dividere: stare quidam, et nonnulli circumvehi terga hostium iubebant: nihil in medium consulebatur;* Tac. Hist. II, 37 *dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent vel senatui permitterent, legere imperatorem.* Eadem sententia dicitur *in commune consuli* ut Curt. IX, 1 med.

corpus suum) ut Germani: *seine Person.* Plura v. ad XXII, 22, 7.

suus f.) V. ad XXIII, 7, 2.

Facinus — fecistis) V. supra ad XXIII, 19, 18; I, 41 16
post in. *qui alienis manibus pessimum facinus fecere.* Sic et Cicero de fin. II, 29 extr. *vide, ne facinus facias,* et saepius Sallustius.

mihi credite) i. e. profecto, sine dubio. Nam haec vis 17
est locutionis, ubi ea, qua h. l. Livius, positione verborum veteres utuntur. Cf. Z. §. 796; Weiss. §. 490 n. 4. Contra quum alicui persuadere aliquid student, de quo eum suspicantur dubitare posse, praeferunt: *crede mihi,* ut Cic. Verr. IV, 59, 133; Att. XI, 6, 1; V, 10, 1 etc.

inchoata — nondum perfecta) V. supra ad c. 8, 8.

manet) i. e. adhuc est sive superest. V. I, 53 sub fin. *manere his bellum, quod positum simuletur;* V, 27 in. *quod hodie quoque in Graecia manet;* XXXIII, 13 sub fin. *quae* (pax) *si maneret, captarum tamen urbium illa lex foret.*

efferatur resp.) Dissentiunt in hoc loco interpretando vv. dd., alii, ut Ioannes Fridericus et Iacobus Gronovii, Dukerus, Drakenborchius, *efferri* idem esse quod insolentius se gerere statuentes, alii, quorum e numero sunt Sigonius, Crevie-

1 XXIII. Post hanc orationem claves portarum pecuniae-
que regiae ante pedes eorum posuit. Atque illo quidem die
dimissi ex concione laeti circa omnia fana deum supplica-
verunt cum coniugibus ac liberis; postero die comitia prae-
2 toribus creandis habita. Creatus in primis Andranodorus,
ceteri magna ex parte interfectores tyranni. Duos etiam
3 absentes, Sopatrum ac Dinomenem, fecerunt. Qui, auditis,
quae Syracusis acta erant, pecuniam regiam, quae in Leon-
tinis erat, Syracusas devectam, quaestoribus ad id ipsum
4 creatis tradiderunt. Et ea, quae in Insula erat, Achradinam

---

rius, Strothius, Heusingerus, ut multis locis, ita hoc quoque sepeliendi vim in eo verbo rati inesse. Et haec quidem interpretatio nihil dubitamus quin vera sit. Nam alteram si accurate spectes, primum videbis, in *efferendo*, quod per se nihil aliud est nisi in altum ferre, minorem vim esse, quam ut post verba: *periculum ingens manet*, recte potuerit poni; deinde inter bella et discordiam non tam metuendum erat, ne nimis extollerentur civium animi, quam ne distracta in partes respublica interiret. Denique vereor, ne, illud si Livius diceret, civitatem positurus fuerit pro republica. Eadem igitur hic metaphora usus est atque XXVIII, 28 extr., ubi Scipionem facit dicentem: *Meo unius funere elata populi Romani esset respublica?* XXXI, 29 sub fin., ubi Macedones: *Capua quidem, sepulcrum ac monumentum Campani populi, elato atque extorri eiecto ipso populo, superest.*

XXIII.

1 *Atque — quidem*) Hand. Tursell. I, p. 502: „Transit (per *atque — quidem*) oratio ad rem per singulas partes accuratius definiendam.“ V. supra ad c. 1, 11; XXVII, 18 in.

laeti) Drakenborchius, Crevierius, Kreyssigius, alii, hanc vocem coniungunt cum *dimissi*. Malim equidem Livii sententiam hanc esse: postquam dimissi ex concione sunt, laeti — supplicaverunt, ut ratio supplicandi, quod ex sollicitudine animi aeque ac laetitia oriri potest, ostendatur.

praetoribus creandis) V. Z. §. 665; Weiss. §. 305. 3. Optimi codd. suppeditant: *praetorum*, unde Salmasius scribendum coniecit: *comitia praetorum creandi.* V. de ea structura Z. §. 661; Sch. p. 564; Weiss. §. 327 n. 3. Haec autem structura quum apud Livium nullo alio loco legatur, recte videtur Drakenborchius suspicatus esse, quum per compendium scriptum foret: *comitia pr. creandis*, in efferendo compendio librarios errasse.

4 *in Insula erat, Achradinam tr.*) Vulgo: *in Insula erat et Achradina, tradita est*, sed altera lectio, quam

tradita est, murique ea pars, quae ab cetera urbe nimis
firmo munimento intersaepiebat Insulam, consensu omnium
deiecta est. Secutae et ceterae res hanc inclinationem animorum ad libertatem.

Hippocrates atque Epicydes, audita morte tyranni, 5
quam Hippocrates etiam nuntio interfecto celare voluerat,
deserti a militibus, quia id tutissimum ex praesentibus videbatur, Syracusas rediere. Ubi ne suspecti obversarentur, 6
tanquam novandi res aliquam occasionem quaerentes, praetores primum, dein per eos senatum adeunt. *Ab Hanni-* 7
bale sese missos praedicant *ad Hieronymum tanquam*

---

optimi codd. tuentur, rei maxime convenit. Nam quum in Insula regia esset, ibi potissimum pecuniam regiam repositam fuisse, per se patet. Ea igitur expetita est, ut in Achradina sub custodia populi et quaestorum deponeretur. Nec est, quod in *tradendo*, in quo inest notio motus, accusativum *Achradinam* recte additum, dubites. Cf. et sequentia verba: *murique* etc., quae et ipsa rem continent, qua cautum est, ne quid Insula praecipuum haberet. De grammatica ratione si quaeras, Livius saepius Achradinam non in modum urbium omissa praepositione ponit. Itaque *in Achradina* dixit XXV, 31 in.; *in Achradinam* supra c. 21, 7 et §. 12; 22, 1; 32, 7; XXV, 24 med.; ibid. Contra praeter hunc locum duobus tantum locis accusativus sine praepositione positus est: XXV, 24 extr. et ibid. 30 med.

ex praesentibus) i. e. quo in statu tum res erant, 5
quum ipsi deserti a militibus suis essent, nec ullo praesidio possent defendi nisi magistratuum Syracusanorum. Laudat Strothius Tac. Ann. II, 80 *Nec Piso, quanquam coepta secus cadebant, omisit tutissima e praesentibus.* Praeterea cf. supra ad c. 21, 4.

obversarentur) „i. e. ne illic obversando et oculis 6
hominum se ingerendo suspecti fierent. Sequenti cap. §. 2 *dum regiis stipendiis pastus obversaretur miles*; XXXI, 11 post in. *magnam partem eorum palam Carthagini obversari*; XXXV, 15 sub fin. *legatusque Romanus, ne alieno tempore incommodus obversaretur, Pergamum concessit.*“ Gronov. XL, 7 in. *quum incautior obversaretur.* Plerique omnes libri perperam habent *observarentur.*

per eos) V. supra ad XXIII, 20, 8.

praedicant) *Praedicare* est clara voce atque cum con- 7
fidentia quadam dicentium. Eodem spectant breviores et abruptae, quae sequuntur, sententiae. Verbum *praedicandi* similiter Livius posuit XXXVIII, 42 med. *Huic senatusconsulto Lepidus consul intercedebat, indignum esse praedicans, con-*

amicum ac socium. Paruisse imperio eius, cuius impe-
8 *rator suus voluerit. Velle ad Hannibalem redire. Ceterum, quum iter tutum non sit, vagantibus passim per totam Siciliam Romanis armis, petere, ut praesidii dent aliquid, quo Locros in Italiam perducantur. Gratiam magnam eos parva opera apud Hannibalem inituros.*
9 Facile res impetrata: abire enim duces regios quum peritos militiae tum egentes eosdem atque audaces cupiebant; sed, quod volebant, non, quam maturato opus erat, naviter ex-
10 pediebant. Interim iuvenes militares et assueti militibus nunc apud eos ipsos nunc apud transfugas, quorum maxima pars ex navalibus sociis Romanorum erat, nunc etiam apud infimae plebis homines crimina serebant in senatum optima-
11 tesque: *id moliri clam eos atque struere, ut Syracusae*

---

sules ambos in valles Ligurum includi. — Ceterum in multis deteriorum codd. haec vox non legitur. Quare Boettcherus eam delendam iudicat.

tanquam amicum) De non repetita post *tanquam* praepositione cf. ad XXII, 8, 3. Est autem discrimen quoddam utriusque locutionis. Nam omissa praepositione hoc dicitur: ab Hannibale se missos esse ad Hieronymum, quem amicum ac socium putaret, addita autem: ab H. se missos ad H. non aliter ac si ad amicum ac socium mitterentur.

cuius imp. suus voluerit) Cf. ad XXIII, 34, 14.

8 *Locros in Italiam*) V. supra ad XXIII, 19, 8; infra ad 36, 3.

9 *egentes*) unde metuendum erat, ne odio suarum rerum mutari omnia studerent, ut turba atque seditionibus alerentur. De vi, quam habet *idem* cf. supra ad XXIII, 24, 12.

quam m. opus e., naviter exp.) Cf. XXXV, 49 med. *homo non, quam isti sunt, gloriosus.* De omissa voce correlativa cf. ad XXIII, 15, 14.

10 *iuvenes militares*) *Iuvenis militaris* seu *vir* seu *homo militaris*, non aliter atque apud Germanos *ein Kriegsmann*, fere in laudem dicitur de eo, qui in re militari multum versatus est. V. II, 56 med.; X, 24 in.; XXX, 15 extr.; XXXV, 26 extr.; XLII, 33 in. Hoc loco Livius Hippocratem et Epicydem tales dixit, ut significaret, aditum ad militum animos facile iis patuisse.

assueti militibus) *Assuetus* alicui quum proprie declaret eum, qui alicui assuevit, interdum retrorsum significat eum, cui quis assuevit seu qui alicui notus est. Cf. supra ad c. 10, 12; cap. insequ. §. 2 et infra c. 30, 12.

11 *moliri atque struere*) Haec ita differunt, ut in *mo-*

per speciem reconciliatae societatis in ditione Romanorum sint, dein factio et pauci auctores foederis renovati dominentur.

XXIV. His audiendis credendisque opportuna multitudo maior in dies Syracusas confluebat, nec Epicydi solum spem novandarum rerum, sed Andranodoro etiam, praebebat. Qui, fessus tandem uxoris vocibus, monentis, *Nunc illud esse tempus occupandi res, dum turbata omnia nova atque incondita libertate essent, dum regiis stipendiis pastus obversaretur miles, dum ab Hannibale missi duces assueti militibus iuvare possent incepta*, cum Themisto, cui Gelonis filia nupta, rem consociatam paucos post dies Aristoni cuidam tragico actori, cui et alia arcana committere assuerat, incaute aperit. Huic et genus et fortuna honesta erant; nec ars, quia nihil tale apud Graecos pudori est, ea deformabat. Itaque, fidem potiorem ratus, quam patriae debebat, indicium ad praetores defert. Qui, ubi rem haud vanam esse certis indiciis compererunt, consultis senioribus, et auctoritate eorum praesidio ad fores

1 (line: "XXIV. His audiendis ... multi-") · 2 · 3 · 4

---

liendo labor seu virium contentio, in *struendo* ars spectetur. Cf. supra ad XXIII, 34, 5.

XXIV.

1 *nec Epicydi s.*) Nonnulli codd.: *nec Hippocrati et Epicydi*; sed priores duas voces optimi non habent. Scilicet κατ᾽ ἐξοχὴν de Epicyde dicitur, quod in Hippocratem quoque cadere nemo non videt. Similiter omisso Epicyde Hippocratem solum memoravit Livius infra c. 35, 4 et 31, 4. Cf. et ad XXI, 52, 6.

2 *incondita libertate*) „incomposita, nondum legibus certoque statu civitatis formata ac firmata." Gronov.

Gelonis) V. c. 5, 3.

nupta) V. ad c. 3, 2.

3 *fortuna*) i. e. res familiaris. Nam eam huius nominis etiam in numero singulari positi vim saepe esse, ostendimus ad XXII, 10, 8.

apud Graecos) Nam apud Romanos, in scenam prodire et populo esse spectaculo, fuit turpitudini.

potiorem ratus) i. e. potiorem ea fide, quam Andranodoro deberet.

4 *ad fores*) i. e. curiae, quae statim commemoratur. Ita non raro ad explendum praemissae in enuntiatione secundaria vocis intellectum aliquid ex sequenti enuntiatione primaria repe-

posito, ingressos curiam Themistum atque Andranodorum
5 interfecerunt; et, quum tumultus ab re in speciem atrociore, causam aliis ignorantibus, ortus esset, silentio tandem facto,
6 indicem in curiam introduxerunt. Qui quum ordine omnia edocuisset, (et) principium coniurationis factum ab Harmoniae Gelonis filiae nuptiis, quibus Themisto iuncta esset;
7 Afrorum Hispanorumque auxiliares instructos ad caedem praetorum principumque aliorum, bonaque eorum praedae
8 futura interfectoribus pronuntiatum; iam mercenariorum manum assuetam imperiis Andranodori paratam fuisse ad Insulam rursus occupandam; singula deinde, quae per quosque agerentur, totamque viris armisque instructam coniurationem ante oculos posuisset; senatui quidem tam iure caesi
9 quam Hieronymus videbantur, ante curiam variae atque incertae rerum multitudinis clamor erat. Quam ferociter minitantem, in vestibulo curiae corpora coniuratorum eo metu compresserunt, ut silentes integram plebem in concionem
10 sequerentur. Sopatro mandatum ab senatu et ab collegis, ut verba faceret.

1 XXV. Is, tanquam reos ageret, ab anteacta vita or-

---

tendum esse, pluribus ostendimus ad XXI, 17, 4; supra ad XXIII, 19, 6.

5 *ab re*) De *a* praepositione causam indicante dictum ad XXI, 36, 7. V. et infra ad c. 30, 1.

6 *(et) principium*) *Et* parum aptum est videturque ex praecedentis vocis ultimarum literarum repetitione ortum.

8 *viris armisque*) V. infra ad c. 28, 4.

9 *ante curiam*) Maximam distinctionem ante haec verba cum Bekkero delevimus. Cf. supra ad c. 22, 8.

incertae rerum) V. infra c. 31, 5 *Solliciti incertique rerum suarum;* IV, 57 in. *incertus sententiae;* IX, 43 in. *incerti rerum omnium;* XXXV, 17 in. *omnium incerti.* V. Sch. p. 398; Z. §. 437.

corpora c.) „Intellige proiecta vel exposita.“ Gronov.

ut silentes — sequerentur) V. supra ad c. 3, 15.

integram plebem) „i. e. reliquam, nondum animi motu corruptam.“ Stroth. Cf. IX, 46 extr. *Aliud integer populus, fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat.*

XXV.

1 *tanquam reos ageret*) *Reum agere aliquem* quum

sus, quaecunque post Hieronis mortem sceleste atque impie facta essent, Andranodorum ac Themistum arguit fecisse. *Quid enim sua sponte fecisse Hieronymum pue-* 2
rum ac vixdum pubescentem facere potuisse? Tutores ac magistros eius sub aliena invidia regnasse. Itaque aut ante Hieronymum aut certe cum Hieronymo perire eos debuisse. At illos, debitos iam morti destinatosque, 3
alia nova scelera post mortem tyranni molitos, palam primo, quum clausis Andranodorus Insulae portis hereditatem regni creverit, quaeque procurator tenuerat, pro domino possederit; proditus deinde ab eis, qui in 4

---

proprie sit ad iudicium adducere, saepe idem valet quod accusare aliquem. V. XLV, 37 med. *Apud concionem togatam et urbanam prius reus agatur;* Propert. III, 26, 10 (ed. Lachm.) *Communis culpae cur reus unus agor?* Tac. Ann. III, 13 *utque reus agi posset, acie victum.*

fecisse) Hanc vocem insiticiam indicat Gronovius, cui 2
assentiuntur Crevierius, Heusingerus, Bekkerus. Videtur sane ea omissa melius procedere oratio, sed ferri quum possit vulgata lectio, contra omnes codd. mutandam eam non putamus. Addit *ac* quod plus est, ut significet: *ja, oder vielmehr.* V. ad XXI, 53, 4. Negat, sua sponte fecisse quicquam Hieronymum puerum atque etiam, qua aetatis imbecillitate fuerit, ne potuisse quidem facere.

sub aliena invidia) i. e. ita ut alterius, Hieronymi, invidia esset. Est eadem loquendi ratio atque in formula: *sub his conditionibus*, de qua v. ad XXI, 12, 4

aut ante H. aut c. cum H.) Cf. infra ad c. 39, 1.

debuisse) V. infra ad §. 7.

hereditatem r. creverit) „*Cernere hereditatem* est 3
proprie deliberare de hereditate, utrum eam velimus adire necne: deinde significat id, quod hanc deliberationem fere sequitur, adire hereditatem." Ernesti (cl. Cicer.). Cf. XL, 8 extr. ubi Philippus Macedo filiis, *vivo et spirante me*, inquit, *hereditatem meam ambo et spe et cupiditate improba crevistis.*

pro d. possederit) i. e. velut dominus esset. Plura v. ad XXI, 3, 4 et de verbo infra ad c. 45, 12.

proditus deinde — conatus sit) Animadverte at- 4
tractionem huius enuntiationis, quae, si verum quaeris, subiungi prioris enuntiati structurae non potuit, quum non et ipsa ad verba *palam primo* referatur, sed potius quod contrarium iis est habeat. Legitimam structuram, a qua declinavit, si sequeretur Livius, dicendum erat: *clam deinde, quum proditus Andranodorus* etc., sed quod clam hoc factum esse, ex sequentibus elucet, deinde, quod etiam hic, missa ceterorum tu-

Insula erant, circumsessus ab universa civitate, quae Achradinam tenuerit, nequicquam palam atque aperte
5 *petitum regnum clam et dolo affectare conatus sit et ne beneficio quidem atque honore potuerit vinci, quum inter liberatores patriae insidiator ipse libertatis creatus*
6 *esset praetor. Sed animos eis regios coniuges regias fecisse, alteri Hieronis, alteri Gelonis, filias nuptas.*
7 Sub hanc vocem ex omnibus partibus concionis clamor oritur, nullam earum vivere debere, nec quemquam superesse
8 tyrannorum stirpis. Haec natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur; libertatem, quae media

---

torum mentione, de eodem homine potissimum pergit dicere, de quo in praecedenti enuntiatione memoravit, denique quod structura quoque manet eadem incipiens a *quum*, ad illam, quam diximus, attractionem devenit. Hac enim effecit, ut ingratam et coniunctionis eiusdem et nominis proprii repetitionem vitaret.

palam atque aperte) inspectantibus omnibus atque omissa dissimulatione. Ceterum quum ei, quod apertum est, proprie opponatur occultum, Livius pro eo dolum posuit, quod dolo occulere rem Andranodorus studuit, idque verbum aptius est ad invidiam movendam.

5 *beneficio atque honore*) Est hendiadys. V. ad XXI, 63, 1.

vinci) Cf. supra ad XXIII, 8, 7; Curt. VI, 8 *etiamsi ipse vel poenitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet*; Sall. Iug. 9, 3 *flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est.* Aliter Liv. I, 17 extr. *Adeo id gratum plebi fuit, ut, ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent iuberentque, ut senatus decerneret, qui Romae regnaret.*

quum — cr. esset praetor) Attende vim, quae est in collocatione verborum.

7 *vivere*) *Vivere* est nonnunquam in vita remanere (*am Leben bleiben*). Ita Livius dixit XL, 49 extr. *quaesivit ab eo, ne sibi liceret ac suis vivere, quum praetor victurum respondisset, quaesivit iterum* etc.; XLII, 16 in. *victurum exigua ac prope nulla spes erat;* II, 8 post med. *periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia vivere.* Cf. supra ad XXIII, 22, 10.

debere) Hoc nonnullis locis idem fere declarat quod aequum esse. Cf. infra c. 37, 6 *Urbem arcemque suae potestatis aiunt debere esse;* III, 46 extr. *Improbum consilium serum, ut debuit, fuit.*

8 *Haec n.*) Fortasse: *ea* i. e. talis. Nam optimus cod. habet *a* (with *e* above) *natura*.

est, nec spernere modice nec habere sciunt. Et non ferme 9
desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes suppliciorum animos ad sanguinem et caedes irri-

---

spernere modice) Hanc scripturam editores post Gronovium probarunt fere omnes, ad eamque explicandam Gronovius haec attulit: „Libertatem *spernunt modice*, qui sic sunt obnoxii, ut non verniliter adulentur neque omnem libertatem amittant: qui aliquid etiam in serviendo libertatis retinent, admittunt, audent neque se deprimunt in extremum servitutis; *immodice*, qui serviunt humiliter et abiiciunt se.“ Itaque in hac scriptura sicut *habere modice libertatem* contrarium est verbis: *superbe dominatur*, ita *spernere modice* verbis *servit humiliter*. Obstat tamen, quod codd. optimi non habent *spernere*, sed pro eo *stupere*. Itaque aliud quid scriptum a Livio videtur. Neque vero placet, quod Boettcherus coniecit, *usurpare*; minus enim id differt ab *habendo*, quam ut Livius dicere potuerit: *nec usurpare modice nec habere.* Proxime ad optimorum librorum scripturam accedit, quod unus ex deterioribus praebet: *cupere*, quod si probes, haec fuerit Livii sententia: Quum homines deceat, non servire humiliter aut superbe dominari, sed potius libertatem, quae media est inter servitutem et dominationem, aut modice cupere aut modice habere, longe aliter agit multitudo: nam aut omnino non cupit libertatem aut ita cupit vel habet, ut eius cupiditate aut possessione ad saevitiam et insolentiam abripiatur. De structura *habere sciunt* plura diximus ad XXII, 51, 4.

Et non ferme) De vi, quam habet *et* cf. supra ad 9
XXIII, 13, 11. Itaque *non* refertur tantummodo ad *ferme.*

irarum ind. ministri) Genitivus aptus est ex substantivo, non ex participio. Hoc enim dicit: Non ferme desunt, qui, qua sunt indulgentia in multitudinem, eius cupiditates adiuvent.

suppliciorum) Vulgata lectio est: *plebeiorum*, sed ea nec prorsus apta videtur, quum Livium de universa multitudine nomen plebeiorum, quod in singulis fere ponit, usurpasse credibile non sit, et parum a codd. praesidii habet. Nam optimus quisque liber manu scriptus pro ea habet: *publiciorum*, alii *publicanorum*, tres, e quibus unus, qui saepius bonas scripturas servavit, *suppliciorum.* Atque haec scriptio probata etiam Crevierio nescio an vera sit. Nam et proxime accedit ad optimos libros et sententiam habet a re nihil abhorrentem, quum ministri illi dicantur multitudinis animos in expetendis poenis per se nimios ad caedes irritare. Obstare quidem videtur, quod *intemperans* non alio loco genitivum adiunctum habet, sed quum pro adiectivo possit haberi relativo, et aliis quoque adiectivis, quae alibi aut rarissime aut nusquam genitivus sequitur, Livius genitivum subiunxerit (cf. supra ad c. 9, 10; 22, 2; ad XXI, 33, 4; VI, 34 med. *moris eius insueta;* XXVIII, 17 in. *inex-*

10 tent. Sicut tum extemplo praetores rogationem promulgarunt, acceptaque paene prius quam promulgata est, ut omnes
11 regiae stirpis interficerentur. Missique a praetoribus Damaratam Hieronis et Harmoniam Gelonis filias, coniuges Andranodori et Themisti, interfecerunt.

1 XXVI. Heraclea erat filia Hieronis, uxor Zoippi, qui, legatus ab Hieronymo ad regem Ptolemaeum missus, volun-
2 tarium consciverat exsilium. Ea quum ad se quoque veniri

---

plebilis virtutis; XXVI, 39 post in. *improvidus futuri certaminis* etc.), et hic praecedat *avidos*, quod et ipsum hunc casum postulat, non tantum momentum in ea re videtur esse, ut ideo *suppliciorum* reiiciendum sit. Boettcherus, *publiciorum* probans, *Publicios* putat ex vulgatissimo gentium plebeiarum nomine in vile universae multitudinis nomen abisse, qualia nunc *Jan Hagel*, *John Bull.* Sed hoc ita temere vix quisquam crediderit.

10 *Sicut*) Ponitur hoc nonnunquam in exemplis afferendis. Cf. Liv. XLIV, 41 extr. *Sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, et interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur;* Nep. Dat. 9, 2 *quas* (insidias) *ille plerasque vitavit. Sicut, quum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari* etc. Pelop. 4, 3 *Omnibus praeterea periculis affuit. Sicut Spartam quum oppugnavit, alterum tenuit cornu;* Attic. 4, 4.

acceptaque) Iac. Perizonius scribendum coniecit: *accepta quae.* Sed interdum quae sententia poterat ope pronominis relativi reliquae orationi interponi, ita per *que* adiungitur enuntiationi primariae, ut ipsa pars eius fiat. Scilicet ut enuntiationes relativae, ita quae per *que* adiunguntur, ad exsequenda priora possunt valere. V. ad XXIII, 11, 3. Et hoc loco Livius *que* videtur praetulisse, ut haec quoque verba, quum et ipsa firmare possint prius (§. 9) dicta, referrentur ad *sicut* i. e. pro exemplo essent. Nam et non defuere ministri, quales dixit, et irritata est avida suppliciorum multitudo ad caedes. Adde ad XXIII, 8, 4.

omnes regiae stirpis) Haec scriptura quum optimorum codd. auctoritate nitatur, tamen editores ex deterioribus receperunt: *ut omnis regia stirps interficeretur.* Sed nihil est, quod ab optimis libris discedatur, quum iisdem verbis Livius XLV, 43 ante med. dixerit: *regem regiaeque omnes stirpis ceperat;* adde etiam II, 2 extr. *ut omnes Tarquiniae gentis exules essent;* IX, 42 extr. *omnes Hernici nominis populo Rom. bellum indixerunt.* Nam *omnes regiae stirpis* idem significat quod *omnes, qui regiae stirpis essent.*

11 *Missique a pr.*) *Missi*, quanquam additum *a*, pro substantivo dictum. Plura eius generis collegimus ad XXI, 5, 7.

XXVI.

2 *ad se quoque veniri*) Codd. omnes: *venire*, quod, quum

praescisset, in sacrarium ad penates confugit cum duabus filiabus virginibus, resolutis crinibus miserabilique alio habitu; et ad ea addidit preces, nunc per memoriam Hieronis 3
patris, Gelonisque fratris, *ne se innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sinerent. Nihil se ex regno illius* 4
praeter exsilium viri habere; neque fortunam suam eandem vivo Hieronymo fuisse quam sororis, neque interfecto eo causam eandem esse. Quid? quod, si Andra- 5
nodoro consilia processissent, illa cum viro fuerit regnatura, sibi cum ceteris serviendum. Si quis Zoippo nun- 6

---

omissio pronominis *eos* h. l. durior videatur, correxit Gronovius. Sic et infra c. 34, 3 optimi codd. pro *adiri* habent *adire*. Cf. II, 6 sub fin. *Sensit in se iri Brutus*; XXVIII, 7 extr. *veriti, ne ad se iretur.*

in sacrarium) „Sacraria non modo in sacris aedibus, verum in profanis etiam esse poterant, loca quaedam consecrata, vel ubi sacrae res custodirentur, vel ubi sacra gentilicia fierent." Manut. (ad Cic. ep. ad fam. XIII, 2).

miserabilique) Post hoc verbum quum quattuor vel quinque literarum vacuum spatium in optimo cod. sit, vide, nonne Livius scripserit: *miserabilique omni alio habitu.*

ad ea) Refertur *ea* ad resolutos crines miserabilemque alium habitum.

nunc per m. H.) Haec coniungenda esse cum verbis: 3
„*addidit preces*", non ipsi orationi Heracleae inserenda, recte Buettnerus monuit. Quum autem desideretur alterum *nunc*, ἀνακόλουθον esse orationem apparet. Nam quum Livii menti obversaretur, eam nunc pro se suisque, nunc, omni sui mentione omissa, pro solis filiabus preces fecisse, factum est commemoratione innocentiae Heracleae (*ne se innoxiam* etc.), ut, quod res postularet, pluribus probantem faciens eam, innoxiam se esse, vimque earum precum nullam fuisse ostendens, longius abiret ab instituto sermone multisque interiectis novum deprecandi pro filiabus exordium sumeret (§. 11). Alii Livio obversatum esse statuunt: nunc per memoriam Hieronis patris, nunc per Gelonis fratris; sed oblito praeeuntis *nunc* excidisse alteram scripturam. Neque tamen talem, tam paucis interiectis verbis, oblivionem Livii fuisse, credibile est. Boettcherus suspicatur, ante *ne* excidisse *nc* i. e. *nunc.*

invidia H. conflagrare) Quam frequenter Latini hoc dicendi genere utantur, ostendimus ad XXII, 35, 3.

fuerit regnatura — serviendum) De hac structura 5
cf. Weiss. §. 409 n.; Z. §. 497 etc.; praeterea ad XXI, 33, 9 et ibid. ad 34, 7.

Si quis Z. nuntiet) Sententia est haec: Nam suum 6

tiet, interfectum Hieronymum ac liberatas Syracusas,
cui dubium esse, quin extemplo conscensurus sit navim
7 *atque in patriam rediturus? Quantum spes hominum*
falli! In liberata patria coniugem eius ac liberos de
8 *vita dimicare, quid obstantes libertati aut legibus? Quod*
ab se cuiquam periculum, a sola ac prope vidua, et
puellis, in orbitate degentibus, esse? At enim periculi

---

virum tantum abesse, ut ullius culpae aut Hieronymi aut Andranodori affinis sit, ut, si quis ei nuntiet etc. Sed, ut in magno animi affectu, abrupte et dissolute mulier loquitur.

cui dubium esse) Multi codd.: *quid dubium esse*, unus ex praestantissimis (Flor.) a. m. pr. *qui dubium esse*. Itaque Boettcherus recepit: *quî dubium esse*. Cf. Z. §. 133 n.; Weiss. §. 143 d.; Liv. II, 4 med.; XXIX, 20 in. Sed quum frequentissimus fuerit error scribarum pro *cui* ponentium *qui* vel contra, vulgataque potius lectio Latinorum Liviique consuetudini conveniat, quod ostendit XXXVI, 7 in. *cui dubium est;* XXXVII, 15 in. *cui dubium esse;* ad hoc formulae: *haud cuiquam in dubio est; quis dubitat* aliaeque similes (cf. Liv. II, 3 in.; V, 3 in.; ibid. 5, in.; VIII, 4 med.; XXXI, 7 in. etc.) relinquendam eam non putamus.

7 *Quantum — falli!*) i. e. sed quod sperari possit, fore, ut in liberata patria felicior vivat, vanum atque irritum futurum. Nam etc. *Falli* legendum esse vidit Gronovius; nam codd. praebent *fallit*. Sed quanquam non rarus est transitus ab oratione obliqua ad rectam (v. ad XXIII, 45, 7), tamen in uno verbo, quum cetera omnia uno tenore fluant, eum ferendum esse, Strothius recte videtur negavisse. Alia res est XXXVIII, 59 in., quod exemplum afferre quis possit, quod ibi or. obliquae interponuntur verba: *Nam quid de finibus regni dicam?* Accedit quod *t* sequente *i* librariorum facili errore poni potuit. De structura v. ad XXIII, 10, 3.

de vita dimicare) i. e. vitae discrimen adire. V. III, 44 extr. *iniquum esse absentem de liberis dimicare;* Nep. Timoth. 4, 3 *ut mallet, se capitis periculum adire quam Timotheo de fama dimicanti deesse;* Cic. Sext. 1, 1 *eos — moestos, sordidatos, reos, de capite, de fama, de civitate, de fortunis, de liberis dimicantes.*

quid obstantes) Ita vividius dicit pro *nihil obstantes*, nihil tamen mutata structura. Similia v. ad XXI, 30, 6.

8 *a sola*) Praepositionem Gronovius delet. Sed ea addita quae vis maior tribuitur his verbis, quum tanquam inferentia novum aliquid magis separentur a verbis *ab se*, ea vis videtur aptissima esse. *Solam* autem propter viri absentiam se dicit. Eodem spectant verba: *in orbitate degentibus.* De *ac* cf. ad c. 25, 2.

*quidem nihil ab se timeri, invisam tamen stirpem regiam esse. Ablegarent ergo procul ab Syracusis Sici- 9
liaque et asportari Alexandriam iuberent, ad virum uxorem, ad patrem filias.* Aversis auribus animisque, 10
casse ne tempus tereretur, ferrum quosdam expedientes cernebat. Tum, omissis pro se precibus, *puellis ut saltem* 11
parcerent, orare instituit, *a qua aetate etiam hostes iratos abstinere, ne tyrannos ulciscendo, quae odissent scelera, ipsi imitarentur.* Inter haec abstractam a penetra- 12
libus iugulant; in virgines deinde, respersas matris cruore, impetum faciunt. Quae, alienata mente simul luctu metu-

---

At enim) Ipsa, quae obiici possint, affert, ut refutandi ea copiam habeat. V. de particulis *at enim* ad XXI, 40, 8.

ab Syracusis Siciliaque) V. ad XXIII, 29, 4. 9

ad v. uxorem, ad p. f.) Est idem ac si dicat: qua ablegatione vobis grata beneficium adeo magnum mihi filiabusque tribueritis.

Aversis auribus etc.) i. e. quum aversae aures animique essent, cernebat quosdam ferrum expedientes, ne incassum tempus tereretur. Dissolute haec posuit Livius ostensurus, Heracleae inter dicendum ea occurrisse voces eius interrumpentia. Offensioni autem est *casse,* quae vox et parum apte a principio enuntiati posita est et nullo alio aut Livii aut omnino veterum scriptorum loco legitur. Livius ipse in eadem sententia duobus locis II, 49 med. et X, 29 in. posuit *incassum.* Itaque Gronovius scribendum coniecit: *Aversis auribus animisque (nam ne tempus tereretur, ferrum quosdam expedientes cernebat), tum omissis pro se precibus.* Propior vero videtur Rubenii emendatio pro *casse* ponentis *a se* (nam *c* facillime ex praecedenti litera nasci potuit). Hoc si probes Livius dicit: Heraclea quosdam, aversis a se (i. e. ab Heraclea) auribus animisque, ne tempus tereretur, ferrum expedientes cernebat. Minus tamen placet positio verborum *a se.*

ne — imitarentur) Haec quum ita dicat Heraclea, ut 11
puellas solas respiciat, non communiter accipienda videntur, sed verbis: *puellis ut saltem parcerent* subiungenda. Aliter iudicantes nonnulli editores magnam distinctionem posuerunt ante *ne.* Cf. infra ad c. 30, 14.

alienata mente) Unus cod. praefert: *alienatae mente.* 12
Similiter dixit Livius XXV, 39 in. *Hostes simul ignis, clamor, caedes velut alienatas sensibus nec audire nec providere quicquam sinunt.* Sed cf. X, 29 in. *Galli — velut alienata mente, vana incassum iactare tela;* XLII, 28 extr. *Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui: vulgo Iunonis Laciniae*

que, velut captae furore, eo cursu se ex sacrario proripuerunt, ut, si effugium patuisset in publicum, impleturae
13 urbem tumultu fuerint. Tum quoque haud magno aedium
spatio inter medios tot armatos aliquoties integro corpore
evaserunt, tenentibusque, quum tot ac tam validae eluctan-
14 dae manus essent, sese eripuerunt. Tandem, vulneribus
confectae, quum omnia replessent sanguine, exanimes corruerunt. Caedemque per se miserabilem miserabiliorem casus fecit, quod paullo post nuntius venit, mutatis repente
15 ad misericordiam animis, ne interficerentur. Ira deinde ex
misericordia orta, quod adeo festinatum ad supplicium neque locus poenitendi aut regressus ab ira relictus esset.
16 Itaque fremere multitudo et in locum Andranodori ac Themisti (nam ambo praetores fuerant) comitia poscere, quae nequaquam ex sententia praetorum futura essent.

---

iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Sic et alii non raro.

luctu metuque) *Luctus* refertur ad matris caedem, *metus* ad discrimen ipsarum.

13 *Tum quoque*) Opponuntur haec verbis: *si effugium patuisset in publicum.*

14 *Caedemque*) Perperam Dukerus copulam ait importunam esse, si nova hinc periodus incipiatur. Haec enim ut non possunt uno tenore coniungi cum: *tandem — corruerunt*, ita eidem sententiae, quae in miserabili morte puellarum versatur, subiecta sunt possuntque pro complemento quodam eius esse. Tali autem modo frequentissime ope particulae *que* enuntiata subnecti, ostendimus ad XXIII, 13, 8.

per se) Codd. optimi et plerique non *per* habent, sed *de*; in praestantissimo aliquot literae post *de* erasae. *De*, quae praepositio hic Latinorum consuetudini non convenit, natum videtur pervulgato librariorum errore pro *p* litera ponentium *d*.

miserabiliorem) Cf. ad c. 21, 3.

16 *in locum Andranodori*) Quum saepissime dicatur: in locum alicuius creare, sufficere etc., et creare vel simile verbum per se occurrat de comitiis cogitanti, Livius hic satis habuit dixisse: *comitia poscere in locum Andranodori*, quod idem est ac comitia poscere, quibus in locum Andranodori alii crearentur.

quae — futura essent) Coniunctivum Livius posuit sententiam frementis multitudinis respiciens, quae ea animis agitabat, ut comitiorum exitum nequaquam accommodatum iri ad voluntatem praetorum, coniici posset. Ita coniunctivus saepe

XXVII. Statutus est comitiis dies; quo, necopinanti- 1
bus omnibus, unus ex ultima turba Epicydem nominavit,
tum inde alius Hippocratem. Crebriores deinde eae voces
et cum haud dubio assensu multitudinis esse. Et erat con- 2
fusa concio, non populari modo, sed militari quoque
turba, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia novare
cupiebant, permixtis. Praetores dissimulare primo et tra- 3
henda re esse: postremo victi consensu et seditionem me-
tuentes, pronuntiant eos praetores. Nec illi primo statim 4
creati nudare, quid vellent, quanquam aegre ferebant, et
de indutiis dierum decem legatos isse ad Ap. Claudium, et,

---

ad designanda ea valet, quae pro rerum conditione probabile vel necesse est fieri. Cf. infra ad c. 30 extr.

XXVII.

ex ultima t.) i. e. ex infima t. V. XXX, 30 in. *inter* 1
multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit; XXXIV, 18
extr. *ut — labore cum ultimis militum certaret;* epit. 49 *ultimae sortis homo.*

Et erat) *Et* hic eodem modo positum, quo alias solet 2
in parenthesi poni. V. ad XXIII, 1, 6.

confusa concio) Concio quare dicatur confusa, proxima satis declarant. Cf. et infra c. 32, 9. *Permixtis* per zeugma positum; quum, si verba spectes: *non populari modo, sed militari quoque turba*, dicendum potius fuerit: *constans* vel simile quid. Cf. supra ad XXIII, 36, 6; ad XXIV, 20, 7; XXV, 39 med. *ni cruenta scuta Romanorum visa indicium alterius cladis Poenis atque inde pavorem iniecissent.*

dissimulare) velut si, quae illi dicerent, minus ex- 3
audissent.

trahenda re esse) Sic optimi codices; pauci, quod interpretationem olet: *trahendam rem esse censere.* Illud Gronovius probat explicans: in eo esse, id agere, ut extraherent rem. Sed vereor, ne recte negaverit Dukerus, talem ablativum ferendum esse. Nam quod Strothius laudat XXXI, 13 med. *nec tamen solvendo aere alieno respublica esset*, ibi recentiores editores recte videntur recepisse *aeri.* Dukerus coniecit: *in trahenda re esse.* Nescio an potius Livius scripserit, quod Ruperto quoque visum est: *trahendae rei esse*, ut genitivus eiusdem generis sit, cuius III, 38 extr. *suarumque rerum erant* (Patres) i. e. suis rebus addicti erant sive studebant; XLII, 30 in. *pars altera regiae adulationis erat.* In verbo *trahendi* eadem hic est vis, quae in locutionibus valde usitatis *tempus trahere*, *bellum trahere* et similibus.

primo statim creati n.) Cf. ad XXIII, 42, 1. 4

impetratis eis, alios, qui de foedere antiquo renovando age-
5 rent, missos. Ad Murgantiam tum classem navium centum
Romanus habebat, quonam evaderent motus ex caedibus
tyrannorum orti Syracusis, quove eos ageret nova atque
6 insolita libertas, opperiens. Per eosdem dies quum ad Mar-
cellum, venientem in Siciliam, legati Syracusani missi ab
Appio essent, auditis conditionibus pacis, Marcellus, posse
rem convenire ratus, et ipse legatos Syracusas, qui coram
7 cum praetoribus de renovando foedere agerent, misit. Et
iam ibi nequaquam eadem quies ac tranquillitas erat. Post-
quam Punicam classem accessisse Pachynum allatum est,
dempto timore, Hippocrates et Epicydes, nunc apud mer-
cenarios milites nunc apud transfugas, prodi Romano Syra-
8 cusas, criminabantur. Ut vero Appius naves ad ostium
portus, quo aliae partis hominibus animus accederet, in sta-
9 tione habere coepit, ingens in speciem criminibus vanis ac-
cesserat fides; ac primo etiam tumultuose decurrerat multi-
tudo ad prohibendos, si in terram egrederentur.

1 XXVIII. In hac turbatione rerum in concionem vocari

---

5 *Ad Murgantiam*) V. ind. geograph.

Romanus) V. ad c. 2, 7.

tyrannorum) Hoc vocabulo breviter declarantur Hieronymus quique post eum tyrannidem affectaverunt.

eos ageret) V. ad XXIII, 17, 4.

7 *Et iam*) Poteras, si spectares quae proxime antecedunt, exspectare potius: *Sed iam.* Sed ita rem cogitavit Livius, ut haec non opponeret proximis, sed potius adderet ad confirmanda superiora, quibus animorum ad novandas res inclinationem factam significavit.

quies ac tranquillitas) Iam enim erant, qui hostiliter in Romanos agerent, atque concitati multorum erant animi. Quae iam sequuntur, dissolute dicta sunt, quod priora illustrant.

8 *aliae partis h.*) i. e. alterius sive eius, quae cum Romanis sentiret. V. ad XXIII, 37, 13. De forma *aliae* cf. Sch. p. 154 extr.; Weiss. §. 95 n. 1; Z. §. 49. 2.

fides) Cf. ad XXIII, 12, 1.

XXXVIII.

1 *turbatione*) Est haec vox rariorum e numero, neque tamen, quod fuerunt, qui contenderent, apud nullum veterem scriptorem nisi apud Livium legitur, quippe qua etiam Florus et Gellius usi sint.

placuit. Ubi quum alii alio tenderent, nec procul seditione
res esset, Apollonides principum unus orationem salutarem,
ut in tali tempore, habuit: *Nec spem salutis nec perni-* 2
ciem propiorem unquam civitati ulli fuisse. Si enim 3
uno animo omnes vel ad Romanos vel ad Carthaginien-
ses inclinent, nullius civitatis statum fortunatiorem ac
beatiorem fore. Si alii alio trahant res, non inter Poe- 4
nos Romanosque bellum atrocius fore quam inter ipsos
Syracusanos, quum intra eosdem muros pars utraque
suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. Ita- 5

---

procul seditione) V. Z. §. 321; Sch. p. 619; Weiss. §. 247. 3; praeterea ad XXI, 7, 6.

principum unus) Cicero praefert *unus ex;* nec aliter fere Livius, v. c. I, 26 in.; IV, 40 post med.; VIII, 21 in.; IX, 17 extr.; XXII, 58, 8; ibid. 61, 4; XXIII, 20, 4; XXIV, 7, 4; ibid. 22, 2; XXV, 6 in.; ibid. 25 post in.; 30 in. aliisque locis permultis. Genitivum praeter hunc locum etiam posuit VI, 40 ante med. *unus Quiritium quilibet.*

ut in t. tempore) De vi, quae est in particula *ut*, v. ad XXIII, 18, 6. Quippe non utique salutaris scriptori visa est oratio, qua foedus Romanum, etsi potius iudicaretur, tamen non commendaretur aperte, sed libera proponeretur optio Syracusanis, utrum ad Romanorum mallent an ad Carthaginiensium societatem se applicare.

fortunatiorem ac beatiorem) Vulgo: *fortunatio-* 3
rem gratioremve. Sed *ve* in plerisque libris non legitur, optimus autem habet: *fortunatiorem creatiorem*, unde Salmasius eruit, quod Bekkerum secuti recepimus. V. exempla ab interpretibus allata: Suet. Domit. 23 *beatiorem post se laetioremque portendi reipublicae statum;* Senec. ep. 81 *res magna et ex beatissimo animi statu profecta;* Cic. nat. d. III, 33 *tyrannus fuit opulentissimae ac beatissimae civitatis.* Adde Liv. XXXIV, 5 ante med. *florente ac beata republica.* Cernitur autem fortunatus status in rebus externis bene se habentibus, beatus status refertur ad animorum laetitiam ex rerum iucunditate orientem.

Si alii alio tr.) Non semper in enuntiationibus conditio- 4
nalibus, quae contraria eorum, quae praecesserunt, habent, *sin* poni, supra ostendimus ad XXIII, 18, 1. Scilicet necesse non est, scriptores semper accurate declarare, qualis inter eam, quae praecedat et quae sequatur, sententiam ratio intercedat. Cf. Ramsh. §. 193 n. 3; Liv. IV, 5 extr.; infra c. 33, 6; XLV, 44 med.

sua arma) *Arma* nonnunquam latius patent dicunturque pro apparatu sive instrumentis belli. Similiter VIII, 25 in. *arma*

que, ut omnes idem sentiant, summa vi agendum esse; utra societas sit utilior, eam longe minorem ac levioris
6 *momenti consultationem esse. Sed tamen Hieronis potius quam Hieronymi auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis feliciter expertam amicitiam nunc incognitae, quondam infideli, praeferen-*
7 *dam. Esse etiam momenti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in praesentia bellum cum eis geratur: cum Romanis*
8 *extemplo aut pacem aut bellum habendum.* Quo minus cupiditatis ac studii visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. Adiectum est praetoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium: iussi et duces ordinum prae-
9 fectique auxiliorum simul consulere. Quum saepe acta res

---

virosque ad bellum pollicentes; atque ita aliis locis, ubi adiunguntur *viri*, ut supra c. 24, 8 *totamque viris armisque instructam coniurationem;* IX, 38 in.; XXIII, 30, 6; XXVIII, 42 extr.

5 *utra societas*) Asyndeti causa repetenda est ex oppositione sententiarum: *ut omnes idem sentiant*, et: *utra societas sit utilior.* Cf. supra ad XXIII, 13, 4; infra §. 7.

6 *vel*) Pro hoc Gronovius dedit *et*, in quo secutus eum Bekkerus est. Neque tamen contra codd. omnes quicquam videtur mutandum. Poterat sane qui loquebatur alteram rationem addere priori, quod exprimit *et;* sed poterat *vel* ponere, ut permitteret audientibus, utram ex duabus rationibus a se pro societate Romana allatis mallent in consilio capiendo sequi, Hieronis auctoritatem an expertam diu Romanorum amicitiam. De vi passiva, quae est in *experto* plura v. ad XXII, 22, 19.

7 *Esse etiam momenti al.*) i. e. etiam hoc aliquid momenti sive aliquod momentum ad consilium capiendum esse, quod etc. Cf. XXI, 4, 2 *ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset;* XLII, 45 extr. *haec legatio magnum ad conciliandos animos civitatium Asiae momentum fuit.*

utique) V. ad XXIII, 48, 5.

8 *cupiditatis ac studii*) Nihil magnopere velle videbatur Apollonides nec propensum in alterutram partem animum habere.

Adiectum est) Ostenditur, quantum auctoritatis habuerit oratio sive quomodo Apollonidae consilium secuti eo tetenderint, ut idem omnes sentirent. Itaque ἀσυνδέτως haec dici potuerunt.

iussi) i. e. nam iussi sunt. *Duces ordinum* fere sunt centuriones, sed nonnunquam latius patet locutio. Cf. ad XXII, 30, 5.

esset magnis certaminibus, postremo, quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla apparebat, pacem fieri placuit, mittique cum eis legatos ad rem confirmandam.

XXIX. Dies haud ita multi intercesserunt, quum ex 1
Leontinis legati, praesidium finibus suis orantes, venerunt, quae legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam ducesque eius ablegandos.
Hippocrates praetor ducere eo transfugas iussus; secuti 2
multi ex mercenariis auxiliis quattuor milia armatorum effecerunt. Et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit; 3
nam et illis, quod iam diu cupiebant, novandi res occasio data est, et hi, sentinam quandam urbis rati exhaustam,

---

cum eis) i. e. cum Romanis. Nam eos modo nominave- 9
rat. Intelliguntur autem legati Romani, quos Marcellus Syracusas miserat. Alii, qui durius referri *cum eis* ad legatos Romanos putarent, transpositis vocibus aut censuerunt scribendum: *mittique legatos ad pacem cum eis confirmandam*, ut Caes. b. g. I, 3 dixit: *cum proximis civitatibus pacem et amicitiam confirmare;* aut: *pacem fieri placuit cum eis mittique* etc.

XXIX.

praesidium finibus s. orantes) Cf. XXVI, 33 in. 1
eos libertatem sibi suisque et bonorum aliquam partem orare. Videntur autem Leontini metuisse a propinquis Romanis, necdum, quo tempore legatos mittebant, confirmatum foedus erat. Cf. cap. sq. §. 1.

quae legatio etc.) i. e. peropportuna visa est haec legatorum actio, quippe qua copia daretur multitudinem inconditam exonerandi etc.

exonerandam) *Exonerare aliquid* fere est onere aliquid levare, et ita Livius saepe eam locutionem posuit. Sed nonnunquam ea ut h. l. valet: onus aliquod sive aliquid, quod oneri est, tollere seu removere. Cf. Plaut. Epid. III, 4, 34 *ut eam ex hoc exoneres agro;* Tac. Hist. II, 5 *exundantem per Aegyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam;* Ann. III, 54 extr. *exonerari laborum meorum partem fateor;* Senec. epist. 3 post med.

quattuor m. arm. effecerunt) i. e. eo, quod et ipsi 2
secuti sunt, effecerunt, ut totus numerus quattuor milium esset. Cf. ad XXIII, 39, 4.

illis — hi) *Illi* dicuntur, qui mittebantur, *hi*, qui mitte- 3
bant. Refertur igitur *illis* ad id, quod propius antecessit, *hi* ad remotius. Plura de eo dicendi genere v. ad XXII, 22, 19.

sentinam quandam) V. Z. §. 707; Sch. p. 545 extr.; Weiss. §. 224 n. 3.

laetabantur. Ceterum levaverunt modo in praesentia velut
corpus aegrum, quo mox in graviorem morbum recideret.
4 Hippocrates enim finitima provinciae Romanae primo furti-
vis excursionibus vastare coepit; deinde, quum ad tuendos
sociorum agros missum ab Appio praesidium esset, omnibus
copiis impetum in oppositam stationem cum caede multorum
5 fecit. Quae quum essent nuntiata Marcello, legatos ex-
templo Syracusas misit, qui pacis fidem ruptam esse dice-
rent, nec belli defuturam unquam causam, nisi Hippocrates
atque Epicydes non ab Syracusis modo, sed tota procul
6 Sicilia, ablegarentur. Epicydes, ne aut reus criminis ab-
sentis fratris praesens esset aut deesset pro parte sua con-
citando bello, profectus et ipse in Leontinos, quia satis eos
adversus populum Romanum concitatos cernebat, avertere
7 etiam ab Syracusanis coepit. *Nam ita eos pacem pepi-
gisse cum Romanis, ut, quicunque populi sub regibus
fuissent, et suae ditionis essent; nec iam libertate con-
8 tentos esse, nisi etiam regnent ac dominentur. Renun-
tiandum igitur eis esse, Leontinos quoque aequum cen-
sere liberos esse, vel quod in solo urbis suae tyrannus
ceciderit, vel quod ibi primum conclamatum ad liberta-
tem relictisque regiis ducibus Syracusas sit concursum.
9 Itaque aut eximendum id de foedere esse, aut legem
10 eam foederis non accipiendam.* Facile multitudini persua-

---

4 *finitima provinciae R.*) V. Z. §. 435 et n.; Sch. p. 525; Weiss. §. 202 et ad Liv. XXI, 31, 2.

5 *tota procul Sic.*) *Procul* non modo adiungitur verbis quietem seu mansionem in al. loco significantibus, sed etiam ad motum in aliquem locum refertur. V. XXXVIII, 13 post in. *Migratum inde haud procul veteribus Celaenis;* Sall. Cat. 20, 1 *omnibus arbitris procul amotis.*

6 *pro parte sua*) V. ad XXIII, 33, 10.
in Leontinos) V. supra ad c. 21, 2.

7 *eos*) V. ad c. 27, 5.
sub regibus) i. e. Syracusanorum.

8 *relictisque*) Proprie: *et inde relictis* etc. Sed quum praecedat *ibi*, poterat *inde* cogitationi supplendum relinqui.

9 *id*) V. §. 7.
legem eam foederis) „id foedus, foedus tali lege ictum.“ Crevier.

sum; legatisque Syracusanorum, et de caede stationis Romanae querentibus, et Hippocratem atque Epicydem abire seu Locros, seu quo alio mallent, dummodo Sicilia cederent, iubentibus, ferociter responsum est: *Neque mandasse sese* 11
Syracusanis, ut pacem pro se cum Romanis facerent neque teneri alienis foederibus. Haec ad Romanos Syra- 12
cusani detulerunt, abnuentes, *Leontinos in sua potestate esse. Itaque integro secum foedere bellum Romanos cum iis gesturos. Neque sese defuturos ei bello, ita ut in potestatem redacti suae rursus ditionis essent, sicut pax convenisset.*

XXX. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leon- 1
tinos, Appio quoque accito, ut altera parte aggrederetur, tanto ardore militum est usus ab ira inter conditiones pacis interfectae stationis, ut primo impetu urbem expugnarent.

---

multitudini persuasum) In verbo persuadendi saepe 10
omitti, quid alicui persuadeatur, ostendimus ad XXII, 22, 15, ubi vide.

abnuentes, Leontinos — esse) Cf. XXI, 12, 6 *Has* 12
pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos; XXVIII, 18 in. *Scipione abnuente — privatim sibi ullum cum Poeno odium esse;* XXX, 20 med. *in Africam secuturos abnuentes;* XLII, 55 in. *ne Romani quidem abnuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos.* Ad sequentia cf. supra quae ad XXIII, 7, 7 annotata sunt.

ita ut) ea lege, ut. Plura v. ad XXII, 43, 4.

XXX.

altera parte) V. de hoc ablativo ad XXIII, 46, 2. 1

aggrederetur) *Aggredi* absolute positum ut infra c. 46, 1.

ab ira) Vulgo: *ob iram*, quod ut minime alienum est a Livii dictione (v. ad XXIII, 46, 6), ita hic propter optimorum codicum in alteram lectionem conspirantium consensum non admittendum. Et cf. ad c. 24, 5; praeterea de ipsa locutione *ab ira:* X, 45 extr. *ab ira plus caedis editum;* XXVI, 1 in. *Ea tum cura maxime intentos habebat Romanos, non ab ira tantum;* XXVII, 28 sub med. *ab ira non defectionis modo, sed etiam equitum interfectorum rati occasionem supplicii peti;* XXVIII, 7 med. *Opuntii quoque ab eadem ira increpiti;* XXXVI, 24 med.; XXXVII, 43 extr.

inter conditiones p.) *Conditiones* h. l. sunt actiones condendae pacis. De praepositionis vi v. Z. §. 309; Sch. p. 602; Weiss. §. 288 n. 3; cap. sq. in.

2 Hippocrates atque Epicydes, postquam capi muros refringique portas videre, in arcem sese cum paucis recepere. Inde
3 clam nocte Herbessum perfugiunt. Syracusanis, octo milium armatorum agmine profectis domo, ad Mylam flumen
4 nuntius occurrit, captam urbem esse, cetera falsa mixta veris ferens: *caedem promiscuam militum atque oppidanorum factam*, *nec quicquam puberum arbitrari super-*
5 *esse; direptam urbem; bona locupletium donata.* Ad nuntium tam atrocem constitit agmen, concitatisque omnibus, duces (erant autem Sosis ac Dinomenes), quid agerent,
6 consultabant. Terroris speciem haud vanam mendacio praebuerant verberati ac securi percussi transfugae ad duo mi-
7 lia hominum. Ceterum Leontinorum militumque aliorum nemo post captam urbem violatus fuerat; suaque omnia eis, nisi quae primus tumultus captae urbis absumpserat, restitue-
8 bantur. Nec ut Leontinos irent, proditos ad caedem commilitones querentes, perpelli potuere, nec ut eodem loco
9 certiorem nuntium exspectarent. Quum ad defectionem inclinatos animos cernerent praetores, sed eum motum haud diuturnum fore, si duces amentiae sublati essent, exercitum
10 ducunt Megaram, ipsi cum paucis equitibus Herbessum proficiscuntur, spe, territis omnibus, per proditionem urbis po-
11 tiundae. Quod ubi frustra eis fuit inceptum, vi agendum

---

3 *octo m. arm. agmine pr.*) Cf. supra ad XXIII, 26, 9.
4 *nec quicquam puberum*) Vulgo: *nec quemquam puberum;* sed illud, in quo maior vis est, ex optimis codd. Bekkerus recte recepit. Cf. sq. cap. §. 8; et quae non multum discedunt, infra ad c. 40, 5; supra ad XXIII, 9, 3.
donata) Hoc cum vi dictum, ut idem sit quod dono data (*verschenkt*). Ita non adiecit dativum Livius.
5 *Ad nuntium*) V. ad c. 14, 9.
6 *Terroris speciem*) „i. e. ut hoc mendacium vim terrendi haberet, fecerunt verberati etc." Gronov. V. super. cap. §. 2. Idem Gronovius codicum tantum non omnium lectionem *erroris* emendavit.
7 *suaque*) V. ad XXIII, 32, 11.
8 *proditos ad caedem*) De structura verbi diximus ad XXII, 44, 7.
10 *territis omnibus*) Territi Herbessi omnes erant propter captos tanta celeritate Leontinos.

rati, postero die Megaris castra movent, ut Herbessum omnibus copiis oppugnarent. Hippocrates et Epicydes, non 12
tam tutum prima specie quam unum, spe undique abscisa, consilium esse rati, ut se militibus permitterent, et assuetis magna ex parte sibi et tum fama caedis commilitonum accensis, obviam agmini procedunt. Prima forte signa sex- 13
centorum Cretensium erant, qui apud Hieronymum meruerant sub eis et Hannibalis beneficium habebant, capti ad Trasimenum inter Romanorum auxilia dimissique. Quos ubi 14
ex signis armorumque habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes, ramos oleae ac velamenta alia supplicum porri-

---

spe undique abscisa) *Abscisa* hic in duobus optimis 12
aliisque nonnullis codd. legitur, sed Drakenborchius, quem secuti sunt Strothius, Bekkerus, plerique alii, praetulerunt *abscissa*. Illud cum Kreyssigio verum iudicamus et analogia freti locutionum *spem incidere* (v. Liv. II, 15 extr.; III, 58 med.; VI, 39 extr.; XXXV, 31 ante med.), *spem praecidere* (v. IV, 3 post in.; XXIV, 31, 12; XXIX, 15 extr.; XLII, 50 in.), et librorum auctoritate, quae non hoc solum loco, sed etiam aliis omnibus, qui eandem locutionem habent (v. IV, 10 ante med.; IX, 23 sub fin.; XXXV, 45 post med.; XLV, 25 post med.) pro verbo *abscidendi* est.

ex signis armorumque habitu) Codd.: *ex signis* 14
armatorum habituque. Itaque Gronovius posuit: *ex signis armorum habituque*. Cf. ad XXII, 37, 7. Sed signa armorum nec Livius ullo loco dixit, nec quae intelligantur, satis patet. Nam signa pro insignibus armorum scriptorem dixisse vix credibile est. Quare plerique omnes editores Frobenii praetulerunt emendationem *armorumque habitu*. Nam etiam in optimo cod. saepe syllabae inveniuntur non suo loco positae et *armorum habitus* apud Livium aliis quoque locis legitur. V. IX, 36 med. *vestis armorumve habitus*; XXII, 18, 3 *quum velocitate corporum tum armorum habitu campestrem hostem — facile elusit*; item Iustin. XX, 3, 8 *duo iuvenes diverso a ceteris armorum habitu*.

velamenta alia supplicum) i. e. infulas vel vittas e lana manibus circumdatas. His quum in sacris faciendis et sua tempora cingerent sacerdotes et velarent hostiarum capita, solebant eas praeferendo supplices sanctitatis speciem sibi quaerere. Et hoc quidem loco distinguuntur a ramis oleae, alias fere ipsis ramis oleaginis ita circumiiciebantur, ut pendentes inde manus quoque velarent. Cf. Liv. XXIX, 16 extr. *Decem legati Locrensium — velamenta supplicum, ramos oleae (ut Graecis mos est) porrigentes*; praeterea XXV, 25 med.; XXX, 36 in. (bis); XXXV, 34 med.; XXXVI, 20 in.

gentes, orare, *ut reciperent sese, receptos tutarentur, neu proderent Syracusanis, a quibus mox ipsi trucidandi populo Romano dederentur.*

1 XXXI. Enimvero conclamant, *bonum ut animum ha-*
2 *berent: omnem se cum illis fortunam subituros.* Inter hoc colloquium signa constiterant, tenebaturque agmen; necdum, quae morae causa foret, pervenerat ad duces. Postquam, Hippocraten atque Epicyden, pervasit rumor, fremi-

---

receptos) Vulgo: *receptosque.* Sed *que* optimi codd. non videntur habere. Cf. supra ad c. 1, 8.

a quibus — dederentur) i. e. ut ab iis ipsi i. e. Cretenses — dederentur. Ita se tradendis illos suam sibi perniciem parare Hippocrates et Epicydes significant. Minus recte Heusingerus et Klaiberus ita interpretati locum sunt, velut si scripsisset Livius: a quibus mox ipsos trucidandos pop. Rom. deditum iri. Idem valet de cap. 37, 8.

XXXI.

1 *Enimvero conclamant*) Plerique editores *enimvero* ipsi orationi obliquae adiunxerunt; rectius alii coniungendam vocem cum verbo conclamandi censuere, quam sententiam etiam Handius probavit in Tursell. II, p. 406: Rectius, inquit, coniunguntur verba *enimvero conclamant: und in der That riefen sie.* Sic verbo dicendi adiungitur *enimvero* III, 35 extr. *Ille enimvero, quod bene vertat, habiturum se comitia professus.* Nec raro in narrando ponitur, ut I, 51 extr.; II, 22 extr.; ibid. 36 extr.; 45 post med. etc.

2 *Hippocraten atque Epicyden*) i. e. causas morae esse. Gronov. Quam ellipsin duriorem esse rati, multi contra codd. receperunt post *Epicyden: adesse.* Sed cf. II, 30 in. *Multis, ut erat, horrida et atrox videbatur Appii sententia: rursus Virginii Lartiique exemplo haud salubres; utique Lartii putabant sententiam* i. e. exemplo haud salubrem esse. V. et ad XXII, 4, 7 et ibid. ad c. 55, 3.

Epicyden) Hanc formam quum et hic optimi duo libri praebeant et XXV, 23 med.; c. 25 sub fin. omnium librorum consensus tueatur, neque minus quae ibidem XXV, 23 m. legitur, forma genitivi *Epicydae* et c. 25, 12 eadem forma dativi, recipere cum Bekkero non dubitavimus. Alia res potest videri in Hippocrate, cuius nominis genitivus apud Livium semper exit in *is*, sed ne ab eiusmodi quidem nominibus alienum esse accusativum in *en* desinentem, cognoscas ex Z. §. 71; Weiss. §. 70 n. 2; Ramsh. §. 29.

Postquam — pervasit — erat) V. supra ad c. 1, 6. Similiter plusquamperfectum et imperfectum praecedente *postquam* posita sunt infra c. 36, 8.

tusque toto agmine erat haud dubie approbantium adventum eorum, extemplo praetores citatis equis ad prima signa perrexerunt. *Qui mos ille, quae licentia Cretensium* 3
esset, rogitantes, *colloquia serendi cum hoste iniussuque praetorum miscendi eos agmini suo*, comprehendi iniicique 4
catenas iusserunt Hippocrati. Ad quam vocem tantus extemplo primum a Cretensibus clamor est ortus, deinde exceptus ab aliis, ut facile, si ultra tenderent, appareret, eis timendum esse. Solliciti incertique rerum suarum Megaram, 5
unde profecti erant, referri signa iubent nuntiosque de statu praesenti Syracusas mittunt. Fraudem quoque Hippocrates 6
addit, inclinatis ad omnem suspicionem animis, et, Cretensium quibusdam ad itinera insidenda missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, recitat: *Praetores Syracusani consuli Marcello.* Secundum salutem, ut asso- 7

Qui mos) Ante haec verba, quae vulgo prioribus adnectuntur, maximam distinctionem posuimus, ut *rogitantes* coniungatur cum sequentibus: *comprehendi — iusserunt*. Nam vulgatam distinctionem si sequaris, insolentius subiungitur participium praesentis, quum non inter rogitandum praetores putandi sint ad prima signa perrexisse, sed postquam eo advenerunt, rogitasse. 3

Hippocrati) Delendam hanc vocem censuit Gronovius; neque enim rationem esse, cur huic potius quam et alteri catenas iniici iussissent. Sed cf. ad c. 24, 1; praeterea de structura ad XXIII, 19, 6. 4

exceptus) Cf. VI, 33 extr. *Tollitur ex arce clamor ab Tusculanis: excipitur aliquanto maiore ab exercitu Romano.* V. et ad XXI, 48, 8.

eis timendum esse) *Timere* nonnunquam absolute ponitur. V. Terent. Phorm. V, 8, 9 *non temere est, quod tu tam times*; Caes. b. g. 1, 14 *eo deceptum, quod neque commissum a se intelligeret, quare timeret, neque sine causa timendum putaret*; Hor. Sat. II, 1, 23 *quum sibi quisque timet.*

rerum suarum) V. ad c. 24, 9. 5

et) Huius ope particulae subiuncta sunt, quibus diligentius priora exponuntur, ita ut *et* hic non multum differre videatur a *nam*. Similia vide ad XXII, 54, 4. 6

velut interc. literas) i. e. literas, quas ipse composuerat, velut interceptas recitat.

Praet. Syr. consuli M.) „Ne quis miretur, literarum ἐπιγραφὴν adscribi, salute omissa, ceterisque summatim tantum prolatis, forsitan Platonis locus cavebit Epist. VII. p. 339 B.

let, scriptum erat: *Recte eum atque ordine fecisse, quod*
8 *in Leontinis nulli pepercisset. Sed omnium mercenariorum militum eandem esse causam, nec unquam Syracusas quieturas, donec quicquam externorum auxiliorum*
9 *aut in urbe aut in exercitu suo esset. Itaque daret operam, ut eos, qui cum suis praetoribus castra ad Megaram haberent, in suam potestatem redigeret ac sup-*
10 *plicio eorum liberaret tandem Syracusas.* Haec quum recitata essent, cum tanto clamore ad arma discursum est, ut praetores inter tumultum pavidi abequitaverint Syracusas.
11 Et ne fuga quidem eorum seditio compressa est, impetus-

Πρὸς γὰρ δὴ πάντα ταῦτα ἦν παρεσκευασμένη τὴν ἀρχὴν ἔχουσα ἡ ἐπιστολὴ τῇδέ πη φράζουσα· Διονύσιος Πλάτωνι. Τὰ νόμιμα ἐπὶ τούτοις εἰπών, οὐδὲν τὸ μετὰ τοῦτο εἶπε πρότερον ἢ ὡς ἂν εἰς Σικελίαν πεισθεὶς ὑφ᾽ ἡμῶν ἔλθῃς κ. τ. λ. Aut enim fallor, aut adiectis *praetores Syracusani* significare voluit, epistolae solito modo et consuetis formulis conceptae nihil ad summam speciem fidei defuisse." Walch. (emend. p. 196).

7 *Recte atque ordine fecisse*) Hac formula saepe utebantur qui publice aliquod factum comprobabant, inprimis Senatus Romanus. Cf. XXVIII, 39 extr. *Senatus legatis Saguntinis respondit: — Suos imperatores recte et ordine et ex voluntate senatus fecisse, quod Saguntum restituerint;* XXX, 17 extr. *Scipionem recte atque ordine videri fecisse, quod eum regem appellaverit;* XXX, 42 med.; XLV, 13 post in.

8 *quieturas*) i. e. quietem habituras. Similiter XXI, 10, 3 *nec unquam, donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura Romana foedera,* ubi v.

quicquam) V. ad XXIII, 5, 3.

9 *cum suis pr.*) V. ad XXIII, 40, 6.

10 *abequitaverint*) Nonnulli codd. et edd.: *adequitaverint*, sed alterum illud in optimis libris mss. legitur. Et videtur *adequitaverint* hic alienum esse, quippe quod verbum cum dativo vel *ad* vel *in* iunctum declaret equitare eo, ubi in propinquitate alicuius rei sis, id quod cum hoc loco parum congruit. Contra *abequitare* quam aptum sit, ut et reliquisse praetores castra et Syracusas petiisse uno verbo significetur, facile apparet. Nam quod hoc verbum *ἅπαξ εἰρημένον* est, tam multa eiusmodi verba apud Livium inveniuntur (v. supra ad c. 16, 3), ut ne haec quidem res magni momenti sit habenda. Saepissime autem praepositionem *ad* cum *ab* in codd. permutatam esse, praesertim ubi de actione in aliquid seu versus aliquid pertinente agitur, quam abhorrere ab illius praepositionis vi librarii crederent, satis inter omnes constat.

que in Syracusanos milites fiebant. Nec ab ullo temperatum foret, ni Epicydes atque Hippocrates irae multitudinis obviam issent, non a misericordia aut humano consi- 12
lio, sed ne spem reditus praeciderent sibi et quum ipsos
simul milites fidos haberent simul obsides, tum cognatos 13
quoque eorum atque amicos tanto merito primum, dein pignore sibi conciliarent. Expertique, quam vana aut levi 14
aura mobile vulgus esset, militem nancti ex eo numero, qui in Leontinis circumsessi erant, subornant, ut Syracusas perferret nuntium convenientem eis, quae ad Mylam falso
nuntiata erant, auctoremque se exhibendo ac velut visa, 15
quae dubia erant, narrando concitaret iras hominum.

XXXII. Huic non apud vulgum modo fides fuit, sed 1
senatum quoque in curiam introductus movit. Haud vani quidam homines palam ferre, *perbene detectam in Leon-*

Et) Dukerus scribendum censuit: *Sed*. At non opposuit 11
haec Livius prioribus, sed addidit, quod et ipsum sicut priora animorum concitationem ostenderet. Itaque recte se habet *et*.

ab ullo) i. e. milite Syracusano.

a misericordia) V. ad c. 30, 1. 12

aura) i. e. impulsu. V. quae de hac voce annotata sunt 14
ad XXII, 26, 4.

nancti) V. ad XXIII, 2, 2. Ceterum de participiis, quae videntur ἀσυνδέτως posita esse cf. ad XXIII, 27, 3.

ex eo n., qui — erant) Frequentissima haec apud scriptores Latinos synesis est. V. apud Livium: XXVI, 1 med. *dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem;* XXXII, 26 post in. *missis ex eo numero, qui in Setino agro — servitia sollicitarent;* XLII, 34 in. *Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant.*

XXXII.

vani) Intelliguntur homines parum constantes, qui aliud 1
atque aliud sentiunt, levi aura mobiles. Cf. I, 27 in. *Invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit.*

palam ferre) Exempla huius locutionis v. ad XXII, 29, 6.

perbene detectam) i. e. perbene factum hoc esse, quod — detecta esset. V. de hoc loquendi genere Ramsh. p. 986; Liv. I, 13 in. *Melius peribimus, quam sine alteris vestrum viduae aut orbae vivemus;* ibid. 46 extr. *et se rectius*

tinis esse avaritiam et crudelitatem Romanorum. Eadem, si intrassent Syracusas, aut foediora etiam, quo maius ibi avaritiae praemium esset, facturos fuisse.
2 Itaque claudendas cuncti portas et custodiendam urbem censere. Sed non ab eisdem omnes timere nec eosdem odisse. Ad militare genus omne partemque magnam plebis invisum
3 esse nomen Romanum; praetores optimatiumque pauci, quanquam inflati vano nuntio erant, tamen ad propius praesen-
4 tiusque malum cautiores esse. Et iam ad Hexapylum erant Hippocrates atque Epicydes; serebanturque colloquia per propinquos popularium, qui in exercitu erant, ut portas

---

viduam et illum coelibem futurum fuisse; VII, 40 sub fin. *fugeris etiam honestius, quam pugnaveris contra patriam.*

2 *ab eisdem o. t.*) Cf. ad XXIII, 36, 1.

Ad militare genus) V. supra ad c. 9, 9; praeterea XLIV, 45 extr. *Thraces — domos dilapsi et aliae militaris generis turbae;* XXXIV, 27 extr. *hi sunt iam inde antiquitus castellani, agreste genus.* Cf. ad XXII, 43, 3.

3 *inflati v. n.*) Sic codd. omnes, nisi quod unus ex praestantissimis a m. sec. habet: *inflammati.* Id quanquam glossam redolet, receptum ab editoribus tantum non omnibus est. Retinenda autem, id quod recte placuit Bauero, codicum scriptura: nam *inflatum*, quod fere ad magnos spiritus fastumque refertur, nonnunquam etiam in ira ponitur, quippe quae et ipsa extendat sive augeat animos. Itaque Cic. Tusc. III, 9, 19: *inflatus et tumidus animus in vitio est. Sapientis autem animus semper vacat vitio; nunquam turgescit, nunquam tumet: at iratus animus eiusmodi est: nunquam igitur sapiens irascitur.* Adde quod Livius aliique saepe *tumere* et quae sunt eiusdem generis locutiones in iratis ponunt. Cf. XXXI, 8 extr. *multis in Italia contactis gentibus Punici belli societate iraque inde tumentibus;* XXXIII, 11 med. *quae* (vox) *maxime Aetolos offendit, iam tumentes querentesque, mutatum victoria imperatorem.*

ad propius praesentiusque m.) De structura v. ad XXIII, 22, 9. Intelligitur autem malum ab Hippocrate et Epicyde imminens. Ceterum de *praesenti* cf. quae Drakenborchius annotavit ad II, 36, 5 *Iam praesentior res erat:* „Quum de eo, qui adest, qui praesens est, dubitari non possit, utrum sit, hinc factum, ut *praesens* ponatur pro certo, non dubio. Infra XL, 7 med. *Omnes se ire conclamarunt praeter eos, qui speculatoris a se pulsati praesentem ultionem metuebant;* XLV, 5 in. *praesenti admoto metu.*"

4 *per propinquos pop.*) V. ad XXIII, 20, 8. *Populares* singuli ex populo dicuntur, hic autem id nomen ad populum

aperirent sinerentque communem patriam defendi ab impetu Romanorum. Iam, unis foribus Hexapyli apertis, coepti 5
erant recipi, quum praetores intervenerunt. Et primo imperio minisque, deinde auctoritate deterrendo, postremo, ut omnia vana erant, obliti maiestatis, precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus et tum corruptoribus exercitus. Sed surdae ad ea omnia aures con- 6
citatae multitudinis erant, nec minore intus vi quam foris portae effringebantur, effractisque omnibus, totum Hexapylo agmen receptum est. Praetores in Achradinam cum 7
iuventute popularium confugiunt. Mercenarii milites perfugaeque, et quicquid regiorum militum Syracusis erat, agmen hostium augent. Ita Achradina quoque primo impetu 8
capitur, praetorumque nisi qui inter tumultum effugerunt,

Syracusanum referendum esse, quivis videt. Cf. infra §. 7; supra c. 2, 8.

unis foribus H.) V. ind. geogr. 5

Et primo — agebant) Ita agebant, ut primo imperio minisque, deinde, ubi imperii nullam iam vim esse senserunt, auctoritate i. e. consiliorum pondere deterrere studerent, postremo etc. Cf. XXII, 18, 8 *non imperio modo, sed consilio etiam ac prope precibus agens cum magistro equitum;* XLI, 2 sub fin. *quum — nec imperio nec auctoritate nec precibus ad extremum valuisset;* et de structura verborum *deterrendo agere:* II, 2 extr. *agere varie rogando alternis suadendoque coepit;* XL, 9 extr. *Nihil ego tanquam accusator criminose nec dubia argumentis colligendo ago.* Gerundium autem h. l. non aliter atque nonnunquam participium praesentis (v. ad XXI, 6, 6) de conatu positum est.

ut — erant) V. ad c. 1, 6.

tyranni ante s.) V. ad XXIII, 8, 7.

surdae ad ea omnia) V. supra §. 3; IX, 7 in. *surdae* 6
ad omnia solatia aures.

totum Hexapylo agmen) Codd. plerique: *tuto in H.*, sed duo optimi: *tuto Hexapylo. Totum* ex Gronovii coniectura editores omnes receperunt. Quippe si scriptum esset totū, fieri facile potuit, ut pro eo librarii ponerent *tuto.* Quanquam ne hoc quidem a sententia abhorret, si vestigia illorum librorum premens scribas: *toto H.* Antea enim unis effractis foribus parte tantum Hexapyli recipiebantur, tunc, omnibus patentibus, totum Hexapylum occuparunt, quo factum est, ut cedere eo loco praetores cogerentur.

Ita) V. ad c. 19, 6. 8

praetorumque) Hic genitivus, quem nonnulli ex opti-

9 omnes interficiuntur. Nox caedibus finem fecit. Postero die servi ad pileum vocati et carcere vincti emissi; confusaque haec omnis multitudo Hippocraten atque Epicyden creant praetores; Syracusaeque, quum breve tempus libertas affulsisset, in antiquam servitutem reciderant.

1 XXXIII. Haec nuntiata quum essent Romanis, ex
2 Leontinis mota sunt extemplo castra ad Syracusas. Et ab Appio legati per portum missi forte in quinqueremi erant. Praemissa quadriremis, quum intrasset fauces portus, capi-
3 tur; legati aegre effugerunt. Et iam non modo pacis, sed ne belli quidem iura relicta erant, quum Romanus exercitus ad Olympium (Iovis id templum est) mille et quingentos

---

mis libris praebent (ceteri *praetoresque*), inde explicandus est, quod sequitur *nisi qui*. Adiuncta est enim enuntiationi secundariae ea notio, quae ex Germanorum consuetudine ad primariam referenda erat. Cf. supra ad c. 18, 2.

Nox) Haec vox cum emphasi ἀσυνδέτως posita est, ut idem declaret quod *nox demum*.

9 *ad pileum vocati*) V. ad c. 16, 18; ad hoc Suet. Tiber. 4 *servisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit;* Sen. ep. 47 extr. *Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo deiicere.*

reciderant) Vulgo: *reciderunt*, sed plusquamperfectum optimorum codd. auctoritate nititur, atque ita bene significatur in clausula huius narrationis, non quid factum sit Syracusis, sed quo statu post haec fuerint. Cf. Z. §. 508; Weiss. §. 170 n.; infra ad c. 43, 3.

XXXIII.

2 *Et ab Appio*) Narratur alia res, quae belli faciendi accessit causa. Hinc praecedit *et*. Cf. supra ad XXIII, 19, 5.

fauces portus) Cf. XXV, 11 med. *quae* (arx) *in peninsula posita imminet faucibus portus;* X, 1 med. *donec, altero specus eius ore (nam pervius erat) invento, utraeque fauces congestis lignis accensae;* XXVIII, 30 in. *Urbs ea in ora oceani sita, ubi primum e faucibus angustis panditur mare;* XXXIII, 17 post in. *Leucadia — tum peninsula erat, occidentis regione artis faucibus cohaerens Acarnaniae;* XXIX, 32 post in. *in valle arta, faucibus utrimque obsessis, inclusit.*

3 *Et iam*) h. e. et ita factum erat, ut iam — relicta essent. Cf. Weiss. §. 345; Ramsh. p. 810.

non modo p., sed ne b. quidem) V. ad XXIII, 29, 16.

quingentos passus) Plerique editores ex maiore parte codicum receperunt: *quingentis passibus*. Sed cod. omnium

passus ab urbe castra posuit. Inde quoque legatos prae- 4
mitti placuit; quibus, ne intrarent urbem, extra portam Hip-
pocrates atque Epicydes obviam cum suis processerunt. Ro- 5
manus orator, *non bellum se Syracusanis, sed opem au-
xiliumque afferre* ait, *et eis, qui, ex media caede elapsi,
perfugerint ad se, et eis, qui, metu oppressi, foedio-
rem non exsilio solum, sed etiam morte, servitutem pa-
tiantur. Nec caedem nefandam sociorum inultam Ro-* 6
*manos passuros. Itaque si eis, qui ad se perfugerunt,
tutus in patriam reditus pateret, caedis auctores dedan-
tur, et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil
armis opus esse. Si ea non fiant, quicunque in mora*

---

optimus habet *passus*, idque Livianae dictioni optime convenit. V. supra c. 14, 2; 20, 11; I, 23 in. *Castra ab urbe haud plus quinque milia passuum locant;* IV, 32 med. *mille et quingentos passus citra Fidenas castra locat;* ibid. 46 extr.; XXXVII, 6 med.; XL, 30 in. Quare hoc Crevierius et Bekkerus recte praetulerunt. Quanquam ne ablativus quidem a Livii sermone abhorret. Cf. XXV, 9 post in.; XXIX, 2, in.; XLV, 28 in.

Romanus orator) i. e. qui pro legatis verba faciebat. 5
Nomina *legatorum* et *oratorum* saepe sine discrimine Livius posuit. Cf. I, 15 sub fin.; II, 13 med.; V, 15 in.; c. 16 in.; XXXII, 17 in.; XXXVII, 28 in., quibus locis aliisque multis pro legatis dixit oratores. Interdum tamen consulto quem legatum minus bene diceret, oratorem appellavit. V. ad XXI, 12, 4.

se) i. e. Romanos. Nam eorum nomine loquitur orator. Cf. ad XXII, 37, 4.

opem auxiliumque) Priore vocabulo significatur vis, qua subvenitur alicui, sive ad aliquem iuvandum conversa, altero accessio virium. Ait igitur, afferre se, quod rebus eorum affectis subveniat augeatque eorum vires. Similiter XXXIV, 11 extr. *sperantes, satis opis et auxilii sibi in Romanis esse;* Cic. Verr. II, 3, 9 *si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis.*

qui ad se perfugerunt) Multi editores contra codices 6
scripserunt *perfugerint*. Sed de indicativo in orat. obl. posito v. ad XXIII, 44, 1. Ac ne illud quidem alienum est, quod in eadem enuntiatione ponitur indicativus et pronomen reflexivum. V. v. c. XXXIX, 23 med. *qui Macedonum ab se defecerant in bello.* Cf. Ramsh. p. 543.

pateret) In multis libris legitur: *pateret ac c.*, quae causa fuit Crevierio coniiciendi: *pateat*, *caedis* etc. Secutus est Bekkerus. Sed copula ab optimis libris abest, et quum Livius in eodem orationis membro praecedente *si* coniunctivum

7 *sit, bello persecuturos.* Ad ea Epicydes, *si qua ad se mandata haberent, responsum eis* ait *se daturos fuisse: quum in eorum, ad quos venerint, manu res Syracusana*
8 *esset, tum reverterentur. Si bello lacessant, ipsa re intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leon-*
9 *tinos oppugnare.* Ita legatis relictis, portas clausit. Inde terra marique simul coeptae oppugnari Syracusae: terra ab Hexapylo, mari ab Achradina, cuius murus fluctu alluitur. Et quia, sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant, vastam disiectamque spatio urbem parte aliqua se invasuros, omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt.

1 XXXIV. Et habuisset tanto impetu coepta res for-

---

perfecti et plusquamperfecti posuerit (v. supra ad XXIII, 15, 4), nihil videtur obstare, quo minus similem structurae mutationem in coniunctivo imperfecti et praesentis ab eo admissam esse statuamus.

Si ea non fiant) V. ad c. 28, 4.

in mora sit) V. ad XXIII, 4, 7.

7 *ad se*) Non intellexerim cum Heusingero et Klaibero solum Epicyden et Hippocratem, sed omnes, qui dicti sunt §. 4, quibus opponuntur ii, de quibus legatus Romanus §. 5 dixit. Supplendum autem mente post *fuisse: nunc vero non daturos, sed* etc.

8 *Ita*) i. e. cum his verbis. Cf. ad XXI, 54, 3.

9 *ab Hexapylo*) De *a* praepositione, quum eius ope locus designatur, unde quasi iter (*die Richtung*) datur alicui actioni cf. ad XXI, 21, 10; Z. §. 304. b; Sch. p. 607; Weissenb. §. 248 n. 1.

disiectamque sp.) V. supra ad c. 2, 9.

invasuros) *Invadere* h. l. non est aggredi, sed intrare. Cf. IV, 55 med. *arcem Carventanam — Aequos, interfectis paucis custodibus arcis, invasisse;* Cic. Qu. fr. III, 2, 1 *quum — subito bonus imperator noctu in urbem, hostium plane, invasisset, in senatum se non committebat;* Verr. I, 20, 54 *si in eas* (urbes) *vi cum exercitu imperioque invasisses, tamen, opinor, quae signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, haec non in tuam domum — deportasses.*

XXXIV.

1 *Et habuisset*) Additur cum vi, quod priora confirmet. Quare *et* idem valet quod: et sane, et re vera. Cf. II, 11 med. *scituros id hostes ratus, quod in obsidione et fame servitia infida transfugerent. Et sciere perfugae indicio;* XXXI, 24

tunam, nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes is erat, unicus spectator coeli siderumque, mi- 2
rabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus ea, quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur. Murum per inae- 3
quales ductum colles, pleraque alta et difficilia aditu, summissa quaedam, et quae planis vallibus adiri possent, ut cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Achradinae murum, qui, ut ante dictum est, mari 4
alluitur, sexaginta quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Ex ceteris navibus sagittarii funditoresque et velites etiam, 5

---

in. *per Boeotiam Athenas ducit, pari incepto haud disparem eventum ratus responsurum. Et respondisset, ni* etc.; XXXVIII, 25 med. *Et successisset fraudi, ni pro iure gentium — stetisset fortuna.*

habuisset — fortunam) Intelligitur fortuna secunda seu prosper successus. Cf. XXVII, 49 post in. *quum haud dubie fortuna hostium esset.*

unicus) V. ad XXIII, 21, 5. 2

spectator coeli) Unus cod.: *speculator.* Atque ita Cic. nat. d. I, 30 *physicum* vocat *speculatorem venatoremque naturae.* Sed cf. Iustin. I, 1 *Dicitur siderum motus diligentissime spectasse.* Nec alienum erit etiam conferre Liv. XLII, 34 ante med. *Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac iudicem fuisse sciunt.*

ingenti mole) i. e. ingenti opera atque negotio. V. ad XXI, 22, 9; praeterea: I, 38 sub fin. *Maiore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole gesserat bella;* II, 16 in. *Maiore inde mole Sabini bellum parabant;* VIII, 13 post in. *Camillus cum Tiburtibus maxime valido exercitu, maiore mole — pugnat.*

perlevi momento) V. ad XXIII, 24, 7.

pleraque alta) Est appositio relata ad colles, quasi 3
diceret: quae loca pleraque alta sunt etc. V. ad XXI, 25, 9 et ibid. ad 32, 9.

sexaginta quinqueremibus) Vulgo: *ex quinque-* 4
remibus. Sed Polyb. VIII, 6 ἑξήκοντα σκάφεσι πεντηρικοῖς; Plut. Marc. p. 305 c. 14 πεντήρεις ἔχων ἑξήκοντα. Hinc Matthiae coniecit scribendum: *ex LX quinqueremibus*, probabilius nuper Boettcherus praepositionem ipsam ex numero LX natam existimat. Atque hoc verum putamus. Nam si numerum non adderet Livius, i. e. si non vires navales Romanorum, sed oppugnandi rationem his verbis indicaret, scripturum crediderim potius fuisse: *ex navibus* sive *navibus M. oppugnabat.*

Ex ceteris navibus) Haec non antecedentibus opponi, 5

quorum telum ad remittendum inhabile imperitis est, vix
6 quemquam sine vulnere consistere in muro patiebantur; hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. Iunctae aliae binae quinqueremes, demptis interioribus remis,

---

sed iis quae sequuntur: *Iunctae aliae binae quinqueremes*, ita ut *ceterae naves* et ipsae quinqueremes sint, Boettcherus recte animadvertit. Neque enim, quod ex Polybio et Plutarcho constat, aliis navibus praeter quinqueremes Marcellus utebatur, neque, si hae naves non essent quinqueremes, qualis fuerit quinqueremium earum, a quibus nonnullas §. 6 et 7 distinguit Livius, usus, apparet. *Ceteri* autem et *alii* saepissime ita poni, ut non antecedentia spectentur, sed quae sequuntur, satis constat. V. v. c. supra c. 7, 4; 20, 9 et 16; 21, 4; infra c. 39, 1; 45, 2 et 4; XXXII, 37 in.; XLIV, 27 in. In sequentibus autem (§. 6) quum proprie, omisso vocabulo *aliae*, dicendum fuerit: *Iunctae binae quinqueremes*, Livius propter multa inter haec et ea, quibus opponuntur, interiecta videtur ab instituta oratione paululum declinasse ita pergens, velut si antea dixisset: *Ex aliis* (*einigen*) sive *ex multis quinqueremibus.*

velites) V. ad XXIII, 29, 3.

ad remittendum inhabile) Velites septenas hastas gerebant, quarum longitudinem fuisse fere binorum cubitorum, ambitum singulorum digitorum, auctor est Polybius. Idem tradit, tam tenue fuisse ferrum iis praefixum, ut plerumque a primo statim iactu inflecteretur ideoque non posset ab hoste retorqueri. Livius autem omnino inhabile ad remittendum imperitis fuisse tradit, fortasse, ut ait Lipsius (mil. rom. III, 1), quia amento emittebatur et certo motu.

6 *Iunctae aliae b. quinqueremes*) i. e. Iunctae autem aliae etc. — Quam vulgo inseruerunt ante *quinqueremes* praepositionem *ad*, ea et propter structuram offensioni est, quum Livius nusquam dixerit *iungi ad aliquid*, et propter sententiam. Nam ternarum quinqueremium coniunctio et per se parum credibilis est et a Polybii narratione prorsus abhorret nec convenit cum verbis: *demtis interioribus remis*, quum in media quinqueremi utrique remi demendi fuissent. Accedit, quod *portabant* parum commode ad exteriores tantum naves referendum esset. Sigonius post *ad* inseri iussit *octo*, quippe quem numerum tradant Polybius et Plutarchus. Sed ea coniectura, quanquam probata est Lipsio, Drakenborchio, Bekkero, tamen et ipsa habet quod displiceat. Nam praeterquam quod in nullo cod. vestigium apparet numeri, mireris etiam, additam praepositionem *ad*, quum Polybius et Plutarchus pro certo illum numerum posuerint. Denique in cod. omnium optimo *ad* non legitur, sed: *bina ea quinqueremes*, in altero: *bine quinquer.* Quare delenda praepositio videtur, quae per errorem librariorum ex illa optimi cod. scriptura, ubi ut saepius una litera per-

ut latus lateri applicaretur, quum exteriore ordine remorum 7
velut una navis agerentur, turres contabulatas machinamentaque alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc 8
navalem apparatum Archimedes variae magnitudinis tormenta in muris disposuit. In eas, quae procul erant, naves saxa ingenti pondere emittebat; propiores levioribus eoque magis crebris petebat telis. Postremo, ut sui vulnere intacti tela 9
in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere cavis aperuit, per quae cava pars sagittis,

---

peram inserta est, nasci potuit. Boettcherus praefert: *I. aliae binae (erant VIII quinqueremes)* vel *eae erant VIII q.* vel *eae VIII q.* (sc. erant). Neque tamen, numerum quinqueremium num Livius addiderit, videtur decerni nunc posse. Ceterum cf. locum Polybii VIII, 6 *Ἅμα δὲ τούτοις ὀκτὼ πεντήρεσι παραλελυμέναις τοὺς ταρσοὺς, ταῖς μὲν τοὺς δεξίους, ταῖς δὲ τοὺς εὐωνύμους καὶ συνεζευγμέναις πρὸς ἀλλήλας σύνδυο κατὰ τοὺς ἐψιλωμένους τοίχους, προσῆγον πρὸς τὸ τεῖχος διὰ τῆς τῶν ἐκτὸς τοίχων εἰρεσίας τὰς λεγομένας σάμβυκας.*

turres contabulatas) i. e. plura tabulata habentes. 7
V. ad XXI, 11, 7.

quatiendis muris) V. ad c. 23, 1.

In eas, quae pr. erant) Cf. Polyb. VIII, 7 *παρεσκευασμένος ὄργανα πρὸς ἅπαν ἐμβελὲς διάστημα, πόῤῥωθεν μὲν ἐπιπλέοντας τοῖς εὐτονωτέροις καὶ μείζοσι λιθοβόλοις καὶ βέλεσι τιτρώσκων, εἰς ἀπορίαν ἐνέβαλε καὶ δυσχρηστίαν. Ὅτε δὲ ταῦτ' ὑπερπετῆ γίγνοιτο, τοῖς ἐλάττοσι κατὰ λόγον ἀεὶ πρὸς τὸ παρὸν ἀπόστημα χρώμενος, εἰς τοιαύτην ἤγαγε διατροπὴν, ὥστε καθόλου κωλύειν αὐτῶν τὴν ὁρμὴν καὶ τὸν ἐπίπλουν.* 8

vulnere intacti) *Vulnus* est saepe actio vulnerandi 9
sive vulneratio. Cf. supra c. 7, 5; II, 17 med. *gravi vulnere ex equo deiectum;* XXXV, 35 extr. *tandem in nudum corpus vulnera pervenerunt.* Hinc non raro adiectus est genitivus eius, qui vulnerat. V. XXXVII, 41 sub fin. *vulneribus missilium undique coniectorum;* Cic. Acad. I, 3, 11 *fortunae gravissimo percussus vulnere;* Cael. 32, 79 *Nolite — hunc, iam natura ipsa occidentem, velle maturius exstingui vulnere vestro.*

cubitalibus f. cavis) „In eo a Polybio differt Livius, quod ille foramina haec primum non ab imo ad summum facta dicat; sed" (l. deinde) „ad viri magnitudinem, quod etiam verisimilius; tum ea non fuisse *πηχυαῖα* seu cubitalia, ut Livius refert, sed palmaria." (V. ad §. 10). „Sed fortasse utriusque narratio ita conciliari possit, ut dicas, foramina ista seu *cava* intrinsecus cubitalia, extrinsecus vero palmaria (i. e. quattuor digitos lata) fuisse." Stroth. Itaque Heusingerus scribarum incuria omissa quaedam iudicans, scribendum coniecit:

10 pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quae propius quaedam subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente

---

crebris, cubitalibus introrsum, extrorsum palmaribus fere, cavis aperuit. Dixisse igitur vult scriptorem, introrsum latitudinem cubiti fuisse eorum foraminum, extrinsecus (*extrorsum* apud Latinos scriptores nusquam legitur) palmi sive quattuor digitorum. Boettcherus mavult: *tricubitalibus intus, extrinsecus palmaribus fere, tricubitalia,* quae vox et ipsa nusquam legitur, similibus formis *bicubitalia* (Plin. XX, 23, 94) et *tripedalia* defendens. Fatendum tamen, eiusmodi res ab Livio nonnunquam minus accurate tradi.

scorpionibus) „Scorpiones erant machinae bellicae, quibus lapides, spicula aliaque missilia mittebantur in hostes. Plerumque simul cum balistis et catapultis commemorantur, ut a Liv. XXVI, 47. Variae magnitudinis erant, alii maiores, alii minores, qui h. l. intelligi videntur.“ Stroth. Cf. et Veget. IV, 22 *Scorpiones dicebant, quas nunc manuballistas, quod parvis subtilibusque spiculis mortem inferant.*

10 *Quae pr. quaedam s. n. — in eas*) Ita verborum positione usus satis nota dixit pro hoc: In quasdam naves, quae propius subibant etc. V. Z. §. 804; Sch. p. 654; Weiss. §. 378.

quo interiores ictibus t. essent) „*Interiores ictibus* naves sunt, quae, quoniam propius ad tormenta accesserunt, a missilibus, quibus spatio quodam opus est, non amplius attinguntur, sed potius superantur. — Similiter sup. VII, 10 *interior periculo vulneris* legitur.“ Raschig. Cf. Polyb. VIII, 7 *Γενομένων δ᾽ αὐτῶν ἐντὸς βέλους πρὸς τῇ γῇ, πάλιν ἑτέραν ἡτοιμάκει παρασκευὴν πρὸς τοὺς ἀπομαχομένους ἐκ τῶν πλοίων· ὡς ἀνδρομήκους ὕψους κατεπύκνωσε τρήμασι τὸ τεῖχος ὡς παλαιστιαίοις τὸ μέγεθος κατὰ τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν. Οἷς τοξότας καὶ σκορπίδια παραστήσας ἐντὸς τοῦ τείχους καὶ βάλλων διὰ τούτων ἀχρήστους ἐποίει τοὺς ἐπιβάτας.*

in eas tollenone — eminente) Locum optime restituit Sigonius, quum in optimo cod. legatur: *tollenō e super,* in reliquis fere *tollendo de super* etc. De tollenone v. Vitruv. IV, 21 *Tolleno dicitur, quoties una trabs in terram praealte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, ut, si unum caput depresseris, aliud erigatur.* Cf. et Liv. XXXVIII, 5 post in. Rem ita illustrat Gronovius: „Corvus ille vel manus ferrea tollenone super murum eminente, cui firma catena est alligata, demissa iniicitur prorae: quo facto *πτέρνα τῆς μηχανῆς* seu grave libramentum plumbi, machina vel tormento elevatum, dum manus illa descendit, relinquitur naturali suo motui (qui est deorsum tendere) et recellit ad solum: hoc cadente, vicissim adscendit manus ferrea proramque prehensam attrahit suspenditque atque ita navem in puppim statuit. Tum remitti-

ferrea manus, firmae catenae illigata, quum iniecta prorae
esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, suspensa
prora, navem in puppim statuebat; dein, remissa subito, 11
velut ex muro cadentem navem cum ingenti trepidatione
nautarum ita undae affligebat, ut, etiamsi recta reciderat,
aliquantum aquae acciperet. Ita maritima oppugnatio est 12
elusa, omnisque eis spes eo versa, ut totis viribus terra
aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu 13
tormentorum instructa erat, Hieronis impensis curaque per

---

tur manus *διά τινος σχαστηρίας*, ut ait Polybius." Et Polybii quidem verba haec sunt (VIII, 8): *ἅμα δὲ καὶ καθίει χεῖρα σιδηρᾶν ἐξ ἁλύσεως δεδεμένην, ᾗ δραξάμενος ὁ τὴν κεραίαν οἰακίζων, ὅθεν ἐπιλάβοιτο τῆς πρώρας κατῆγε τὴν πτέρναν τῆς μηχανῆς ἐντὸς τοῦ τείχους. Ὅτε δὲ κουφίζων τὴν πρώραν ὀρθὸν ποιήσειε τό σκάφος ἐπὶ πρύμναν, τὰς μὲν πρώρας τῶν ὀργάνων εἰς ἀκίνητον καθῆπτε· τὴν δὲ χεῖρα καὶ τὴν ἅλυσιν ἐκ τῆς μηχανῆς ἐξέραινε διά τινος σχαστηρίας. Οὗ γενομένου, τινὰ μὲν τῶν πλοίων πλάγια κατέπιπτε, τινὰ δὲ καὶ κατεστρέφετο· τὰ δέ πλεῖστα τῆς πρώρας ἀφ᾽ ὕψους ῥιφθείσης βαπτιζόμενα, πλήρη θαλάττης ἐγίγνετο καὶ ταραχῆς.*

gravi l. pl. recellente) Libri mss. omnes: *gravique libramento plumbi recelleret ad solum*, quod nisi duriore structura ad tollenonem referas, ineptum est, quum, ut Strothii verbis utar, *recellere* de ferrea manu dici non possit, quippe quae sursum ascenderet, non recelleret seu resiliret ad solum, quod de altero capite tollenonis pondereque illi iniecto modo valet. Itaque Gronovius scribendum censet aut: *gravi libramento plumbi recellente* aut: *graveque libramentum plumbi recelleret.* Plerique editores priorem coniecturam praetulerunt; quanquam nescio an posterior ut propius accedens ad librorum scripturam probabilior sit. Nam quod *statuebat* ad manum ferream refertur, non ad subiectum proximum, i. e. ad libramentum, in eo nihil insoliti est. Cf. ad XXIII, 8, 4. Boettchero post *recelleret* excidisse videtur *ille* aut *tolleno.*

remissa) V. ad §. 10. 11

undae affligebat) *Unda* nonnunquam collectivum est nomen; sed poetarum magis quam prosae orationis scriptorum hoc est. Ceterum patet, undam pro aqua non posse poni, nisi ubi motum aquarum cogites.

recta reciderat) Cf. extrema verba Polybii.

eis spes eo versa) Vulgo: *omnisque vis est eo versa*, 12
quod propter sequentia verba: *ut totis viribus — aggr.* parum probabile est. Veram scripturam Boettcherus restituit ex optimo cod., in quo est: *omnis quaeeisp sese adversa* (*d* litera leviter inducta). Fortasse etiam post *spes* addendum *est.*

14 multos annos, Archimedis unica arte. Natura etiam adiuvabat loci, quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magna parte ita proclive est, ut non solum missa tormento, sed etiam quae pondere suo provoluta essent, graviter in
15 hostem inciderent. Eadem causa ad subeundum arduum
16 aditum instabilemque ingressum praebebat. Ita, consilio habito, quum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione atque obsidendo tantum arcere terra marique commeatibus hostem placuit.

1 XXXV. Interim Marcellus, cum tertia fere parte exercitus ad recipiendas urbes profectus, quae in motu rerum ad Carthaginienses defecerant, Helorum atque Herbessum,
2 dedentibus ipsis, recipit, Megara vi capta diruit ac diripuit
3 ad reliquorum, ac maxime Syracusanorum, terrorem. Per

---

14 *adiuvabat*) Vulgo: *iuvabat.* Alterum tuentur duo omnium optimi codd. cum nonnullis aliis. Eadem de causa postea pro *magna ex parte*, quod ceteri editores habent, receptum *magna parte.* V. ad XXI, 56, 8 et XXII, 15, 9.

missa tormento) Ita optimus cod. Put., ceteri omnes *tormenta.* Illam scriptionem veram esse, ex oppositione verborum *tormento missa* et *pondere suo provoluta* apparere, Drakenborchius ostendit. Praeterea cf. exempla a Gronovio et Drakenborchio allata: XLIV, 35 extr. *Ubi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant;* ibid. 10 med. *saxis tormento emicantibus percutiebantur;* Auct. de bell. g. VIII, 14 extr. *unde tormento missa tela in hostium cuneos coniici possent.*

15 *ad subeundum*) V. ad XXIII, 22, 9.

16 *absistere*) *Placere* nonnunquam non accusativum cum inf., sed infinitivum solum adiunctum habet. V. VIII, 13 med. *Placuit inde — circumducere exercitum;* ibid. extr. *quicquid statuere placet;* XXXI, 5 extr. *de auxilio mittendo tum respondere placere;* XXXII, 9 extr. *illo ipso tam iniquo loco aggredi hostem placuit;* XXXV, 47 in. *Placuit Achaeos et Amynandrum, regem Athamanum, tentare.* Cf. ad XXI, 38, 6.

arcere — commeatibus) Ita huic verbo etiam ablativus rei, quam prohibemus ab aliquo, addi potest. Similiter Horat. ars p. 64 *classes Aquilonibus arcet.*

XXXV.

1 *dedentibus ipsis*) Cf. supra ad c. 12, 2; cap. sq. §. 10.

2 *diruit ac diripuit*) De paronomasia v. ad XXII, 30, 4; infra c. 38, 8.

idem fere tempus et Himilco, qui ad Pachyni promontorium
classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam,
quinque et viginti milia peditum, tria equitum, duodecim
elephantos exposuit, nequaquam cum quantis copiis ante
tenuerat ad Pachynum classem. Sed, postquam ab Hippo- 4
crate occupatae Syracusae erant, profectus Carthaginem,
adiutusque ibi et ab legatis Hippocratis literisque Hanniba-
lis, qui venisse tempus aiebat Siciliae per summum decus
repetendae, et ipse haud vanus praesens monitor facile per- 5

---

ad reliquorum — terrorem) i. e. ut reliquis terrorem iniiceret. V. ad XXII, 13, 9.

ad Pachyni promont.) Unus ex deterioribus codd.: 3
ad Pachynum promontorium. Quod quanquam usitatius est, tamen *Pachyni promontorium* non minus recte dicitur quam supra c. 12, 4 et 13, 1 et 20, 14 *lacus Averni;* XLI, 1 in. *lacus Timavi;* VIII, 13 post in. *Asturae flumen;* XLIII, 4 med. *flumen Loracinae.*

classem d. tenuerat) Cf. quae statim sequuntur, ubi eadem dictio redit: XXXI, 46 post in. *Heraclides praefectus regius classem ibi tenebat.*

n. cum quantis copiis) Brevius dixit Livius, quod pluribus verbis efferre sic poterat: *nequaquam tantas copias, quantae erant, cum quibus ante tenuerat ad P. cl.* Simili brevitate dicendi non raro utitur. Cf. III, 16 extr. *maiore, quam venerint, silentio abituros* i. e. maiore, quam id esset, cum quo venerint; XXVI, 20 extr. *maiore gratia, quam venerat, classis dimissa est;* XXXIII, 41 extr. *minus opulento agmine, quam profectus erat, Seleuciam rediit;* XLIII, 23 in.— *Tantus* interdum idem est quod *modo tantus* sive *non maior,* v. c. XXXIV, 11 in. *Tria milia militum satis esse, nec hostes, si tanta manus venisset, mansuros.*

Sed) Poteras exspectare: *Nam,* quum iam exponatur, 4
qui factum sit, ut multo maiorem quam ante exercitum Himilco haberet. Sed quemadmodum Graeci, praecedente negatione, ad eam potissimum solent ita referre orationem, ut ab ἀλλὰ enuntiata incipiant, quibus ratio priorum exponitur, ubi Germani ponimus *denn,* ita h. l. Livius *nequaquam* negationem potissimum respiciens, particula adversativa usus est. Ceterum etiam hic dignum, quod animadvertas, est, ut omnia, quae ad summam rei aliquod momentum habuerant, brevitatis studiosus rerum scriptor uno verborum ambitu atque varie comprehenderit. Ac quemadmodum hic secundaria sententia praemissa est longior, postposita brevior primaria, ita contrarium fit in iis, quae proxime sequuntur, ut, quum utrobique plurima in unum coniuncta sint, grata tamen exsistat structurae variatio.

et ab l. H. literisque) De *et — que* v. ad XXI, 49, 8.

pulerat, ut, quantae maximae possent, peditum equitumque
6 copiae in Siciliam traiicerentur. Adveniens Heracleam, in-
tra paucos dies inde Agrigentum recipit; aliarumque civi-
tatium, quae partis Carthaginiensium erant, adeo accensae
sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos, ut postremo etiam,
7 qui obsidebantur Syracusis, animos sustulerint, et, parte
copiarum satis defendi urbem posse rati, ita inter se mu-
nera belli partiti sint, ut Epicydes praeesset custodiae ur-
bis, Hippocrates, Himilconi coniunctus, bellum adversus con-
8 sulem Romanum gereret. Cum decem milibus peditum, quin-
gentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca pro-
9 fectus, castra circa Acrillas urbem ponebat. Munientibus
supervenit Marcellus, ab Agrigento iam occupato, quum
frustra eo praevenire hostem festinans tetendisset, rediens;
nihil minus ratus, quam illo tempore ac loco Syracusanum
10 sibi exercitum obvium fore; sed tamen metu Himilconis Poe-
norumque, ut quibus nequaquam eis copiis, quas habebat,
par esset, quam poterat maxime intentus atque agmine ad
omnes casus composito ibat.
1 XXXVI. Forte ea cura, quae erat adversus Poenos
praeparata, adversus Siculos usui fuit. Castris ponendis

---

5 *perpulerat*) *Perpellere* aliis quoque locis absolute dicitur. Cf. I, 45 in.; III, 50 post med.; IV, 12 post med.; IX, 24 post in., alibi.

quantae maximae p.) V. ad XXIII, 16, 12.

6 *Adveniens — recipit*) V. ad XXIII, 34, 10. *Heracleam* refer ad *recipit*. *Inde* dubiae est auctoritatis, quum ab uno ex optimis libris (Flor.) absit.

7 *ita — partiti sint*) Loquitur de pactione. Hinc patet vis coniunctivorum *praeesset* et *gereret*, ne quis eos ad rem factam referendos putet.

8 *per intermissa custodiis l.*) Prorsus eodem modo dixit: VII, 36 in. *vadentemque per intermissa custodiis loca Decium secuti sunt.* De structura cf. ad XXIII, 43, 6.

9 *Munientibus*) i. e. in opere castrorum occupatis. Nam ita *munire* nonnunquam absolute dicitur. V. V, 26 med. *Trifariam Romani muniebant; alius exercitus proelio intentus stabat;* III, 28 med. *a munientibus ad pugnantes introrsum versi;* cf. et XXV, 11 in.

nihil minus ratus) V. ad XXIII, 37, 6.

incompositos ac dispersos nanctus eos et plerosque inermes,
quod peditum fuit, circumvenit; eques, levi certamine inito,
cum Hippocrate Acras perfugit. Ea pugna defugientes ab 2
Romanis quum cohibuisset Siculos, Marcellus Syracusas
redit; et post paucos dies Himilco, adiuncto Hippocrate,
ad flumen Anapum, octo ferme inde milia, castra posuit.
Sub idem fere tempus et naves longae quinque et quinqua- 3
ginta Carthaginiensium cum Bomilcare classis praefecto in
magnum portum Syracusas ex alto decurrere; et Romana 4
item classis, triginta quinqueremes, legionem primam Pa-
normi exposuere; versumque ab Italia bellum (adeo uterque
populus in Siciliam intentus) fuisse videri poterat. Legio- 5
nem Romanam, quae exposita Panormi erat, venientem Sy-

XXXVI.

Castris ponendis) Ablativus causam indicat. Cf. supra ad c. 19, 5. 1

defugientes ab Rom.) Vulgo: *deficientes*, sed *defugientes* in optimis quibusque codd. legitur, nec videtur ea scriptura deserenda esse, quum *defugere*, quod est cupide vel celeriter se subtrahentium alicui sive homini sive rei, ab hoc loco alienum non sit. 2

redit) Ita opt. cod. Flor., quem, quum de Put. taceant interpretes, sequendum esse putavimus. Nam quod sequitur *posuit*, in eo nihil insoliti esse, ostendimus ad XXII, 21, 8. Cf. priore cap. §. 6. Eadem fuit causa infra §. 10 praeferendi *recipit*.

in magnum p. Syracusas) V. ind. geogr., praeterea supra ad c. 23, 8. 3

decurrere) Cf. XXIX, 27 extr. *Eo classis decurrit: copiae omnes in terram expositae sunt;* auct. b. afr. 3 extr. *nullum portum terrae Africae, quo classes decurrerent, tutum ab hostium praesidio fore suspicabatur.* De forma verbi cf. supra ad c. 5, 12.

exposuere) Ita numerum pluralem voci *classis* additum habes etiam XXXV, 26 extr. *Cetera classis, praetoria nave amissa, quantum quaeque remis valuit, fugerunt,* ubi transitum ad pluralem parant interiecta verba: *quantum quaeque r. valuit*, ut hic, quod in appositione positum est: *triginta quinqueremes.* Cf. et XXX, 9 med. 4

versumque ab It. b.) V. ad XXIII, 26, 6.

intentus) Cf. supra ad c. 3, 2.

venientem Syracusas) Omisimus cum Bekkero distinctionem post *Syracusas*, ut appareret, *venientem* non separandum a verbis: *praedae sibi futuram.* 5

racusas praedae haud dubie sibi futuram Himilco ratus, via
6 decipitur: mediterraneo namque Poenus itinere duxit; legio
maritimis locis, classe prosequente, ad Ap. Claudium, Pachynum cum parte copiarum obviam progressum, pervenit.
7 Nec diutius Poeni ad Syracusas morati sunt. Et Bomilcar, simul parum fidens navibus suis, duplici facile numero classem habentibus Romanis, simul inutilem moram cernens, nihil aliud ab suis quam inopiam aggravari sociorum, velis
8 in altum datis, in Africam transmisit; et Himilco, secutus nequicquam Marcellum Syracusas, si qua, priusquam maioribus copiis iungeretur, occasio pugnandi esset, postquam ea nulla contigerat, tutumque ad Syracusas et munimento
9 et viribus hostem cernebat, ne frustra assidendo spectandoque obsidionem sociorum tempus tereret, castra inde movit, ut, quocunque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoveret exercitum ac praesens suas res foventibus adderet
10 animos. Murgantiam primum, prodito ab ipsis praesidio Romano, recipit, ubi frumenti magna vis commeatusque omnis generis convecti erant Romanis.

---

6 *duxit*) Cf. ad XXIII, 18, 13.

7 *dupl. facile numero*) De ablativo v. Weiss. §. 206 et n. 4; Z. §. 471; Sch. p. 436. *Facile* saepe de eo dicitur, quod sine dubitatione pro vero concedas, ut ad vim accedat vocum *manifesto*, *haud dubie*. Cf. I, 6 sub fin. *qui omnes facile spem facerent*.

inutilem moram cernens) Haec optimorum plurimorumque codd. auctoritate fulta praeeunte Bekkero recipienda visa sunt; alii auctore Crevierio scripserunt: *simul inutili mora cernens nihil aliud* etc. Verba: *nihil aliud ab suis — sociorum* per appositionem adiecta sunt et ipsa pendentia ex verbo cernendi. De locutione *nihil aliud quam* v. supra ad XXIII, 3, 13.

8 *nulla contigerat*) Gravior est ea negatio, quam quum ponitur *non*. Cf. infra ad c. 44, 8; XXXII, 35 in. *Philippus nullus usquam nec nuntius ab eo per aliquot horas veniebat*. Z. §. 688; Sch. p. 526; Weiss. §. 226 n. 2. De temporibus cf. ad c. 31, 2.

10 *ubi — convecti erant Rom.*) T. Faber legendum censuit *quo*. Contra quem Drakenb.: „*Ubi* hoc modo defendi potest, ibi i. e. Murgantiae, fuisse magnam vim frumenti et commeatus omnis generis, qui convecti erant Romanis, sive *Romanis* intelligere malis in usum Romanorum sive a Romanis.“

XXXVII. Ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum 1 civitatium animi; praesidiaque Romana aut pellebantur arcibus aut prodita per fraudem opprimebantur. Henna, ex- 2 celso loco ac praerupto undique sita, quum loco inexpugnabilis erat, tum praesidium in arce validum praefectumque praesidii haud sane opportunum insidiantibus habebat. L. 3 Pinarius erat, vir acer, et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide Siculorum, reponeret. Et tum intenderant eum ad cavendi omnia curam tot auditae proditiones defectionesque urbium et clades praesidiorum. Itaque nocte 4

(Cf. supra ad XXIII, 43, 6). Scilicet in praepositionibus ponendis sive adverbiis, in quibus earum vis inest, interdum minus verborum respicitur actio, quam qui status eam sequatur.

XXXVII.

Ad hanc defectionem) V. supra ad c. 14, 9. 1

haud sane) V. supra ad c. 8, 13. 2

opportunum insidiantibus) Cf. XXX, 4 in. *opportuniores insidianti* (stationes vigiliaeque); II, 13 extr. *quae* (aetas) *maxime opportuna iniuriae esset;* similiter XXVIII, 19 in.; IV, 13 ante med. *minime opportunus vir novanti res;* VI, 24 in. *Romanus — in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit;* VIII, 25 sub fin. *ad praebendam opportunam consilio urbem.*

L. Pinarius erat) Livius fere pronomen *is* addere so- 3 let, ubi nomen proprium ad antecedentia refertur. Cf. supra c. 34, 2 *Archimedes is erat;* V, 34 in. *Ambigatus is fuit;* ibid. sub fin. *Massilienses erant hi;* VIII, 28 in. *L. Papirius is fuit;* XXVIII, 17 post in. Itaque suspicari possis, hic quoque scriptum ab eo fuisse: *L. Pinarius is erat*, quum *is* facillime h. l. excidere potuerit. Nam quae exempla ad c. 34, 2 attulerunt Gronovius et Drakenborchius (VII, 26 in.; XXV, 16 post in.; ibid. 19 med.; Cic. Quinct. 3), pronomen omitti posse demonstrantes, ii alius generis sunt. Sed si compares locos per parenthesin interiectos, ubi pronomen omissum est, ut supra XXIII, 15, 2; X, 2 ante med. *inde esse ostium fluminis praealti — (Meduacus amnis erat);* V, 32 extr., nihil obstare videbis, quo minus etiam hic vulgatam bene se habere statuas. Alii coniunxere: *L. Pinarius erat vir acer* etc., quae ratio minus videtur Livii consuetudini convenire.

in eo, ne posset d.) *Id* intelligitur, quod impedimento esset. Hinc sequitur *ne.* Similia v. ad XXII, 1, 2.

proditiones) Cf. c. 39, 7. Pariter Cicero eam vocem pluraliter dixit Acad. II, 9; Sen. 12, 40.

nocte dieque) De positione horum verborum diximus 4 ad XXI, 11, 5. H. l. aptius praemittitur *nocte.*

dieque iuxta parata instructaque omnia custodiis ac vigiliis
5 erant, nec ab armis aut loco suo miles abscedebat. Quod
ubi Hennensium principes, iam pacti cum Himilcone de pro-
ditione praesidii, animadverterunt, nulli occasioni fraudis
6 Romanum patere, palam rati agendum, *urbem arcemque*
suae potestatis aiunt *debere esse, si liberi in societatem,*
non servi in custodiam, traditi essent Romanis. Itaque
7 *claves portarum reddi sibi* aequum censent. *Bonis sociis*
fidem suam maximum vinculum esse; et ita sibi popu-
lum Romanum senatumque gratias habiturum, si volen-
8 *tes ac non coacti mansissent in amicitia.* Ad ea Roma-
nus, *se in praesidio impositum esse* dicere *ab impera-*

---

iuxta) V. ad XXIII, 28, 3.

5 *Quod ubi*) V. supra ad c. 15, 5.

n. occasioni R. patere) Cf. ad § 2; praeterea ad XXII, 59, 11; Curt. IV, 10 post med. *patere vel unius insidiis regem.*

palam rati agendum) Inde a Drakenborchio editores fere receperunt: *palam rentur agendum*, sed exiguae ea scriptio auctoritatis est, quippe quam ex margine codicis non ita praestantis Drakenborchius hauserit. Optimus cod. habet *patere* *l c* *patuerat agendum*, alii fere: *patere*, *placuerat agendum.* Lipsius coniecit: *palam erat agendum.* Sed ad Livii mentem res non bene refertur. Verisimilior est Vallae coniectura nuper etiam Boettchero probata: *palam rati agendum.* Nisi tamen propter similitudinem complurium syllabarum nonnulla exciderunt scribendumque: *patere*, *palam statuerunt agendum.*

7 *fidem suam*) V. ad XXIII, 7, 2.

pop. Rom. senatumque) Discedens a solita verborum collocatione non dixit *senatum populumque Romanum.* Quod ideo videtur fecisse, ut utrique probatum eos iri magis significaretur. Pariter VII, 31 extr. *denuntiarent Samnitibus populi Romani senatusque verbis.*

gratias habiturum) Cf. supra ad XXIII, 11, 12.

ac non coacti) *Non* ita coniunctum est cum voce insequenti, ut unam cum ea notionem efficiat, quae ut synonyma priori (*volentes*) adiungitur per *ac.*

8 *in praesidio impositum*) Non raro Livius id potissimum spectans, quod qui impositus est in aliquem locum, ibi remansit et fuit, huic verbo *in* subiunxit cum ablativo. V. VIII, 23 post in. *coloniamque in Samnitium agro imposuerit;* XXXI, 18 extr. *imposito Abydi praesidio;* XXIX, 35 post in.; XXXVI, 12 extr.; XLIII, 19 in.; ex quibus exemplis elucet, Livium

tore suo, clavesque portarum et custodiam arcis ab eo accepisse, quae nec suo nec Hennensium arbitrio haberet, sed eius, qui commisisset. Praesidio decedere apud 9
*Romanos capital esse, et nece liberorum etiam suorum eam * legem parentes sanxisse. Et consulem Marcellum haud procul esse: ad eum mitterent legatos, cuius iuris*

---

maxime in locutione *praesidium imponere* ea structura usum esse. Cf. Z. §. 490; Sch. p. 422 sq.; Weiss. §. 269 n. 6.

quae — haberet) Generaliter cogitat, quae ante sibi credita singula dixit. Hinc neutro genere utitur. Cf. supra ad XXIII, 43, 11; XXXVII, 32 extr. *ira et avaritia imperio potentiora erant.* De cetera structura cf. ad c. 30, 14.

capital esse) Festus: *Capital facinus, quod capitis* 9
poena luitur.

eam legem) i. e. ut capital esset, praesidio decedere.— Ceterum *legem* abest ab omnibus libris manu scriptis. Addita est vox ab interpretibus, quod, ea omissa, *eam* nihil habet, quo referri possit. Similiter Livius in enarranda ipsa re, quam hic significavit, Manlium facit filio dicentem (VIII, 7 sub fin.): *quum morte tua sancienda sint consulum imperia.* Bekkerus ex Iacobi Gronovii coniectura recepit: *id nece liberorum etiam suorum iam parentes sanxisse.* Sed *iam* mirum quantum languet. Itaque magis placuerit, quod Klockius commendavit: *id nece liberorum etiam suorum parentes sanxisse.* Boettcherus post *esse* suspicatur „excidisse aliquid, quo referretur *eam* h. e. tale membrum orationis, quo, *disciplina militari* nominata, ab illo, quod capital dicitur, *praesidio decedere* ad punitam qualemcunque disciplinae solutionem transitus fieret.“ Nos in re prorsus incerta ab ea scriptione, quam et receperunt inde a Drakenborchio plerique omnes editores et sententia ipsa maxime commendat, recedendum non putavimus. Nam quod minus accurate Pinarius loquitur, quasi Manlius iuvenis supplicio esset ob eam causam affectus, quod praesidio decessisset, id nemo mirabitur, qui meminerit, etiam aliis locis apud Livium qui verba faciunt a veritate rerum nonnunquam discedere paululum, quo res magis suo consilio accommodent. Cf. ad XXII, 3, 10; supra ad XXIII, 11, 8; ibid. ad c. 45, 8.

Et consulem) Quum optimi codd. praebeant *sanxisset consulem*, Boettcherus recepit: *Sed consulem.* Praeferendum visum est *Et.* Nam Pinarius haec duo ad amovenda Hennensium postulata affert, et sibi non licere praesidio decedere, et eum, cuius arbitrii res esset, haud procul esse, ut adire eum facile possent.

cuius iuris atque a. esset) V. ad XXIII, 8, 7. Ante *esset* excidisse credibile est *res,* quae vox ut ibi facillime propter insequentis syllabae similitudinem negligi et omitti potuit, ita durius deest.

10 *atque arbitrii esset.* Se vero negare illi missuros; testari-
que, si verbis nihil agerent, vindictam aliquam libertatis
11 suae quaesituros. Tum Pinarius: *At illi, si ad consulem
gravarentur mittere, sibi saltem darent populi conci-
lium, ut sciretur, utrum paucorum ea denuntiatio an
universae civitatis esset.* Consensa in posterum diem
concio.

---

10 *nihil agerent*) Cf. Terent. Adelph. V, 8, 12 *Nihil agis: fieri aliter non potest;* Cic. Cat. I, 6, 15 *Nihil agis, nihil assequeris, neque tamen conari ac velle desistis;* pro Rosc. Am. 45 *Quae omnia si — in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit;* Fam. XI, 28 med. *quae nunc — metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius unquam periculi terroribus ab officio desciscam.* Similiter dicitur *non-nihil agere* ut Cic. Planc. 34; *non multum agere* Cic. Fam. VII, 29 in.

vindictam al. libertatis) Cf. XXXIV, 49 in. *in ipsa vindicta libertatis perituram* (civitatem); XL, 4 extr. *Mors, inquit, una vindicta est.*

11 *At illi*) *At* refertur ad insequentem enuntiationem conditionalem. Nam ita saepe hac particula scriptores utuntur, ubi post enuntiationem hypotheticam apodosis sequitur ea, in qua aliquid opponatur hypothesi. V. exempla a Gronovio allata: I, 41 med. *Si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere;* III, 17 in. *Si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit, at vos veremini Deos vestros;* ibid. 31 extr. *Si plebeiae leges displicerent, at illi communiter legum latores — sinerent creari;* IX, 1 post med. *Quod si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad Deos vindices intolerandae superbiae confugiam,* etc.

ea denuntiatio) Vulgo: *ea denuntiata — essent;* sed optimi libri habent: *ea denuntia* et *esset.* Itaque recte videtur Gronovius coniecisse: *ea denuntiatio,* quum propter similitudinem extremarum huius verbi syllabarum *tio* facillime negligi posset. Accedit quod numerus plur. minus aptus est, quum una denuntiatio in prioribus commemorata sit, et Livius, ut saepe nomine denuntiationis utitur, ita nunquam pro substantivo posuit *denuntiatum* vel *denuntiata.*

Consensa — concio) Etiam hic sequenda cum Bekkero Gronovii coniectura visa est, quum vulgo legatur: *Consensu in posterum diem concio edicitur.* Sed *edicitur* in optimis libris non est; quare Gronovius scribendum censuit aut: *consensa* vel *concessa — concio,* aut adiunctis verbis proxime sequentibus: *Concessa in proximum diem concione, postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit* etc. Quod minime recedit a codicibus: *Consensa — concio,* defendi potest nonnullis

XXXVIII. Postquam ab eo colloquio in arcem sese 1
recepit, convocatis omnibus, *Credo ego vos audisse, milites*, inquit, *quemadmodum praesidia Romana ab Siculis circumventa et oppressa sint per hos dies. Eam vos* 2
fraudem deum primo benignitate, dein vestra ipsi virtute, dies noctesque perstando ac pervigilando in armis, vitastis. Utinam reliquum tempus nec patiendo infanda nec faciendo traduci possit! Haec occulta in fraude 3

---

aliis locis. Nam I, 32 sub fin. optimus liber habet: *bellum erat consensum;* adde VIII, 6 med. *Consensit et senatus bellum;* XXVII, 9 extr. *idem socios consensisse omnes;* Gell. XV, 26 *consensis quibusdam et concessis;* Cic. Fin. II, 35, 117 *Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur.* Quanquam non negandum, his exemplis insolentiam dictionis non plane tolli; ii enim loci, ubi neutrum pronominis adiectum est, non multum ad rem faciunt, et *bellum consentire* potest natum esse ex breviata formula dicendi; denique Gellii locus quum Graeca contineat in Latinum sermonem conversa, ne ipse quidem satis probat, usitatum id genus dicendi fuisse. Potest tamen et in auxilium vocari quod Cicero Acad. II, 31, 99 dixit: *qui a vobis sapiens inducitur, multa sequitur probabilia, non comprehensa neque percepta neque assensa.*

XXXVIII.

convocatis omnibus) Codd. optimi: *convocatio quibus.* 1
Convocatis omnibus dedit Iacobus Gronovius, quem secutus est Bekkerus; ceteri fere habent: *convocatis militibus*, quod ab optimorum librorum auctoritate nimis recedit. Idem in Crevierii coniecturam cadit scribentis: *convocatis suis.* Et confirmatur nonnihil Iacobi Gronovii coniectura, quod unus codex habet: *convocatis militibus omnibus.* Quod si haec coniectura displiceat, maxime probabile videtur, quod Boettcherus coniecit: *convocat suos, quibus.*

Credo ego) Ita ab initio orationum et altero quidem loco saepe poni *ego*, ostendimus ad XXI, 21, 3. Hoc modo qui dicit, se a ceteris, qui non idem sentiant, separat.

circumventa) Cf. priore cap. §. 1 *prodita per fraudem opprimebantur.* Plura de verbo *circumveniendi* v. supra XXIII, 4, 3; ad XXI, 34, 1.

deum) Hoc genitivo Livium saepe uti, diximus ad XXI, 2
4, 9.

ipsi) Livium saepius nominativum quam genitivum huius pronominis adiungere pronominibus possessivis, ex iis apparet, quae ad XXI, 33, 3 attulimus.

perstando) De gerundio in appositione posito plura v. ad XXI, 4, 3.

cautio est, qua usi adhuc sumus: cui quoniam parum succedit, aperte ac propalam claves portarum reposcunt; quas simul tradiderimus, Carthaginiensium extemplo Henna erit, foediusque hic trucidabimur, quam Mur-
4 *gantiae praesidium interfectum est. Noctem unam aegre ad consultandum sumpsi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Orta luce concionem habituri sunt ad*
5 *criminandum me concitandumque in vos populum. Itaque crastino die aut vestro aut Hennensium sanguine Henna inundabitur. Nec praeoccupati spem ullam nec occupantes periculi quicquam habebitis. Qui prior strin-*
6 *xerit ferrum, eius victoria erit. Intenti ergo omnes armatique signum exspectabitis. Ego in concione ero et tempus, quoad omnia instructa sint, loquendo alter-*
7 *candoque traham. Quum toga signum dedero, tum*

---

possit) Nescio an Livius scripserit *posset*. In ea enim sententia se esse profitetur Pinarius, ut reliquum tempus non sine facinore aliquo traduci posse putet. V. Weiss. §. 176 d et n. 3; Sch. p. 511; Z. §. 571. Nihil autem de codicum scriptura ab editoribus hic annotatum est.

3 *Haec*) Omissa est particula adversativa. *Est* idem fere hic declarat quod *locum habet*.

cui) Pronomen relat. non ad proximum, sed ad remotius eiusdem generis substantivum spectat. Similia v. ad XXI, 26, 2.

succedit) Hoc saepe impersonaliter dicitur. V. ad XXI, 7, 6.

aperte ac propalam) V. ad c. 25, 4.

trucidabimur) Cf. ad §. 9.

4 *qua*) Fortasse recte se habet, quod in optimo cod. Flor. legitur: *quo* i. e. eo consilio, ut. Sed de ceteris codd. interpretes tacent.

5 *occupantes*) i. e. antevertentes, de qua vi eius verbi v. ad XXI, 39, 10.

6 *exspectabitis*) V. Z. §. 586; Sch. p. 469; Weiss. §. 168 n. 2.

7 *Quum toga signum d.*) Pariter de signo toga dando convenisse inter Caesarem et Crassum Suet. Caes. c. 9 refert. Praeterea cf. quae Crevierius annotavit ad XXII, 54, 3: „Ex hoc loco et ex aliis itidem Livii locis (XXIX, 3 et 36; XLIV, 16) patet, togas etiam a militantibus gestatas. At primo intelligendum est, eos togis usos esse non in acie, sed in hibernis aut in otio castrorum. Deinde ex eo, quod hic solorum

mihi undique clamore sublato turbam invadite ac sternite omnia ferro; et cavete, quicquam supersit, a quibus aut vis aut fraus timeri possit. Vos, Ceres mater 8
ac Proserpina, precor, ceteri superi infernique dii, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandae, non ferendae, fraudis causa hoc consilii capimus. Pluribus vos, 9
milites, hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset. Inermes, incautos ad satietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, ne quid ab Himilcone et Carthaginiensibus timeri possit.

---

equitum fiat mentio, et in duobus ultimis locis, quos supra memoravimus, numerus togarum, quae mittuntur ad exercitus, longe minor sit tunicarum numero nec sufficiens ad totum exercitum vestiendum, sequi videtur, togas honestioribus tantum in usu fuisse, i. e. equitibus, centurionibus etc.“ Exemplis a Crevierio allatis adde IX, 25 extr. Ceterum sagis fere militantes usos, satis constat.

mihi) V. Z. §. 408; Sch. p. 405; Weiss. §. 307. 3 n.

quicquam supersit) Vulgo *quisquam*, sed in optimis quibusque libris legitur *quicquam*. Cf. supra ad c. 30, 4. Neque vero mente supplendum videtur *eorum*, quod Gronovio aliisque placuit, sed per synesin num. pluralis pronominis relativi referendus ad *quicquam*. Nam *cavete, quicquam supersit* fortius dictum pro: providete, ne ulli supersint (i. e. tales sive eiusmodi). Si quid explicationis causa mente addere velis, adde potius *hominum*, sed ita, ut *quibus* non referas ad *hominum*, sed ad eam sententiam, quae ambobus verbis *quicquam hominum* efficitur.

8 *Ceres mater* etc.) Cf. insequ. cap. §. 8; praeterea ind. geogr. in v. *Henna*. His autem verbis scriptor, quae eius est humanitas, rem atrocem ac nefandam in mitius vertit.

lacus lucosque) V. ad c. 35, 2 et ind. geogr.

volentes propitii) V. ad c. 21, 10.

non ferendae) Cf. supra ad XXIII, 9, 5; Cic. Att. VII, 26 med. *quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit*. Itaque non opus est, ut cum nonnullis deterioribus libris legatur *inferendae*, quanquam ita Livius dixit XXVII, 28 in.

9 *Inermes*) De asyndeto v. supra ad c. 28, 5.

ad satietatem tr.) Cf. VIII, 7 in. *ad satietatem vestram pugnavimus;* XXVII, 45 in. *antequam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datae ab senatu copiae fuissent.*

trucidabitis) Apte hoc dicitur de inermibus, quorum velut pecorum caedes fit. Cf. XXVIII, 16 post in. *Inde non iam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri;* XXXVII, 39

1 XXXIX. Ab hac adhortatione dimissi corpora curant. Postero die alii aliis locis ad obsidenda itinera claudendosque oppposituri se exitus, pars maxima super theatrum circaque, assueti et ante spectaculis concionum, consistunt.
2 Productus ad populum a magistratibus praefectus Romanus, quum consulis ea de re ius ac potestatem esse, non suam,
3 et pleraque eadem, quae pridie, dixisset, et primo sensim ac plures, reddere claves, dein iam una voce id omnes iu-

---

in. *tanquam non pugnandum cum tot milibus hostium, sed par numerus pecorum trucidandus esset.*

XXXIX.

1 *Ab hac adh. dim.*) V. supra ad XXIII, 6, 1.

corpora curant) De hac locutione, quae maxime de militibus cibum sumentibus usurpatur, plura dicta sunt ad XXI, 54, 2.

alii) Optimus cod.: *alia.* Sed quum durius hic, tam multis interiectis, ex sequentibus arcessatur *pars*, et causa mendi in promtu sit, quum sequatur *a* litera proximae vocis, dubium non videtur, quin vulgata retinenda sit. Bene autem Boettcherus vidit, locum sic explicandum esse: *ceteri* (v. ad XXIII, 37, 13) eaque minor pars militum per alia oppidi loca, maxima pars super theatrum circaque consistunt. Cf. ad c. 34, 5.

oppposituri se) Vulgo: *oppositi.* Sed vera, quam dedimus, Boettcheri emendatio videtur, quae et sententiae melius convenit et nititur scriptura optimi cod. *opponit 'is exitus.* Accedit quod unus cod. habet *opstri.* De verbo *opponendi* cf. ad XXIII, 18, 5.

super th. circaque) Cf. V, 35 med. *cis Padum ultraque;* IX, 32 extr. *ante signa circaque;* XXXI, 24 med. *intra eam extraque.* Monendum tamen, hoc genere dicendi Livium non uti nisi in iis praepositionibus, quae adverbiorum quoque locum tenent; in aliis fere substantivum bis ponere, quod nonnunquam etiam in his fecit. V. supra c. 25, 2; VIII, 11 med. *stragem et ante signa et post signa factam;* XXIX, 19 extr. *accensis studiis pro Scipione et adversus Scipionem;* XXXIV, 8 in. *contra legem proque lege.* Rariora sunt haec: X, 7 in. *quae pro lege Licinia quondam contraque eam dicta erant;* XXXIX, 4 extr. *supra subterque terram.* In theatris autem fere apud Graecos conciones habebantur.

spectaculis) *Spectaculum* non solum dicitur id, quod spectatur, sed etiam actio spectandi. V. exempla ad XXI, 42, 1 collata.

3 *et primo*) *Et* ab libris abest, sed sententia, ut vidit Crevierius, eam particulam postulat, et facile excidere ea propter similitudinem extremae syllabae vocis praecedentis potuit.

berent cunctantique ac differenti ferociter minitarentur nec viderentur ultra vim ultimam dilaturi, tum praefectus toga signum, ut convenerat, dedit, militesque, intenti dudum ac 4
parati, alii superne in aversam concionem clamore sublato decurrunt, alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Cae- 5
duntur Hennenses cavea inclusi, coacervanturque non caede solum, sed etiam fuga, quum alii super aliorum capita ruerent, integri sauciis, vivi mortuis incidentes cumularentur. Inde passim discurritur, et urbis captae modo fugaque et 6
caedes omnia tenet, nihilo remissiore militum ira, quod turbam inermem caedebant, quam si periculum par et ardor certaminis eos irritaret. Ita Henna aut malo aut necessa- 7

---

plures) i. e. subinde sive semper plures (*immer mehrere*).

differenti) *Differre* nonnunquam absolute dicitur. V. VI, 14 extr. *differenteque et tempore suo se indicaturum dicente;* XXV, 25 post in. *quum is diem de die differret;* XXXVI, 6 extr. *alii extemplo agendum, alii ex hieme, quae tum ferme media erat, differendum in veris principium — censebant.*

dedit — decurrunt) Apte in iis, quibus ostenditur, 4
quae singula secuta sint signum, transit ad praesens historicum.

dudum) Hoc fere ponitur, ut ait Valla, de parvo tempore unius horae aut semihorae aut duarum horarum aut certe brevissimi temporis.

aversam concionem) Nam erat a militibus in concionantem praefectum Romanum versa concio. Gronov.

mortuis incidentes) De hac structura plura v. ad 5
XXI, 41, 5.

urbis c. modo) i. e. tanquam urbem captam, sic — omnia 6
tenet. Pariter XXII, 14, 8 *nos hic pecorum modo — exercitum ducimus*, ubi vide.

fugaque et caedes) Cf. ad XXIII, 26, 8.

turbam inermem) Codd. fere: *iure turbam inermem.* Sed *iure* duplicatis per errorem literis natum, facile apparet. Accedit quod optimus cod. *iure am*, superscripto prioribus syllabis *turb*, habet. *Iure* prorsus alienum esse a sententia Livii videbis, si compares quae statim dicit: *aut malo — facinore retenta.*

periculum par) i. e. quod aeque ad ipsos pertineret atque ad adversarios.

certaminis) Neque enim certamen erat, quum inermis turba non posset et ipsa pugnare.

aut malo aut nec. f.) „Erat enim malum facinus, si 7
eo abstinere praefectus poterat sine sua suorumve clade; si non poterat, erat necessarium“ (adde: ideoque non malum). Gruter.

rio facinore retenta. Marcellus nec factum improbavit et
praedam Hennensium militibus concessit, ratus, timore de-
8 territos temperaturos proditionibus praesidiorum Siculos. At-
que ea clades, ut urbis in media Sicilia sitae claraeque vel
ob insignem munimento naturali locum vel ob sacrata omnia
vestigiis raptae quondam Proserpinae, prope uno die omnem
9 Siciliam pervasit. Et quia caede infanda rebantur non ho-
minum tantum, sed etiam deorum sedem violatam esse, tum
vero, qui etiam ante dubii fuerant, defecere ad Poenos.
10 Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese re-
cepit, quum acciti a proditoribus nequicquam ad Hennam
11 exercitum admovissent. Marcellus retro in Leontinos redit;
frumentoque et commeatibus aliis in castra convectis, prae-
12 sidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit. Inde
Ap. Claudio Romam ad consulatum petendum misso, T.
Quinctium Crispinum in eius locum classi castrisque prae-

---

temperaturos proditionibus) V. Z. §. 414; Sch. p. 455; Weiss. §. 300. 2. Ceterum *temperaturos* quum in optimis codd. non legatur, dubium est, num Livii ea vox sit. Potuit enim Marcellus factum probare, quod ita deterritos esse a proditionibus Siculos putaret.

8 *Atque*) Hand. Tursell. I, p. 478: „Usurpatur *atque* in adiiciendo eo, quod id, de quo antea sermo erat, sive ex ratione causae sive temporis consequitur ideoque in iis locum habet, quae necessitate quadam continuationis vel consecutionis cohaerent.“

ut — sitae) V. ad XXIII, 14, 1.

ea clades — pervasit) Clades pervasit Siciliam per id, quod inde consecutum est, i. e. rumorem, quod si spectas, nihil aliud Livius dixit nisi rumorem cladis pervasisse Siciliam. Crebrior ea metonymia est in verbis *deferendi* vel *perferendi*. Neque enim multum differt quod v. c. Livius dixit XXXIII, 17 in. *Quum haec repentina mutatio Corcyram ad legatum Flamininum perlata esset.*

9 *qui etiam*) i. e. etiam ii, qui. Cf. supra ad XXIII, 3, 12 et ibid. ad 18, 9.

11 *convectis, praes. — relicto*) Participia dissolute posita sunt, ut appareret, non ad idem tempus utrumque referri. Nam tum demum, postquam frumentum et commeatus convexerat, praesidium reliquit et — venit. Cf. ad XXIII, 1, 4.

12 *misso*) i. e. dimisso. Cf. ad XXI, 54, 3; Sall. Iug. 64 *Marius — ab Metello petundi* (i. e. consulatus) *gratia missionem rogat.*

ficit veteribus. Ipse hibernacula quinque milia passuum Hexa- 13
pylo (Leonta vocant locum) communiit aedificavitque. Haec in Sicilia usque ad principium hiemis gesta.

XL. Eadem aestate et cum Philippo rege, quod iam 1
ante suspectum fuerat, motum bellum est. Legati ab Orico 2
ad M. Valerium praetorem venerunt, praesidentem classi Brundisio Calabriaeque circa litoribus, nuntiantes, Philippum primum Apolloniam tentasse, lembis biremibus centum viginti flumine adverso subvectum; deinde, ut ea res tar- 3
dior spe fuerit, ad Oricum clam nocte exercitum admovisse; eamque urbem, sitam in plano, neque moenibus neque viris atque armis validam, primo impetu oppressam esse. Haec 4

---

hibernacula — aedif.) V. ad XXIII, 48, 2. 13
quinque milia p.) Cf. ind. geogr. in v. *Leon.*
Hexapylo) *Ab Hexapylo*, quod nonnulli editores receperunt, non legitur in optimis codd. Neque opus est praepositione, quanquam verbum motionis additum non est. Cf. Ramsh. t. II. p. 446.

XL.

suspectum fuerat) Cf. infra c. 44, 6 *His ducibus, his* 1
copiis adversus multa simul aut mota aut suspecta bella munierunt Romanum imperium; II, 16 in. *unde, etsi non apertum, suspectum tamen bellum erat.*
ab Orico) Cf. ad XXIII, 17, 7. 2
praetorem) Cf. supra c. 20, 12 et ad XXIII, 40, 1.
praesidentem) V. ad XXIII, 32, 2.
classi) Ita IV, 34 extr. *Classi quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus, quidam annales retulere;* XXX, 9 post med. *classi ut felicissime gerantur res.* V. Z. §. 63 c. n.; Weiss. §. 67 n. 3. 3.
circa) V. supra ad XXIII, 16, 13.
Apolloniam tentasse) V. ad c. 1, 1.
flumine adverso) i. e. Aoo, quod ipsum nomen ante *adverso* excidisse suspicatur Heusingerus. Ceterum cf. de ipsa dictione ad XXI, 31, 2.
neque viris atque armis) Cf. supra ad XXIII, 18, 4 3
et ad XXIV, 28, 4. *Atque* est in optimis et plerisque libris, in aliis *neque*. *Viri atque arma* ut cognatae significationis ac tanquam pro una notione hic coniunxit Livius, ostendens quae ad defendendos hostes in urbibus potissimum valent; hinc ad coniuncta haec verba refertur quae antecedit negatio. Cf. I v. III, 42 in. *ne quid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur.*

nuntiantes orabant, ut opem ferret hostemque haud dubium Romanis terra ac maritimis urbibus arceret, quae ob nullam aliam causam, nisi quod imminerent Italiae, peterentur.
5 M. Valerius, *praesidio loci eius relicto P. Valerio legato, cum classe instructa parataque, et, quod longae naves mi-

---

4 * *terra ac marit. urbibus*) i. e. ea terra ac maritimis urbibus arceret, quae etc. Scriptio autem dubia est. In plerisque codd. est: *terra ac maritimis viribus.* Quare plerique editores scripserunt: *terra aut maritimis viribus arceret, qui — peterentur.* Sed offensioni sunt ablativi *terra* et *maritimis viribus* diverso modo interpretandi, deinde *aut*, quod in nullo cod. legitur, tum dura admodum ellipsis pronominis, ad quod refertur *qui.* Accedit, quod urbes vel oppida saepe Livius dixit maritima, nusquam vires. Denique nonnulli ex iis codd., qui habent *viribus*, praebent *quae*, quod quum ad *viribus* non possit referri, mendum arguit. Sed optimus omnium cod. habet: *Romanis maeactgerra ac terra ac maritimis*, ad quam scripturam proxime accesserit: *mari ac terra ac maritimis urbibus arceret*, *quae* etc. i. e. ut hostem haud dubium Romanis arceret ab eo mari terraque ac maxime urbibus maritimis, quae etc. Sed in hoc parum placent accumulata haec: *mari ac terra ac maritimis urbibus.* Probabilius igitur videtur quod Rubenius coniecit: *Romanis mari ac terra a maritimis urbibus arceret, quae* etc.

imminerent) i. e. vicinae essent. Cf. ad XXI, 49, 1.

5 *praes. loci eius relicto*) Ita libri typis expressi omnes, sed codices dissentiunt. In duobus praestantissimis est nota duorum milium, cui addita sunt: *praesidioque eis T. Valerio legato cum classe;* in optimis ceterorum: *M. Valerius XX praesidioque eis* vel *eius T. Valerio legato cum classe; loci* in nullo legitur. Videtur ea vox falsa esse, quum etiam parum credibile sit, a Livio *locum eum* dicta esse Brundisium Calabriaeque litora, de quibus iam non locutus erat. Praeterea manifestum est, inserendum ex optimis libris esse numerum, verbumque, quod ad eum referatur, in illis aut per negligentiam scribarum omissum esse aut latere in voce *praesidio.* Si illud est, potest Livius scripsisse: *duorum milium relicto praesidio cumque eis P. Valerio legato*, sin hoc: *duobus milibus et quingentis* (ut *p* positum sit, ut saepe, pro *d* sive *D*) *relictis cumque eis P. Valerio legato.* De *cum* praepositione v. supra ad XXIII, 19, 17; infra §. 8 et 17. Vox *militum* vel *armatorum* apud Livium non semper addita est numeris. V. XXXIV, 10 in. *M. Helvio, decedenti ex ulteriore Hispania cum praesidio sex milium — Celtiberi — occurrerunt;* XLIV, 1 in. *profectus Q. Marcius Philippus consul cum quinque milibus;* XXXVII, 39 med. *quina milia et quadringenos singulae* (legiones) *habebant.*

litum capere non poterant, in onerarias impositis, altero
die Oricum pervenit; urbemque eam, levi tenente praesidio, 6
quod recedens inde rex reliquerat, haud magno certamine
recepit. Legati eo ab Apollonia venerunt, nuntiantes, in 7
obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse, neque sustinere ultra vim Macedonum posse, nisi praesidium
mittatur Romanum. Facturum se, quae vellent, pollicitus, 8
duo milia delectorum militum navibus longis mittit ad ostium
fluminis, cum praefecto socium Q. Naevio Crista, viro impigro et perito militiae. Is, expositis in terram militibus, 9
navibusque Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis, milites procul a flumine per viam minime ab
regiis obsessam duxit et nocte, ita ut nemo hostium sentiret, urbem est ingressus. Diem insequentem quievere, dum 10
praefectus iuventutem Apolloniatium armaque et urbis vires
inspiceret. Ubi ea visa inspectaque satis animorum fecere,

---

instructa parataque) *instructa* i. e. rebus omnibus, quae opus essent; *parata* i. e. ad rem gerendam. Innumeris autem locis haec Livius coniunxit. V. v. c. III, 14 post in.; VIII, 30 post in.; XXII, 56 extr.; XXIII, 26, 3; XXIV, 37, 4; XXIX, 24 med. etc.

militum) Pauci ex deterioribus libris: *militem*. Cf. II, 15 extr. *obsidum quod reliquum erat reddidit;* XXVIII, 2 sub fin. *Magonem fugientem equitatus ferme omnis et quod veterum peditum erat secuti;* ibid. 8 med. *hominum quod aut in agris aut in propinquis castellis — fuit, in silvas montesque refugit;* XLV, 2 extr. *quod militum Corcyrae, Brundisii, ad mare superum — esset, — hos omnes milites dimitti placuit.*

impositis) Ita per synesin dixit, quasi antea posuisset: omnibus militibus, quos longae naves capere non poterant. Cf. quod exemplum modo extremum posuimus.

rex reliquerat) Vulgo: *reliquerat Philippus.* Sed 6
posterior vox quum ab optimis et plerisque codd. absit, Gronovius pro ea ante *reliquerat* inseruit *rex*. Facilius etiam ea vox videtur ante *recedens* excidere potuisse.

praefecto socium) V. ad XXIII, 7, 3; supra ad 8
c. 20, 1.

Oricum retro, unde v., — rem.) V. supra ad c. 20, 3. 9

dum — inspiceret) Eo consilio quieverunt, ut haec 10
praefectus inspiceret. Ita sequitur coniunctivus. Cf. ad XXI, 8 in. Adde Weiss. gr. §. 446. n.

armaque) V. ad c. 28, 4.

simulque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac
11 negligentia apud hostes esset, silentio noctis ab urbe sine
ullo tumultu egressus, castra hostium adeo neglecta atque
aperta intravit, ut satis constaret, prius mille hominum vallum intrasse, quam quisquam sentiret, ac, si caede absti-
12 nuissent, pervenire ad tabernaculum regium potuisse. Caedes proximorum portae excitavit hostes. Inde tantus terror
pavorque omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma
13 caperet aut castris pellere hostem conaretur, sed etiam ipse
rex, sicut somno excitus erat, prope seminudus fugiens,
militi quoque, nedum regi, vix decoro habitu, ad flumen
14 navesque perfugerit. Eodem et alia turba effusa est. Paullo
minus tria milia militum in castris aut capta aut occisa.
Plus tamen hominum aliquanto captum quam caesum est.
15 Castris direptis, Apolloniatae catapultas, ballistas tormenta-

---

animorum) De numero plurali huius vocis ad singulos relato plura diximus ad XXII, 26, 1.

quanta soc. ac negligentia) i. e. ut de nulla re cogitarent et praetermitterent, quae agenda curandave essent.

11 *ab urbe — egressus*) Cf. supra ad XXIII, 18, 14. Similiter et V, 22 in. *opes egestae a Veiis.*

mille hominum) Cf. ad XXIII, 44, 7.

sentiret) De explenda e prioribus sententia cf. ad XXII, 4, 7. Adde IX, 30 extr. *Nec prius sensere, quam — plenos crapulae eos lux oppressit;* XXVIII, 2 in. *Tria milia ferme aberat, quum hauddum quisquam hostium senserat.*

12 *proximorum portae*) Adiectivis etiam substantive positis casum suum adiungi, pluribus ostendimus ad XXI, 5, 7.

terror pavorque) *Terror* in animi cernitur ex re metuenda gravi percussione, *pavor* in habitu eius, qui aliquod malum timens animum despondet. Cf. Cic. Tusc. IV, 8, 19. Pariter haec Livius permultis locis coniunxit, ut VI, 42 med.; VIII, 9 extr.; XXVI, 25 in.; ibid. 37 in.; ibid. 41 sub med.; XXVII, 13 in. etc.

non modo — sed etiam) V. Weiss. §. 349 n. 1; Z. §. 725.

13 *mil. quoque, nedum regi*) i. e. habitu militi quoque vix decoro, nedum decoro regi.

conaretur — perfugerit) Cf. ad XXI, 2, 6. Vides, subesse sententiam hanc: *Nemo — conabatur, et rex ipse — perfugit,* ita ut altero loco, quid inter rem gerendam acciderit, altero exitus rei spectetur.

15 *catapultas, ballistas*) Prioribus fere spicula, alte-

que alia, quae oppugnandae urbi comparata erant, ad tuenda moenia, si quando similis fortuna venisset, Apolloniam devexere; cetera omnis praeda castrorum Romanis concessa
est. Haec quum Oricum essent nuntiata, M. Valerius clas- 16
sem extemplo ad ostium fluminis duxit, ne navibus capessere fugam rex posset. Itaque Philippus, neque terrestri 17
neque navali certamini satis fore parem se fidens, subductis atque incensis navibus, terra Macedoniam petiit, magna ex parte inermi exercitu spoliatoque. Romana classis cum M. Valerio Orici hibernavit.

XLI. Eodem anno in Hispania varie res gestae. Nam, 1
priusquam Romani amnem Iberum transirent, ingentes copias
Hispanorum Mago et Hasdrubal fuderunt; defecissetque ab 2
Romanis ulterior Hispania, ni P. Cornelius, raptim traducto exercitu Iberum, dubiis sociorum animis in tempore advenisset. Primo ad Castrum Album (locus est insignis caede 3
magni Hamilcaris) castra Romani habuere. Arx erat mu- 4

---

ris lapides magni emittebantur. De particula *que* tertio nomini addita v. ad XXIII, 15, 13.

oppugnandae urbi) V. ad c. 34, 7.

subductis atque incensis) „i. e. subductis in ter- 17
ram atque ibi incensis, ne hosti, qui ostium fluminis classe obsidebat, praedae essent.“ Duker. Cf. supra ad XXIII, 28, 3. Recipienda autem visa est coniectura Dukeri *atque incensis* pro *aut incensis*, quam etiam Heusingerus et Bekkerus probarunt. Iure enim quaerit ille: „quo subductae, ut ab hoste tutae essent.“ — Nam si asportatas eas esse Livius dicere voluisset, haud dubie rem clarius expressisset.

cum M. Valerio) V. supra ad §. 5.

XLI.

traducto ex. Iberum) Cf. ad XXIII, 36, 9. 2

magni Hamilcaris) qui ibi in pugna contra Vettones 3
occubuit. Ceterum Latinos non solere adiectiva, quibus, qualis sit aliquis, indicatur, ipsis nominibus propriis adiungere, sed, addito nomine appellativo, in appositione ponere, satis notum est. Eximendum tamen *magnum* in nominandis iis, de quorum magnitudine constare inter omnes credimus, quippe ubi adiectivum quasi pars fiat ipsius nominis proprii sive cognomen (cf. XXX, 45 extr.), non subiungatur ad ostendendam eius, de quo sermo est, naturam. Ita h. l. dicitur *magnus Hamilcar*, *magnus Alexander* VIII, 3 post med.; IX, 16 extr.; XLV, 7

nita, et convexerant ante frumentum. Tamen, quia omnia
circa hostium plena erant, agmenque Romanum impune in-
cursatum ab equitibus hostium fuerat, et ad duo milia aut
moratorum aut palantium per agros interfecta, cessere inde
Romani propius pacata loca et ad montem Victoriae castra
5 communivere. Eo Cn. Scipio cum omnibus copiis et Has-
drubal Gisgonis filius, tertius Carthaginiensium dux, cum
exercitu iusto advenit, contraque castra Romana trans flu-
6 vium omnes consedere. P. Scipio, cum expeditis clam pro-
fectus ad loca circa visenda, haud fefellit hostes; oppres-
sissentque eum in patentibus campis, ni tumulum in propin-
quo cepisset. Ibi quoque circumsessus adventu fratris ob-
7 sidione eximitur. Castulo urbs Hispaniae valida ac nobilis,
et adeo coniuncta societate Poenis, ut uxor inde Hannibali
8 esset, ad Romanos defecit. Carthaginienses Illiturgin op-
pugnare adorti, quia praesidium ibi Romanum erat; vide-
9 banturque inopia maxime eum locum expugnaturi. Cn. Sci-
pio, ut sociis praesidioque ferret opem, cum legione expe-
dita profectus, inter bina castra cum magna caede hostium
urbem est ingressus et postero die eruptione aeque felici
10 pugnavit. Supra duodecim milia hominum caesa duobus proe-
liis, plus mille capti cum sex et triginta militaribus signis.

---

med.; *magnus Pompeius* IX, 17 ante med.; XXX, 45 extr.; *magna Carthago* XXVIII, 17 in.

4 *incursatum*) Similiter Tac. Ann. XV, 1 *ut ne duce quidem Romano incursarentur.*

moratorum) *Moratores* intelligit Doeringius, sed rectius intelliguntur *morati;* de quo cf. ad XXI, 47, 3.

5 *c. exercitu iusto*) V. supra ad c. 14, 4.

omnes) i. e. duces Carthaginienses, Mago et Hasdrubal uterque.

6 *cum expeditis*) De *expeditis* i. e. militibus sine impedimentis diximus ad XXI, 36, 1.

fefellit h.) De vi verbi cf. ad XXIII, 19, 11.

8 *oppugnare adorti*) Cf. ad XXIII, 35, 2.

9 *bina castra*) V. supra ad XXIII, 5, 6. „Carthaginienses enim binis castris circumsidebant urbem. Per spatium inter bina illa castra interiectum ingressus est urbem Scipio.“ Crevier.

10 *Ita — recessum est*) V. supra ad c. 19, 6.

Ita ab Illiturgi recessum est. Bigerra inde urbs (socia et 11
haec Romanorum erat) a Carthaginiensibus oppugnari coepta est. Eam obsidionem sine certamine adveniens Cn. Scipio solvit.

XLII. Ad Mundam exinde castra Punica mota, et Ro- 1
mani eo confestim secuti sunt. Ibi signis collatis pugnatum 2
per quattuor ferme horas; egregieque vincentibus Romanis signum receptui est datum, quod Cn. Scipionis femur tragula confixum erat, pavorque circa eum ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. Ceterum haud dubium fuit, 3
quin, nisi ea mora intervenisset, castra eo die Punica capi potuerint. Iam non milites solum, sed elephanti etiam usque ad vallum acti erant, superque ipsum novem et triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoque proelio ad duodecim 4

---

adveniens) V. ad XXIII, 34, 10. 11

XLII.

tragula) De hoc missili telo gentium quarundam bar- 2
bararum diximus ad XXI, 7, 10.

potuerint) De coniunctivo perfecti huius verbi in apo- 3
dosi enuntiationis hypotheticae posito v. ad XXII, 37, 2.

milites — acti erant) *Agere* interdum ad vim hostilem refertur, quum quasi pecorum modo propelluntur homines. V. I, 12 post med. *Mettus Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat et effusos egerat Romanos;* ibid. 37 extr. *ab equitibus in flumen acti sunt;* II, 47 in. *iam velut fusos agentem hostes;* VII, 37 extr. *quum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret* etc.

superque ipsum) i. e. vallum. Vulgo: *super ipso.* Sed alterum, quanquam in quattuor tantum libris deterioribus superest, praeferendum videtur. Nam quum saepissime apud Livium *super* ad locum referatur, nusquam tamen, eam vim quum habet, additus est ablativus, sed semper accusativus, quam optimi cuiusque scriptoris consuetudinem esse, docent libri grammatici. V. Z. §. 320; Sch. p. 422; Weiss. §. 286 n. 3 et 274 n. 5. Ablativum ibi tantum posuit Livius, ubi *super* eandem fere vim habet quam *de*, neque hoc nisi ubi sequitur nomen *rei* ac fere in formulis: *super tanta re*, *super tali re*, *super qua re* etc. V. II, 4 med.; IV, 56 extr.; V, 15 extr.; ibid. 17 sub fin.; VIII, 3 extr.; XXVI, 15 post in.; XXXII, 11 in.; XXXIV, 60 in. etc. Accedit, quod hic et facilis fuit error scribarum *m* praetermittentium ante *n*, et duo ex praestantissimis libris habent: *superque ipsas*, alii: *superque ipsos*, quod errorem arguit.

milia hominum dicuntur caesa, prope tria capta cum signis
5 militaribus septem et quinquaginta. Ad Auringen inde urbem Poeni recessere; et, ut territis instaret, secutus Romanus. Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit, nec dubia victoria fuit; minus tamen dimidio hostium quam antea, quia pauciores superfuerant, qui pugnarent, occisum.
6 Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis, Magone ad conquisitionem militum a fratre misso, brevi replevit exercitum animosque ad tentandum de integro certamen fecit.

---

4 *Hoc quoque proelio*) Plura de hoc ablativo v. ad XXII, 49, 18.

5 *minus t. dimidio h. quam a.*) *Quam* referendum ad *dimidio*. Cf. XXXV, 1 in. *vix dimidium militum, quam quod acceperat*; XLV, 18 extr. *dimidium tributi quam quod regibus ferre soliti erant*. Minus placet coniungi: *dimidio minus hostium quam antea*.

6 *gens*) Dubium prima specie potest videri, utrum haec vox ad Hispanos referenda sit an, quod primus Strothius suasit, ad Barcinos, hoc igitur loco ad Hasdrubalem et Magonem. Et illud quidem videntur confirmare, quae leguntur supra XXIII, 49, 12; XXVIII, 12 extr. *Hispania non quam Italia modo, sed quam ulla pars terrarum, bello reparando aptior erat locorum hominumque ingeniis*; XXII, 21 in. *ipsorum Hispanorum inquieta avidaque in novas res sunt ingenia*. Ita Livius dixerit, Hispanos brevi replendo exercitum ducibus Poenis animos ad renovandum certamen fecisse, quae interpretatio maxime probabilis esset, nisi ex iis, quae sequuntur, appareret, magnam novi exercitus partem Gallicorum militum fuisse, ut laus renovati belli non possit ad gentem Hispanam revocari. Videntur igitur Barcini dici replevisse exercitum animosque ei ad tentandum de integro certamen fecisse. Aliam explicationem nuper Otto proposuit, qui gentem intelligens Poenos scribendum putat: *Magone ad conquisitionem militum* cum *fratre* (Hasdrubale) *misso*, *brevi* etc. Sed minus apte videtur gens Poenorum communiter dici exercitui animos ad tentandum certamen fecisse.

instaurandis reparandisque) *Instaurare* fere de magnarum sive gravium rerum initio faciendo Latinos dicere, Doederlinius (Syn. IV, p. 300) docuit; *reparare* spectat operam ad aliquid faciendum de integro conferendam.

ad conquisitionem m.) V. ad XXIII, 32, 19.

a fratre) i. e. Hasdrubale. Praepositionem, quae in nullo cod. legitur, Gronovius addidit. Nescio tamen, an probabilius Otto suspicatus sit, post *militum* excidisse *cum*. Tum sententia haec fuerit: Sed gens Barcina — nam missus est (fortasse

Alii plerique milites, sicut pro parte toties intra paucos 7
dies victa iisdem animis, quibus priores, ita eodem eventu pugnavere. Plus octo milia hominum caesa, haud multo 8
minus quam mille captum et signa militaria quinquaginta octo; et spolia plurima Gallica fuere, aurei torques armillaeque, magnus numerus. Duo etiam insignes reguli Gallorum (Moenicapto et Civismaro nomina erant) eo proelio ceciderunt. Octo elephanti capti, tres occisi.

Quum iam res prosperae in Hispania essent, verecun- 9
dia Romanos tandem cepit, Saguntum oppidum, quae causa

---

ex consilii ducum sententia) Mago cum fratre ad conquisitionem militum, brevi replevit exercitum etc.

Alii plerique milites) Non opponuntur inter se *alii* 7
et Barcini, quae Strothii aliorumque sententia fuit, quasi hi milites alio eventu pugnavissent atque Barcini, sed potius *alii* et *priores*, plerique autem vim habet adverbii, ut dicantur milites maiorem partem alii, de qua dicendi ratione cf. ad XXI, 32, 9. Memoranda autem coniectura est Vallae: *Galli plerique milites*. Nam sane est, quod mireris, ita a Livio (§. 8) mentionem factam spoliorum Gallicorum regulorumque captorum, ut ne verbo quidem ante ostenderit, qui factum esset, ut iam in Hispania ex illa gente essent spolia captivique. Idem Valla, quod in iis, quae sequuntur, optimi codd. habent: *sique pro parte — animis, quibus pr. orta eodemque* etc. coniecit scribendum: *Galli plerique milites* (i. e. erant); *iique* (malim: *hique*) *pro parte — iisdem animis, quibus priores, eodemque eventu pugnavere.*

sicut pro p.) Nonnulli, qui postea omiserunt *ita*, *sicut* ita positum esse existimant, ut sententia sit: sicut exspectari poterat. Sed in tali sententia Livius non ponit *sicut*, sed *ut*. Cf. supra ad XXIII, 14, 1. Hoc igitur dicit: sicut iisdem animis, quibus priores milites, ita eodem eventu pugnavere. Verba *pro parte — victa* adiecit, ut pateret, cur iisdem animis pugnaverint. *Ita* in paucis superest codd., sed quod in plerisque et optimis legitur: *pr. orta* videtur ex *priores ita* natum esse. Denique *que*, quod post *eodem* plerique libri habent, nescio an aut additum per errorem sit aut ex *quoque* ortum.

reguli) Hoc nomine saepe a Livio principes dictos, qui 8
aut minoribus essent quam pro regia dignitate opibus, aut quos populus Romanus non appellavisset reges, pluribus ostendimus ad XXII, 21, 3.

verecundia R. cepit, Sag. — esse) Cf. III, 62 9
extr. *Verecundiae erat, equitem suo alienoque Marte pugnare, peditem ne ad pedes quidem degresso equiti parem esse.* Distant haec nonnihil ab ea vi, quam vox *verecundiae* fere habet,

belli esset, octavum iam annum sub hostium potestate esse.
10 Itaque id oppidum, vi pulso praesidio Punico, receperunt cultoribusque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt;
11 et Turdetanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt urbemque eorum delevere.

1 XLIII. Haec in Hispania, Q. Fabio, M. Claudio con-
2 sulibus, gesta. Romae quum tribuni plebis novi magistratum inissent, extemplo censoribus P. Furio et M. Atilio a
3 L. Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. Quaestorem eum proximo anno, adempto equo, tribu moverant

---

quippe quae, ubi ei adiunctum verbum est, ad rem faciendam, non id, quod est vel factum est, referri soleat. Sed respicitur sententia, quae verbis: *Saguntum — esse*, subest, videturque Livii menti obversatum esse: verecundia Romanos cepit Saguntum oppidum non restituendi in potestatem antiquorum cultorum; a quo ut deflecteret, effecerunt adiecta verba: *octavum iam annum.*

quae causa) Ita tres omnium optimi codd., ceteri *quod.* V. ad XXIII, 11, 11.

octavum) „imo quintum, si Livius secum ipse consentiat. Hic enim quintus Punici belli annus agitur. Anno autem huius belli primo captum esse Saguntum contendit Livius." Crevier. Cf. ad XXI, 15 extr.

10 *quos vis r. b.*) Optimi codd.: *quos et suis reliquerat belli* vel *bellum.* Quare Gronovius coniecit: *quos ex eis vis reliquerat belli* vel *quos ex iis reliquerat bellum.* Fortasse scribendum: *quos eius vis reliquerat belli*, cui coniecturae suffragatur scriptura unius cod. haec: *quos et eius vis belli.*

11 *sub corona v.*) De hac locutione v. ad XXI, 51, 2.

XLIII.

2 *ad populum*) Cf. supra ad c. 9, 9. Sic XXIX, 37 extr. *Cn. Baebius tribunus plebis diem ad populum utrique dixit*; XLIII, 8 extr. *C. Lucretium — tribuni ad populum accusarunt;* XLV, 37 post in.

3 *proximo anno*) *Proximum* quam vim habeat, ex ceteris verbis cognoscitur. Nam sicut nonnunquam idem est quod proximum superius, ut h. l.; supra XXIII, 32, 9; VI, 9 in. *eam fuisse originem proximi belli;* X, 31 sub fin. *proximo anno Samnites — ab quattuor exercitibus, quattuor ducibus Romanis caesi fuerant;* XXXIII, 43 post in., ita non raro ad tempus insequens refertur, ut II, 7 in.; IV, 43 in.; VI, 32 extr.; XXIX, 20 med. etc.

adempto equo etc.) V. ad c. 18, 6.

atque aerarium fecerant propter coniurationem deserendae Italiae ad Cannas factam. Sed novem tribunorum auxilio vetiti causam in magistratu dicere dimissique fuerant. Ne 4
lustrum perficerent, mors prohibuit P. Furii. M. Atilius magistratu se abdicavit.

Comitia consularia habita a Q. Fabio Maximo consule. 5 U. C. 539.
Creati consules ambo absentes, Q. Fabius Maximus consu- a. C. 213.
lis filius et Ti. Sempronius Gracchus iterum. Praetores 6

---

deserendae Italiae) Inter verba *deserendae* et *Italiae* aliquid interponendum videtur. Nam optimus cod. habet: *desereddactus Italiae*, ceteri aut *desertae actus Italiae* aut *deserendae actus Italiae*. Itaque Gronovius coniecit: *deserendae metu Italiae* vel *deserendae terrae Italiae*. Praetulerim quod propius codicum scripturam est: *deserendae navibus Italiae*. Cf. XXII, 53, 5 *Nobiles iuvenes quosdam, quorum principem L. Caecilium, mare ac naves spectare, ut, deserta Italia, ad regem aliquem transfugiant.* — Otto comparans supra c. 18, 4 scribendum existimat aut: *deserendae causa Italiae* aut *deserendae Italiae causa*.

dimissique fuerant) Plusquamperfectum multis offensionem movit, quippe quod propter verba superiora: *dies dicta est* non videretur locum habere. Itaque Crevierius substitui voluit: *fuerunt*; Walchius: *quieverunt*. Neque tamen tali mutatione opus est. Nam Livius non raro in narrando ab imperfecto vel perfecto vel praesenti histor. ad plusquamperfectum transit, quum statum potius seu conditionem, quae aliquam actionem sequitur, respicit quam ipsam actionem. Cf. supra ad c. 32, 9; praeterea ad XXIII, 29, 16; VII, 25 extr. *consul alter App. Claudius in ipso belli apparatu moritur; redierantque res ad Camillum;* XXVII, 39 extr. *Non ipsum solum ea oppugnatio impediit, sed Hannibalem — iam moventem ex hibernis continuerat.* Ita h. l. absolutos, sed lustrum condere prohibitos Livius cogitans, usus est plusquamperfecto, idque eo facilius facere potuit propter interiectam narrationi enuntiationem: *Quaestorem — factam*.

lustrum perficerent) Lustrum ultimum eorum erat, 4
quae censoribus in censu agendo perficienda essent, atque eo sacrificio censui finis imponebatur. Cf. I, 44 in. *Censu perfecto edixit, ut omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus* (de his cf. ad XXI, 62, 7) *lustravit. Idque conditum lustrum appellatum, quia is censendo finis factus est.*

magistr. se abdicavit) Nam in demortui locum censorem suffici religiosum erat; quare alter magistratu abibat. Cf. Liv. V, 31 extr.; VI, 27 post in.; IX, 34 sub fin.; XXVII, 6 extr.

fiunt M. Atilius et, qui tum aediles curules erant, P. Sem-
pronius Tuditanus et Cn. Fulvius Centumalus et M. Aemi-
7 lius Lepidus. Ludos scenicos per quatriduum eo anno pri-
8 mum factos ab curulibus aedilibus, memoriae proditur. Ae-
dilis Tuditanus hic erat, qui ad Cannas, pavore aliis in
tanta clade torpentibus, per medios hostes evasit.

9 Comitiis perfectis, auctore Q. Fabio consule, designati
consules Romam arcessiti magistratum inierunt, senatumque
de bello ac provinciis suis praetorumque et de exercitibus,
quibus quique praeessent, consuluerunt.

1 XLIV. Itaque provinciae atque exercitus divisi. Bel-
lum cum Hannibale consulibus mandatum et exercituum unus,
quem ipse Sempronius habuerat, alter, quem Fabius consul.
2 Eae binae erant legiones. M. Aemilius praetor, cuius per-
egrina sors erat, iurisdictione M. Atilio collegae, praetori
urbano, mandata, Luceriam provinciam haberet legionesque
duas, quibus Q. Fabius, qui tum consul erat, praetor prae-
3 fuerat. P. Sempronio provincia Ariminum, Cn. Fulvio Sues-

---

8 *per m. h. evasit*) Cf. XXII, 50.

9 *auctore Qu. F. consule*) „Significat, consulem principem id consilium dedisse, quod deinde, relatione facta dictisque sententiis, in senatusconsultum transiit. Sic VII, 23 post in.; XXVI, 32 in.; Epit. l. 48; Cic. Fam. XV, 4.“ Gronov.

XLIV.

1 *Itaque*) Spectat hoc ad sequentia. Cf. supra ad XXIII, 35, 7.

exercituum unus etc.) i. e. et ex exercitibus (mandati iis sunt) primum is, quem S. habuerat, deinde is, quem Fabius. Cf. supra ad XXIII, 49, 2.

2 *cuius peregrina sors erat*) i. e. inter peregrinos vel inter cives et peregrinos iurisdictio. Similiter utramque et urbanam et peregrinam iurisdictionem temporum causa uni demandatam esse, tradit Liv. XXV, 3 in.; XXVII, 36 extr. De nomine *sortis* v. ad XXII, 35, 5.

haberet) Facile e superioribus verbum aliquod elici potest, unde hic coniunctivus pendeat. V. ad XXII, 8, 4; XLII, 32 med. *Legiones inde sortiti sunt: prima et tertia in Macedoniam traiicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent.*

3 *evenerunt*) Refertur h. l., ut vidit Dukerus, non ad

sula cum binis item legionibus evenerunt, ut Fulvius urbanas legiones duceret, Tuditanus a M'. Pomponio acciperet.
Prorogata imperia provinciaeque, M. Claudio Sicilia finibus 4
eis, quibus regnum Hieronis fuisset, Lentulo propraetori provincia vetus, T. Otacilio classis; exercitus nulli additi
novi; M. Valerio Graecia Macedoniaque cum legione et classe, 5
quam haberet; Q. Mucio cum vetere exercitu (duae autem legiones erant) Sardinia; C. Terentio legio una, cui iam
praeerat, et Picenum. Scribi praeterea duae legiones ur- 6
banae iussae et viginti milia sociorum. His ducibus, his copiis adversus multa simul aut mota aut suspecta bella munierunt Romanum imperium.

Consules, duabus urbanis legionibus scriptis, supple- 7
mentoque in alias lecto, priusquam ab urbe moverent, prodigia procurarunt, quae nuntiata erant. Murus ac portae 8
tactae, et Ariciae etiam Iovis aedes de coelo tacta fuerat. Et alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris. Na-

---

sortitionem, sed ad decretum senatus. Cf. supra XXIII, 25, 9 et 10, ubi eaedem legiones primum decretae esse, deinde evenisse consuli dicuntur.

provincia Ariminum) „ut XXVIII, 38; XXX, 1 et XXXII, 1. Eadem provincia Gallia dicitur XXV, 3; XXVI, 1; XXVIII, 38, ut Gallica provincia Suet. Claud. 24, una ex quattuor provinciis quaestoriis Italiae. *Ariminum* vocatur, quia ibi erat sedes quaestoris, qui provinciae praeerat.“ Ruperti.

4 *provincia vetus*) eam dicit provinciam, quam ante hoc bellum in Sicilia Romani habuerant.

ex. n. additi novi) Haec tanquam per parenthesin interposita sunt. Nam etiam quae sequuntur, referenda ad verba: *Prorogata imperia provinciaeque.*

6 *aut mota aut suspecta b.*) V. ad c. 40, 1.

7 *moverent*) V. ad XXIII, 1, 1.

8 *fuerat*) Optimus cod. cum nonnullis aliis: *fuerant.* Quare Gronovius deleri iubet *tactae* scribique: *Murus ac portae* (i. e. urbis) *et Ariciae etiam Iovis aedes de coelo tacta fuerant.* Drakenborchius in priore *tactae* urbis alicuius nomen latere suspicatur, quod probabiliter restituit Otto scribens: *Murus ac portae Anagniae, et Ariciae — tacta fuerant.* Cf. XXIX, 14 in. *Anagniae et portam et multis locis murum de coelo tactum.*

alia ludibria) Quae modo Livius dixit de rebus fulmine tactis quum non possint annumerari ludibriis oculorum auriumque, *alia* similiter posuit atque in iis exemplis, quae at-

vium longarum species in flumine Tarracinae, quae nullae
erant, visae; et in Iovis Vicilini templo, quod in Compsano
agro est, arma concrepuisse; et flumen Amiterni cruentum
9 fluxisse. His procuratis ex decreto pontificum, profecti
10 consules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius. Pa-
ter filio legatus ad Suessulam in castra venit. Quum ob-
viam filius progrederetur, lictoresque verecundia maiestatis
eius taciti anteirent, praeter undecim fasces equo prae-
vectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem
iussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit, tum de-
mum desiliens, *experiri*, inquit, *volui*, *fili*, *satin' scires*,
consulem te esse.

1 XLV. In ea castra Dasius Altinius Arpinus clam nocte
cum tribus servis venit, promittens, si sibi praemio foret,

---

tulimus ad XXI, 46, 9. Obversata est enim menti scriptoris notio latius patens (v. c. alia prodigia), ad quam proprie pro appositione addendum erat id substantivum, quod coniunctum est cum *alio*.

nullae erant) V. ad c. 36, 8; IV, 25 in. Saepe idem est quod nullius pretii esse vel etiam periisse. Cf. III, 68 extr.; VI, 18 med.; XXVIII, 17 med.; XLV, 18 med.

Iovis Vicilini) Hoc cognomen unde traxerit Iupiter, ignoratur.

concrepuisse) Repete ex prioribus: *visa*.

maiestatis eius) *Eius* refertur ad patrem, quippe cui obviam filius progrederetur. Ceterum cf. ad c. 37, 9.

taciti) i. e. non iubentes eum, ut moris erat adversus consulem, ex equo descendere.

praevectus) i. e. praetervectus. V. ad XXI, 55, 9.

animadvertere) i. e. non praetermittere, quod sui officii esset. Ipsorum quoque lictorum ea vox fuit. Cf. Ruperti annotationem: „*Animadvertere* proprie de lictoribus populum summoventibus eorumque sollenni et praenuntio clamore: *animadvertite* (Plin. Pan. 61), quo iubebant consulem praetoremve subsequentem animadverti, respici iustumque ei honorem exhiberi v. c. assurgi, via cedi, equo aut curru descendi.“

proximum lictorem) „Proximus lictor est, qui nullo intermedio proxime magistratum praecedit.“ Drakenb. Nam in ordinem singuli ante magistratum ibant. Solebat autem, qui proximus erat, praecipuo honore esse. Cf. Plut. Fab. p. 188; Valer. Max. II, 2, 4; Gell. II, 2.

tum demum) Ita graviter ab initio apodosis multorum, quae praemissa erant, enuntiatorum secundariorum summa in unum colligitur. Cf. ad XXI, 11, 8.

se Arpos proditurum esse. Eam rem ad consilium quum 2
retulisset Fabius, aliis *pro transfuga verberandus necandusque* videri *ancipitis animi communis hostis, qui post Cannensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Hannibalem descisset traxissetque ad defectionem Arpos; quumque res Romana contra spem* 3
votaque eius velut resurgeret, turpius videatur novam

XLV.

si sibi praemio foret) Unus cod. *praemium*. Sed 1
cf. XXXI, 28 extr. *ne classi hostium praedae ac praemio essent;* Nep. Paus. 4 *magno ei praemio futurum;* id. Hann. 10 *magno his pollicetur praemio fore.*

Eam rem — quum retulisset) Vulgo: *Quum eam* 2
rem etc. Sed *quum* ab optimis codd. abest. Itaque, quum ea particula carere non possimus, nihil videtur verisimilius Perizonii sententia post *consilium* excidisse *cum* sive *quum* suspicantis. Ita saepissime Livius *quum* non ab initio enuntiati posuit, sed multis praemissis ante verbum. V. v. c. XXI, 11, 13 *qui duo populi, delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum defectionis quum praebuissent;* ibid. 34, 4 *Hannibal nec temere credendum, nec aspernandos ratus, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne quum respondisset;* XXVI, 8 in. *Id priusquam fieret, ita futurum compertum ex transfugis Fulvius Flaccus senatui Romam quum scripsisset;* ibid. 40 in.; XXX, 6 in.; ibid. 25 extr.; XXXI, 2 extr.; XXXII, 8 med. et plurimis aliis locis. Gronovius pro *eam* ponendum censuit *quum*. De *consilio (Kriegsrath)* cf. ad XXII, 3, 8.

ancipitis a. comm. h.) „Communis hostis et Romanorum et Poenorum, cuius animus inter utrosque anceps fluctuaret.“ Crevier.

cum fortuna) Cf. ad XXIII, 8, 3.

descisset) Codd. plerique interque eos optimi: *discessisset. Discedere* pro deficiendo infra usurpat Livius XLIII, 6 med. *Discessisse se a Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, quum sub ditione Persei et ante Philippi fuissent.* Sed ibi qui defecerunt de suo ipsi facto loquuntur, hic qui accusant de alieno. Itaque nescio an editores quidam recte nonnullorum deteriorum librorum scripturam *discessit* sequentes probarint *descisset.* Nam error librariorum facillimus fuit.

novam referre pr.) „Haec verba ex locutione *referre* 3
gratiam facile lucem accipiunt. Sicut enim ibi significat gratum rependere illi, qui gratum fecerit, ita h. l. est: gratum rependere illi, qui ingratum passus sit: *den ehemals Verrathenen einen neuen Verrath zur Entschädigung bringen.*“ Stroth.

referre proditionem proditis olim; qui aliunde stet sem-
per, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis: ad
Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis do-
4 *cumentum esset.* Contra ea consulis pater Fabius, *tem-*
porum oblitos homines in medio ardore belli tanquam
5 *in pace libera de quoque arbitria agere*, aiebat; *qui,*
quum illud potius agendum atque eis cogitandum sit,
si quo modo fieri possit, ne qui socii a populo Romano
desciscant, id non cogitent; documentum autem dicant
statui oportere, si quis resipiscat et antiquam societa-
6 *tem respiciat. Quod si abire ab Romanis liceat, redire*

---

aliunde sentiat) Plerumque Latini dicunt: *cum aliquo sentire*, ut et ipse Livius I, 52 med. *capita nominis Latini stare ac sentire cum rege videbant;* XXXIV, 32 post in. *At enim cum Philippo Argivi senserunt;* XXXVI, 31 in. *duae civitates, Messene et Elis, extra concilium Achaicum erant: cum Aetolis sentiebant;* XXXVIII, 39 med. H. l. Livius concinnitatem spectans alteram structuram praetulit. Eo modo locutus est Plautus Rud. IV, 4, 56 *Omnia istaec ego facile patior, dum hic hinc a me sentiat.* — *Aliunde stare* ad notissimam structuram *standi ab aliquo* i. e. a partibus alicuius revocandum. Et cf. XXI, 10, 9 *unde ius stabat;* XXV, 15 post med. *inconditam Thurinorum turbam nec satis fido animo unde pugnabat stantem, extemplo in fugam averterunt.*

vanus hostis) „Levis, inconstans hostis et facile transiturus in eius partes, cuius se hostem ferat.“ Crevier.

ad Fal. Pyrrhive proditorem) i. e., ut Dukerus explicat: praeter proditorem sive additus, adiectus proditori. Cf. de hac praepositionis vi ad XXI, 49, 7 et ad rem ipsam Sigonii annotationem: „Faleriis ludi magister principum liberos Camillo tradidit; Nicias vel Timochares, se veneno sublaturum esse Pyrrhum, Fabricio pollicitus est. Liv. l. V, 27; Gell. III, 8.“ Cf. et Val. Max. VI, 5, 1; Cic. Off. III, 22; Plut. Pyrrh. p. 396.

esset) antea: *stet* — *sentiat.* Sed *esset* aliter cogitavit Livius. Est enim iubentium illum pro tertio transfugis documento esse.

4 *libera — arbitria agere*) Cf. Curt. VI, 1 extr. *non est ausus ipse agere arbitria victoriae* i. e., ut ait Gronovius, legem parendi victis dicere. Et similiter Livius XLIV, 15 med. *Rhodios nunc in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere?* Horat. Od. IV, 7, 21 *Quum semel occideris et de te splendida Minos Fecerit arbitria.*

5 *si quo m. fieri possit*) V. Z. §. 354 extr.; Sch. p. 628; Weiss. §. 462. n. 3.

ad eos non liceat, cui dubium esse, quin brevi deserta ab sociis Romana res foederibus Punicis omnia in Italia iuncta visura sit? Se tamen non eum esse, qui Al- 7
tinio fidei quicquam censeat habendum; sed mediam consecuturum consilii viam. Neque eum pro hoste ne- 8
que pro socio in praesentia habitum libera custodia haud procul a castris placere in aliqua fida civitate servari per belli tempus; perpetrato bello, tum consultandum, utrum defectio prior plus merita sit poenae an hic reditus veniae. Fabio assensum est; catenisque ligatus tra- 9
ditur et ipse et comites; et auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei servari iussum. Calibus eum inter- 10
diu solutum custodes sequebantur, nocte clausum asservabant. Arpis domi primum desiderari quaerique est coeptus; 11
dein fama, per totam urbem vulgata, tumultum, ut principe amisso, fecit; metuque rerum novarum extemplo nuntii (ad Hannibalem) missi. Quibus nequaquam offensus Poenus, 12

---

respiciat) i. e. ad eam se conferat sive confugiat. V. ad XXI, 44, 8; XXVI, 1 post in. *recepta* (Capua) *inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii respectum.*

consecuturum c. viam) Quum *consequi* non possit 7
poni pro sequendo, quod fere ponitur in hac dictione, videtur, si quidem vera est scriptura, sententia esse: id assecuturum se esse, ut mediam consilii viam teneret.

Neque eum) *Eum* refertur ad utrumque membrum, ne- 8
que tamen ab initio sententiae positum est, ne nimium ponderis acciperet, quum vis sententiae in eo versetur, quid non placeat Fabio, quid placeat. Cf. exempla ad XXII, 6, 2 collecta.

libera custodia) Graecis haec est ἄδεσμος φυλακή. Quam Livius vult intelligi custodiam, vides ex §. 10. In hominibus Romanis fere ea locutio de iis valebat, qui nobiliores homines magistratibus vel senatoribus vel aliis magnae auctoritatis viris traderentur in eorum aedibus custodiendi.

traditur) *Tradere* nonnunquam, non addito alio voca- 9
bulo, ad custodiam refertur. Cf. ad XXII, 22, 4.

ut pr. amisso) V. ad XXIII, 14, 1. 11

(ad Hannibalem) Haec verba quum a plerisque codd. et optimo quoque absint, videntur inducenda. Neque enim utique necessaria sunt, quum ex iis, quae statim sequuntur, satis constet, ad quem nuntii iverint.

possidendi) i. e. occupandi. Facit enim h. l. in tem- 12
pore praesenti *possido.* Cf. XXXI, 31 post in. *Rhegium Pyrrhi*

quia et ipsum ut ambiguae fidei virum suspectum iam pridem habebat et causam nactus erat tam ditis hominis bona
13 possidendi vendendique; ceterum ut irae magis quam avaritiae datum crederent homines, crudelitatem quoque gravi-
14 tati addidit, coniugemque eius ac liberos in castra accitos, quaestione prius habita, primum de fuga Altinii, dein quantum auri argentique domi relictum esset, satis cognitis omnibus, vivos combussit.

1 XLVI. Fabius, ab Suessula profectus, Arpos primum instititit oppugnare. Ubi quum a quingentis fere passibus

---

bello legio a nobis in praesidium missa — per scelus possedit; V, 33 in. *Eam gentem traditur fama — Alpes transisse agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse;* XXXIV, 36 sub fin. *qui — ex bonis eorum aliquid possederant, tanquam amissuri, non reddituri, indignabantur;* XXXVIII, 60 extr. *In bona deinde L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit;* XXXIX, 25 post in.

13 *datum*) *Datum esse* idem est quod: rem datam esse. Spectat autem ad actionem possidendi vendendique bona. De vi verbi cf. III, 58 post in. *Se quoque id generi ac nomini dare;* V, 17 extr. *sanguini tamen nominique et praesentibus periculis consanguineorum id dari;* VIII, 5 med. *consanguinitati tamen hoc dabimus, ut conditiones pacis feramus aequas utrisque;* ibid. 32 extr. *ne id se gratiae dare Q. Fabii crederet, se iusiurandum dare paratos esse.*

crudelitatem quoque gravitati) Ita unus ex optimis codd. cum nonnullis aliis. Vulgo: *crudelitati quoque gravitatem addidit*, quod et a sententia prorsus abhorret et alieno loco positum habet *quoque*. In altera scriptione *gravitas* est iudicis, ut Cic. in Caec. 3, 8 dixit: *nihil aeque in republica quam illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirit.* Sententia igitur haec est: non modo graviter in eum animadvertit bona eius possidendo ac vendendo, id enim avaritiae datum esse credi poterat, sed etiam crudeliter. Habet tamen nomen *gravitatis*, in iudicibus fere cum laude positum, hic aliquid, quod offensioni sit; quare nonnulli editores ad coniecturas confugerunt. Nam Gronovius scribendum censuit: *rapacitati addidit;* Strothius, quem sequitur Heusingerus: *aviditati addidit.*

14 *coniugemque*) V. supra ad c. 13, 5.

omnibus) Cf. ad XXIII, 20, 10.

XLVI.

1 *a quingentis f. passibus*) Ita non semel Livius, quo quid intervallo factum sit, indicans. V. XXX, 29 extr. *Hanni-*

castra posuisset, contemplatus ex propinquo situm urbis moeniaque, quae pars tutissima moenibus erat, qua maxime neglectam custodiam vidit, ea potissimum aggredi statuit.
2 Comparatis omnibus, quae ad urbes oppugnandas usui sunt, centurionum robora ex toto exercitu delegit tribunosque viros fortes eis praefecit et milites sexcentos, quantum satis visum est, attribuit, eosque, ubi quartae vigiliae signum cecinisset, ad eum locum scalas iussit ferre.
3 Porta ibi humilis et angusta erat, via infrequenti per desertam partem urbis. Eam portam, scalis prius transgressos murum, aperire ex interiore parte aut claustra refringere iubet et,

---

bal tumulum a quattuor milibus inde — cepit; XXXVIII, 20 in. *a quinque ferme milibus locat castra;* XLII, 58 in. *castra propius hostem movit rex et a quinque milibus passuum communiit.*

moenibus) Cf. supra c. 2, 3 et c. 40, 3.

qua) Ne desideres coniunctionem, sententia est: parte moenibus tutissima, qua — vidit, aggredi statuit. Verba *qua — vidit* per epexegesin priori enuntiationi relativae adiecta sunt. Cf. ad XXIII, 14, 3. Similis epexegesis nonnunquam etiam substantivis additur, v. c. XL, 31 extr. *Castris, quae pars maxime a pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem.*

2 *centurionum robora*) Cf. VII, 7 med. *octo cohortes, lecta robora virorum, scribuntur;* ibid. 12 med. *Hi robora militum, ex duobus consularibus exercitibus electa, adversus Gallos duxerunt;* XXI, 54, 3 *robora virorum cerno;* XXII, 6, 2; supra XXIII, 16, 8.

quantum s. visum est) i. e. nam tantum satis visum est (*soviel nämlich*).

quartae vigiliae) De vigiliis v. ad XXI, 27, 2.

signum cecinisset) V. ad XXIII, 16, 12.

3 *aperire ex int. parte*) *Aperire* legendum esse vidit Crevierius, quum in optimo cod. sit: *transgressos amurum perire* (altera demum manus ultimae voci superscripsit *ge*). Quod omnes editores receperunt: *Eam portam scalis prius transgressos ad murum pergere et ex interiore parte vi claustra refringere*, probari non potest. Nam verba: *ad murum pergere* inepte interposita ac prorsus supervacua esse, quivis videt. Roellii autem emendatio: *ad eam portam, scalis prius transgressos murum, pergere,* longius abest a codicum auctoritate. Accedit quod *et* ante *ex* in optimis et plerisque libris non legitur, qui iidem pro *vi*, quae coniectura Gronovii est, suppeditant *aut.* Itaque *et* delendum visum est, *aut* retinendum. Hoc enim videtur Livius dicere: Fabius iussit transgressos prius murum ex interiore parte portam aperire, aut, si id mi-

tenentes partem urbis, cornu signum dare, ut ceterae copiae admoverentur: parata omnia atque instructa sese habi-
4 turum. Ea impigre facta; et, quod impedimentum agentibus fore videbatur, id maxime ad fallendum adiuvit. Imber, ab nocte media coortus, custodes vigilesque, dilapsos e
5 stationibus suffugere in tecta coegit, sonituque primo largioris procellae strepitum molientium portam exaudiri prohibuit, lentior deinde aequaliorque accidens auribus magnam
6 partem hominum sopivit. Postquam portam tenebant, cornicines in via paribus intervallis dispositos canere iubent,
7 ut consulem excirent. Id ubi factum ex composito est, signa efferri consul iubet, ac paullo ante lucem per effractam portam urbem ingreditur.

---

nus possent, claustra refringere. Opponuntur igitur inter se *portam aperire* (quod apud Livium nunquam est vi agentium) et *claustra refringere.* Sperabat enim Fabius, fore, ut ex interiore parte portam, non refractis claustris, fortasse obices aut cataractam (cf. XXVII, 28 med.) moliendo aperirent, ideoque tum demum, si id non possent, claustra refringi, quae res maioris esset molimenti, voluit. Hoc enim ab exteriore quoque parte fieri potuit (v. XXIII, 18, 2), ut, si nihil aliud vellet Fabius, non esset opus scalis prius transcendi muros. Si cui haec minus placebunt, is pro *aut* legat *et*, ut verba *et claustra refringere* similiter ad rem explicandam adiecta sint atque supra XXIII, 18, 2 post *moliri portam.*

4 *ad fallendum*) Ita saepe absolute poni *fallere*, ostendimus ad XXI, 48, 5.

ab nocte media) V. Weiss. § 250; Z. §. 304; Sch. p. 607.

custodes vigilesque) In prioribus spectatur officium locum a vi hostili defendendi, in posterioribus cavendi, ne noctu ex improviso periculum ingruat. Cf. XXVII, 28 med.; VIII, 8 in.

dilapsos) Cf. supra ad XXIII, 3, 14.

5 *molientium portam*) V. supra ad XXIII, 18, 2.

exaudiri) i. e. audiri satis clare. V. X, 36 med. *voce clara, ita ut exaudiretur;* XXXII, 34 in. *navem, ut exaudiretur, propius terram applicuit.* De structura cf. ad XXII, 34, 3.

6 *tenebant*) Hoc quum nonnulli ex optimis codd. praebeant, praeferendum ut rei magis consentaneum videtur alteri scripturae, quae adhuc ab omnibus editoribus recepta est: *tenuerunt.* Cf. supra ad c. 31, 2.

in via) Paribus intervallis in via ad castra ferente dispositi erant, ut cornuum strepitus ab alio ad alium perveniret exceptusque ad castra perferretur.

XLVII. Tum demum hostes excitati sunt, iam et im- 1
bre conquiescente, et propinqua luce. Praesidium in urbe 2
erat Hannibalis, quinque milia ferme armatorum; et ipsi
Arpini tria milia hominum armabant. Eos primos Poeni, ne
quid ab tergo fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum 3
primo in tenebris angustisque viis est. Quum Romani non
vias tantum, sed tecta etiam proxima portae, occupassent,
ne peti superne ac vulnerari possent, cognitì inter se qui- 4
dam Arpinique et Romani, atque inde colloquia coepta fieri,
percunctantibus Romanis, quid sibi vellent Arpini; quam ob 5
noxam Romanorum, quod aut meritum Poenorum, pro alieni-
genis ac barbaris Italici adversus veteres socios Romanos
bellum gererent et vectigalem ac stipendiariam Italiam Afri-
cae facerent; Arpinis purgantibus, ignaros omnium se venum 6

XLVII.

armabant) Dukerus coniecit: *armarant*. Sed imper- 2
fectum posuisse Livius potest significans: Arpini *solebant armare* sive *ii erant*, *qui armarent*, unde per se patet, etiam illo tempore tot iis armatos fuisse.

Quum Romani) Mente supple ante haec verba: *deinde*, 3
quod saepe praecedente *primo* omittitur. Cf. X, 15 post med.; XXXIX, 49 ante med.; XLII, 66 med.

cogniti inter se) i. e. alteri alteris. Cf. supra ad 4
XXIII, 47, 4.

quid sibi vellent) V. Sch. p. 405; Weiss. §. 307. 3. n. Livius saepe hac formula utitur. V. III, 35 med.; ibid. 50 extr.; ibid. 67 med.; IV, 13 extr.; XXXII, 25 extr.; XLIV, 12 in. (ubi ad rem locutio refertur, non ad hominem).

quod aut meritum) i. e. aut quod ob meritum Poeno- 5
rum. Sed praepositio facile e prioribus cogitatione repetitur, et anaphora pronominis relativi, qua significatur graviter, causam aut succensendi Romanis aut Poenis favendi nullam esse, in hac collocatione coniunctionis *aut* magis apparet, quam si *aut* praemissum esset. Itaque vereor, ne sine causa haec positio verborum multis offensioni fuerit. Eandem ob causam *quam* praepositioni praemissum est XLV, 2 med. *quam paucorum militum iactura tanta hostium strages facta; quam cum paucis rex fugisset.*

ac barbaris) V. supra ad c. 25, 2.

vectigalem ac stipendiariam) i. e. prorsus obnoxiam. V. de his vocabulis iunctis ad XXI, 41, 7 et cf. XXXIV, 4 sub med. *vectigalis iam ac stipendiaria plebes esse senatui coeperat.*

purgantibus) Cf. XXXIV, 5 extr. *Nihil novi factum,* 6

a principibus datos Poeno, captos oppressosque a paucis
7 esse. Initio orto, plures cum pluribus colloqui. Postremo
praetor Arpinus ab suis ad consulem deductus; fideque data
inter signa aciesque, Arpini repente pro Romanis adversus
8 Carthaginiensem arma verterunt. Hispani quoque, paullo
minus mille homines, nihil praeterea cum consule pacti, quam
ut sine fraude Punicum emitteretur praesidium, ad consulem
9 transtulerunt signa. Carthaginiensibus portae patefactae,
emissique cum fide incolumes ad Hannibalem Salapiam ve-
10 nerunt. Arpi sine clade ullius praeterquam unius veteris

---

purgare satis est; XLI, 19 post in. *qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas nec auctore eo quicquam facere;* XLII, 14 post in. *ut purganti, se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur.* V. et supra ad XXIII, 8, 7.

venum a pr. datos) Sic nonnunquam interpositis vocabulis separantur *venum* et *dare.* Cf. Sall. orat. Lep. §. 17 *bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam.*

captos) Coniunctio non est addita, quod sententia non differt ab iis, quae proxime antecedunt, sed ad ea illustranda adiecta est. Nam utroque membro, vim a principibus plebi illatam esse, ostenditur.

7 *Initio orto*) I, 46 extr. *Sed initium turbandi omnia a femina ortum est;* IV, 8 med. *Ortum autem initium rei est, quod* etc.; VI, 18 extr. *Inde de regno agendi ortum initium dicitur;* XXXII, 39 extr. *Initium sermonis ab excusatione tyranni ortum;* XXXIV, 6 sub fin. *ab senatoribus eius rei initio orto.* Similiter *principium ordiri* XXXII, 34 post m.; *initium inchoare* XXXIX, 23 med.

praetor Arpinus) V. ad XXIII, 19, 17.

Carthaginiensem) Singularem numerum ex optimis codd. Iac. Gronovius et Drakenborchius restituerunt. Cf. supra ad XXIII, 33, 3.

8 *praeterea — quam*) Rarior haec est iunctura, quum fere ita dicant Latini, ut coniungant *praeterquam.* Nec Livius illa videtur usurus fuisse, nisi hic praemisisset *nihil,* quo fit, ut *nihil praeterea* paene idem declaret, quod *nihil aliud,* cui locutioni Livius *quam* subiicere solet.

sine fraude) Cf. I, 24 med. *quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio;* XXVI, 12 in. *ut, qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset;* XXXI, 32 extr. *ut praetor sine fraude, quum de bello et pace agere velit, advocet concilium;* I, 47 extr. *metu, ne non venisse fraudi esset;* VII, 41 in. *ne fraudi secessio esset.*

10 *ullius*) *Ullus* non raro substantive ponitur. V. ad XXII,

proditoris, novi perfugae, restituti ad Romanos. Hispanis 11
duplicia cibaria dari iussa; operaque eorum forti ac fideli
persaepe respublica usa est.

Quum consul alter in Apulia, alter in Lucanis esset, 12
equites centum duodecim nobiles Campani, per speciem praedandi ex hostium agro permissu magistratuum ab Capua profecti, ad castra Romana, quae super Suessulam erant, venerunt. Stationi militum, qui essent, dixerunt: colloqui
sese cum praetore velle. Cn. Fulvius castris praeerat; cui 13
ubi nuntiatum est, decem ex eo numero iussis inermibus deduci ad se, ubi, quae postularent, audivit (nihil autem aliud petebant, quam ut, Capua recepta, bona sibi resti-
tuerentur), in fidem omnes accepti. Et ab altero praetore 14
Sempronio Tuditano oppidum Atrinum expugnatum. Amplius septem milia hominum capta et aeris argentique signati
aliquantum. Romae foedum incendium per duas noctes ac 15
diem unum tenuit: solo aequata omnia inter Salinas ac por-

60, 6; III, 14 extr. *nunquam ulli neque publice neque privatim truces esse;* V, 23 post in. *Adventus dictatoris — celebratior quam ullius unquam antea fuit;* ibid. 40 post in. *nec prohibente ullo nec vocante;* VI, 15 sub fin.; IX, 2 sub fin.; 31 med.; 34 in. etc.

restituti ad R.) Cf. II, 13 med. *sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit;* II, 49 med. *sospites brevi in patriam ad parentes restituant;* V, 28 post in. *Romam inde sospites restituit.*

duplicia cibaria) h. e. duplex frumentum. Duker. Cf. 11
VII, 37 in. *Milites, qui in praesidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum — donati.*

forti ac fideli) V. ad XXIII, 16, 1.

nuntiatum est) V. ad XXIII, 19, 11. 13

iussis inermibus deduci) Additus per attractionem infinitivo ablativus *inermibus* propter id, quod antecedit i. e. *iussis*. Cf. de hac structura ad XXI, 44, 8.

accepti) Unus ex codd.: *accepit*. Praecedit enim *audivit*. Sed frequentem esse hunc ab activo ad passivum genus transitum aut contra, ostendimus ad XXII, 6, 12.

Atrinum) Ita opt. cod. Flor. cum nonnullis aliis; reli- 14
qui fere (de omnium optimo nihil constat) *Aternum*, quod a plerisque omnibus editoribus receptum est. Sed in ignoto nomine codicum videtur praestantiorum fides sequenda.

tenuit) Cf. ad XXIII, 44, 6. 15

16 tam Carmentalem cum Aequimaelio Iugarioque vico. In templis
Fortunae ac matris Matutae et Spei extra portam late va-
gatus ignis sacra profanaque multa absumpsit.

1 XLVIII. Eodem anno P. et Cn. Cornelii, quum in
Hispania res prosperae essent, multosque et veteres reci-
perent socios et novos adiicerent, in Africam quoque spem
2 extenderunt. Syphax erat rex Numidarum, subito Cartha-
giniensibus hostis factus. Ad eum centuriones tres legatos
3 miserunt, qui cum eo amicitiam societatemque facerent et
pollicerentur, si perseveraret urgere bello Carthaginienses,

---

portam Carmentalem) Haec porta nomen habuit a Carmenta (v. Liv. I, 7 post med.), cuius templum haud procul aberat (cf. Liv. V, 47 in.) ad radices Capitolii situm. V. et Liv. II, 49 post med.

Aequimaelio) Erat area sub monte Capitolino, quae nomen acceperat ab aedibus Sp. Maelii solo aequatis. V. Liv. IV, 16. Ea orientem versus spectabat aream Saturni, unde initium habebat *vicus Iugarius*, quam viam ab Iunone iuga i. e. coniugiorum praeside nomen traxisse, auctor est Festus v. *Iugarius*.

16 *matris Matutae*) Haec eadem putabatur esse, quae apud Graecos Ino sive Leucothea, Cadmi filia, uxor Athamantis. De eius aede v. Liv. V, 19 med.; praeterea cf. cum h. l. XXV, 7 post in. *creati sunt — triumviri — reficiendis aedibus Fortunae et matris Matutae intra portam Carmentalem, sed et Spei extra portam, quae priore anno consumtae fuerant.* Nam aedes Spei extra portam Carmentalem fuit in foro olitorio, de quo cf. ad XXI, 62, 2.

XLVIII.

1 *P. et Cn. Cornelii*) V. ad XXIII, 26, 2.

adiicerent) Absolute hoc positum ut et alia similia verba non raro. Cf. ad XXI, 58, 2.

2 *Syphax erat r. N.*) *Erat* non coniungendum, quod Heusingero et Klaibero placuisse video, cum *hostis factus*; nam maiorem h. l. vim habere verbum *esse*, ex aliis comparatis exemplis intelligas, ubi Livius aliique scriptores ab hominum, de quibus ante non dixere, nominibus aliquam narrationem ingrediuntur. Cf. XXV, 3 ante med. *Publicanus erat Postumius, qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem in civitate habuerat*; ibid. 16 post in. *Flavius Lucanus fuit, caput partis eius Lucanorum —, quae cum Romanis stabat*; XXVII, 34 in. *M. Livius erat, multis ante annis ex consulatu populi iudicio damnatus*; Curt. III, 3 in. *Thymondes erat, Mentoris filius, impiger iuvenis.*

gratam eam rem fore senatui populoque Romano, et annisuros, ut in tempore et bene cumulatam gratiam referant.
Grata ea legatio barbaro fuit; collocutusque cum legatis de 4
ratione belli gerundi, ut veterum militum verba audivit, quam
multarum rerum ipse ignarus esset, ex comparatione tam
ordinatae disciplinae, animum advertit. Tum, *primum ut* 5
pro bonis ac fidelibus sociis facerent, oravit, *ut duo legationem referrent ad imperatores suos, unus apud sese magister rei militaris resideret. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem.*

---

et bene cumulatam) Minus probabile est, quod in uno 3
ex deterioribus codd. legitur probaturque Doeringio: *ei bene cumulatam.* Haec est enim sententia: annisuros, ut in tempore gratiam referant eamque bene cumulatam. Ita maiore vi efferuntur verba: *bene cumulatam. Bene* autem saepenumero ita additur adiectivis et adverbiis, ut eorum vim intendat idemque declaret quod valde, multum. V. XXVIII, 44 ante med. *bene tutus a perfidia.* Eadem vis potest esse in *male*, ubi de re mala sermo est. Cf. XL, 7 med. *male mulcatur* (ut Suet. Caes. 17).

ex comparatione) Cf. ad XXII, 8, 2 *Pars — levem* 4
ex comparatione priorum ducere recentem equitum iacturam; Curt. X, 8 ante med. *ex comparatione regis novi desiderium excitabatur amissi*; Suet. Oct. 79 extr.

animum advertit) Ita hic optimi quique codd. Eadem forma dicendi, qua etiam Caesar et Sallustius saepenumero usi sunt, XXVI, 19 in. optimorum librorum consensu restituenda est. Cf. et XLV, 5 in. *quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset;* IV, 45 med. *adverterent animos, ne quid novi tumultus Lavicis oreretur.* Etiam *advertere* per se nonnunquam in eam sententiam dicitur. Cf. XLIV, 46 post in. *quam non sine causa delectam esse regiam advertit.*

pr. ut — facerent — ut) Non opus est, ut aut indu- 5
cas cum Gronovio alterum *ut*, aut cum Crevierio inseras *hoc* vel *id* ante *primum.* V. ad XXI, 19, 6; deinde Z. §. 615; Sch. p. 550; Ramsh. p. 977.

legationem referrent) V. ad XXIII, 6, 3.

resideret) Hoc recte videtur Bekkerus praetulisse vulgatae scripturae *remaneret.* Nam nonnulli ex melioribus codd. illud habent, eodemque videtur ducere quod praebent optimi libri: *retieret, rediret.* De verbo *residendi* cf. Cic. Att. XI, 6 post in. *In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesserer;* id. Mil. 19, 51 *Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret* etc. Frequentius ad nomina abstracta ea vis verbi refertur, v. c. XL, 7 med.

6 *Ita iam inde a principiis gentis maiores suos bella gessisse, ita se a pueris insuetos. Sed habere hostem pedestri fidentem Marte; cui si aequari robore virium*
7 *velit, et sibi pedites comparandos esse. Et ad id multitudine hominum regnum abundare; sed armandi ornandique et instruendi eos artem ignorare. Omnia, velut forte congregata turba, vasta ac temeraria esse.*

Rudem ad p. b.) De hac structura v. ad XXI, 25, 6.

6 *insuetos*) Multi, sed ii minoris ponderis, codd.: *a puero insuetum.* Sed opponit Syphax se ipsum aequalesque suos maioribus. Genus passivum verbi *insuescere* rarius est; sed Columella quoque XI, 3, 6 dixit: *insuesci debent.* Eodem redit quod apud Horatium est Sat. I, 4, 105 *Insuevit pater optimus hoc me.* Etiam *assuescere* in genere passivo ponitur. V. Liv. II, 1 med. *caritasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur;* Curt. VI, 5, 23 *cui et Darius fuerat assuetus.*

robore virium) V. supra ad XXIII, 26, 11.

7 *ad id*) i. e. ad id efficiendum. Cf. II, 3 extr. *tanquam ad id, quod agi videbatur, ambientes nobilium adolescentium animos pertentant;* VII, 39 extr. *qui ad id missi erant;* I, 56 sub fin.; II, 3 extr.; XXVII, 10 post in. De alia vi locutionis dictum ad XXI, 52, 6.

ornandique) Hoc ex optimis codd. Gronovius restituit, quum antea legeretur *ordinandique. Ornati* milites saepe dicuntur, qui instructi sunt iis, quae ad militiam opus sunt. V. I, 43 med. *Ita pedestri exercitu ornato distributoque;* VII, 10 post in. *Armatum adornatumque adversus Gallum stolide laetum — producunt;* XXVII, 13 extr. *Postero die ornati armatique ad edictum aderant;* XL, 47 extr.; XLIV, 1 sub fin. Cf. et ad XXI, 50, 8.

velut f. c. turba, vasta) *Congregata turba* ablativum absol. esse, facile patet. Olim vulgo legebatur: *Omnia, velut forte congregata turba sua, inscia ac temeraria esse.* Sed optimi codd. quum praebeant: *omnia velut f. congregata turba suasca* vel *suaisca ac temeraria esse*, Rubenius id coniecit, quod supra positum est. Idem v. d. docet, *vastum* idem esse quod agreste, rusticum, incompositum, inconditum, allatis his exemplis: Cic. Orat. I, 25, 115 *sunt quidam aut ita lingua haesitantes aut ita voce absoni aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes;* Tusc. V, 27, 77 *Quae barbaria India vastior atque agrestior?* Orat. III, 12, 45; ibid. 43, 172. Strothius recepit: *omnia, velut f. c. turba, sua vasta ac t. esse,* in quo magnopere displicet collocatio vocis *sua.* Equidem, si haec vox adiiciatur, quo ferre videtur scriptura *suasca*, malim: *omnia, velut forte congregata, turba sua vasta ac t. esse* i. e. omnia, velut ea, quae forte congregata essent, propter inordinatum, in quo versarentur, statum, vasta ac temeraria esse.

Facturos se in praesentia, quod vellet, legati responderunt, *fide accepta, ut remitteret extemplo eum, si imperatores sui non comprobassent factum.* Q. Statorio nomen fuit, qui ad regem remansit. Cum duobus Romanis legatis Numida legatos in Hispaniam misit ad accipiendam fidem ab imperatoribus Romanis. Iisdem mandavit, ut protinus Numidas, qui intra praesidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem pellicerent. Et Statorius ex multa iuventute regi pedites conscripsit, ordinatosque pro-

8 (margin, line 1); 9 (margin, line 3); 10 (margin, line 6); 11 (margin, line 8)

---

in praesentia) i. e. dum certiores facti essent, quid imperatoribus suis placeret. 8

fide accepta) i. e. si fidem accepissent. V. ad XXIII, 44, 2.

eum) Eum dici, quem relicturi erant, ex omni scriptura satis apparet. Atque ita nonnunquam pronomen poni a Livio, ostendunt quae allata sunt ad XXI, 20, 1. Cf. et I, 34 sub fin. *Sublatis itaque rebus commigrant Romam. Ad Ianiculum forte ventum erat. Ibi ei, carpento sedenti cum uxore, aquila— pileum aufert.*

ad regem) Cf. supra ad c. 9, 9. 9

cum d. R. legatis Numida) Vulgo, quod duo tantum ex deterioribus libris habent legitur: *Cum duobus Romanis reliquis Numida legatos* etc. Sed in optimis quibusque est: *Cum duobus Romanis relata Numidis legatos.* Itaque verum puto esse, quod apud luntam inventum Gronovius quoque probavit: *Cum duobus Romanis legatis Numida legatos — misit.* Videntur enim per errorem scribis non insolitum ultimae syllabae duorum verborum ita permutatae inter se esse, ut pro *relatis Numida* scriberetur: *relata Numidis. Relatis* autem natum videtur ex *legatis.* Neque in repetitione eiusdem vocabuli quicquam offensionis esse, ex iis apparet, quae dicta sunt ad XXIII, 24, 10. *Reliquis* autem omitti potuisse, docuimus ad XXIII, 11, 9.

ad acc. fidem) Cf. supra ad XXIII, 34, 2.

intra praesidia C.) h. e., si verum quaeris, intra loca, quae praesidiis Carthaginiensium tenerentur, sed omnino dicitur *intra praesidia alicuius esse* de iis, qui a partibus bellum gerentis alicuius stant. V. XXV, 25 extr. *praemittit Syracusanos, qui intra praesidia Romana, ut ante dictum est, fuerant;* ibid. 31 in. *adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiones pulsi ab domo intra praesidia Romana erant;* XXXVIII, 11 post in. *qui tum hostes erant Romanis, quum intra praesidia Romana Aetoli essent;* ibid. 48 med.; XL, 7 in.; XLIII, 7 in. 10

Et Statorius) V. supra ad XXIII, 21, 6. 11

xime morem Romanum instruendo et decurrendo signa se-
12 qui et servare ordines docuit; et operi aliisque iustis militaribus ita assuefecit, ut brevi rex non equiti magis fideret quam pediti, collatisque aequo campo signis, iusto proe-
13 lio Carthaginiensem hostem superaret. Romanis quoque in Hispania legatorum regis adventus magno emolumento fuit: namque ad famam eorum transitiones crebrae ab Numidis coeptae fieri. Ita cum Syphace Romanis coepta amicitia est. Quod ubi Carthaginienses acceperunt, extemplo ad Galam, in parte altera Numidiae (Massuli ea gens vocatur) regnantem, legatos mittunt.

1 XLIX. Filium Gala Masinissam habebat, septemdecim

---

instruendo) Absolute hoc cogitatur: *beim Aufstellen.* Cf. IX, 37 in. *relicto hostibus ad instruendum contra spatio;* X, 19 post med. *nec satis temporis ad instruendum fuit;* XXXI, 21 post in. *Sed vix spatium instruendi fuit.* V. ad XXIII, 37, 4 et de *decurrendo* ibid. ad c. 35, 6.

12 *operi*) *Opus* κατ' ἐξοχὴν saepe dicitur de castrorum munitione.

iustis militaribus) V. supra ad c. 21, 4, praeterea Gronov. Observ. IV, 6: „Iusta sunt certus quidam modulus rerum stato tempore faciendarum, fungendarum, dandarum, percipiendarum: quodvis pensum, officium, solennia, ἔθιμα. Sic *hospitalia iusta* IX, 6 med.; ibid. 8 med. *nec prius ingredi hostium fines, quam omnia iusta in deditionem nostram perfecta erunt;*" I, 20 extr. *iusta funebria.*

iusto proelio) V. ad XXIII, 37, 8.

13 *transitiones*) Numerum pluralem huius vocis habes etiam XXVII, 20 ante med. et med.

coepta am. est) Optimi libri: *coepta amicitia est,* quod num Livianum sit, quum editores dubitarent, omnes receperunt *iuncta amicitia est. Iungere amicitiam cum al.* saepe Livius dixit, ut supra XXIII, 33, 6; XXVIII, 34 med.; XXX, 14 post in.; XXXIV, 57 extr. etc. Neque vero a librorum auctoritate recedendum. Nam vel ex eo, quod Livius talia dixit: XXXV, 36 post in. *consilium fraude coeptum;* I, 8 extr. *ad coeptam magnitudinem;* XXXIV, 19 in. *coeptum certamen;* XXX, 45 extr. *an — coeptum* (cognomen) *ab assentatione familiari sit;* XXXV, 23 in. *coeptum cum Antiocho bellum,* colligi poterat, non abhorrere a dictione eius: *coepta amicitia est,* etiamsi non ea ipsa locutione usus esset etiam XLIV, 14 sub fin. *sibi amicitiam cum rege Perseo coeptam.*

XLIX.

1 *septemdecim*) Atqui Masinissam, natum circa annum

annos natum, ceterum iuvenem ea indole, ut iam tum appareret, latius opulentiusque regnum, quam accepisset, facturum. Legati, *quoniam Syphax se Romanis* 2
iunxisset, ut potentior societate eorum adversus reges populosque Africae esset, docent, *melius fore Galae quo-* 3
que, Carthaginiensibus iungi quam primum, antequam Syphax in Hispaniam aut Romani in Africam transeant: opprimi Syphacem, nihildum praeter nomen ex foedere Romano habentem, posse. Facile persuasum Ga- 4
lae, filio deposcente id bellum, ut exercitum mitteret; qui, Carthaginiensium legionibus coniunctis, magno proelio Syphacem devicit. Triginta milia eo proelio hominum caesa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex 5
acie Numidas (extremi prope Oceanum adversus Gades co-

---

u. c. 513 non septemdecim, sed viginti septem annorum fuisse, docuerunt Wesselingius et Dukerus. Credibile igitur est, quum facilis hic error scribarum fuerit, a Livio hunc numerum scriptum esse.

latius) Optimi codd. vel *laius* vel *eius*. Quare Gronovius posuit *latius*, quem secuti sunt ceteri. Verisimilius tamen est quod idem coniecit: *maius*.

2 *reges populosque*) Alterum imperia singularia spectat, alterum liberas civitates. V. ad XXI, 43, 11.

3 *opprimi*) Haec ad illustranda verba praemissa: *melius fore Galae* valent. Itaque ἀσυνδέτως posita sunt. Cf. supra ad XXIII, 18, 9.

4 *deposcente*) i. e. magnopere poscente. Ipse enim eius belli dux fieri volebat.

ut ex. m.) *Ut* referendum ad *persuasum*.

Carth. legionibus) *Legiones* apud Livium etiam in militibus non Romanis poni, ostendimus ad XXII, 6, 3.

coniunctis) Ponitur hoc verbum nonnunquam absolute. V. de hoc ad XXII, 50, 5

5 *Numidas*) Hanc vocem nonnulli editores delendam censuerunt. Et sane habet, quod offensioni sit, quum Maurusii alibi non dicantur Numidae. V. ind. geogr. Sed, ea inducta, rursus offendit collocata post verba *ex acie*, non *Maurusios*, parenthesis. Strothius coniecit: *Numidarum extremi pr. Oc.* etc. Ceterum de collocatione verborum conferri possunt, quae dicta sunt ad XXI, 32, 6.

adversus G.) i. e. e regione. Cf. XXVI, 14 med. *porta Iovis, quae adversus castra Romana erat;* XXXII, 33 post in. *regio est continentis adversus insulam;* XXXVII, 18 extr. *tumulum quendam adversus Elaeam castris cepit;* ibid. 28 post

lunt) refugit, affluentibusque ad famam eius undique bar-
6 baris, ingentes brevi copias armavit. Cum quibus antequam in Hispaniam angusto diremptam freto traiiceret, Masinissa cum victore exercitu advenit; isque ibi cum Syphace ingenti gloria per se, sine ullis Carthaginiensium opibus, gessit bellum.

7 In Hispania nihil memorabile gestum, praeterquam quod Celtiberum iuventutem eadem mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores Romani ad se perduxerunt
8 et nobilissimos Hispanos supra trecentos in Italiam ad sollicitandos populares, qui inter auxilia Hannibalis erant, miserunt. Id modo eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante quam tum Celtiberos Romani habuerunt.

---

in. *ipse adversus Myonnesum in insula (Macrin nautici vocant) ancoras portu occulto iecit.*

6 *per se*) Cf. ad XXIII, 42, 2.

7 *Celtiberum*) Hanc formam genitivi plur. Livius alibi quoque posuit. V. XXX, 8 extr.; XXXIV, 17 post in.; ibid. 19 extr. Saepius tamen altera (*Celtiberorum*) usus est. Cf. XXV, 33 in. (bis); XXVIII, 2 med. et sub fin.; XL, 32 in.; ibid. 33 extr.; ibid. 47 post in.; 48 in.; XLII, 10 in. Videtur autem illa non breviata, sed tertiae declinationis esse, sicut Graeci dicunt *Κελτίβηρες*.

qua pacta c. C. erat) De ablativo cum verbo paciscendi iuncto plura allata sunt ad XXI, 61, 11.

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN ANNOTATIONIBUS EXPLICATORUM.

(*I nota est libri XXIII.*, *II libri XXIV.*)

A.

D.

E.

L.

O.

Q.

R.

U.

V.

INDEX GEOGRAPHICUS.

A.

Accua videtur Apuliae oppidum fuisse, neque alibi memoratur nisi apud Livium XXIV, 20, 8.

Acerrae, Campaniae oppidum ad Clanium fl. positum, ubi hodie *Acerra* est, haud procul ab urbe Neapoli sita. Adiect. *Acerrānus.*

Achradīna, v. *Syracusae.*

Acrae, Siciliae oppidum, quod prope a capite Anapi fl. videtur abfuisse. Adiect. *Acrensis.*

Acrillae, Siciliae oppidum inter Agrigentum et Syracusas urbes situm.

Aecae, Apuliae oppidum, hodie *Troia*, quod oppidum regni Neapolitani est, regionis *Capitanata.*

Aesăros, Graeciae magnae fluvius, qui Crotonem urbem praeterfluebat, h. *Esaro.*

Agrigentum, nobilis Siciliae urbs in litore meridiano ad Acragantem et Hypsam fluvios sita, h. *Girgenti.* Adiect. *Agrigentīnus.*

Alexandrīa, primaria Aegypti urbs, a magno Alexandro condita, h. *Alexandria.* Adiect. *Alexandrīnus.*

Amiternum, Sabinorum urbs ad Aternum fl. (h. *Pescara*) fuit. Ibi natus est Sallustius. Adiect. *Amiternīnus.*

Anagnia, Latii urbs, caput Hernicorum, h. *Anagni*, quod oppidum sub ditione Pontificis max. est. Adiect. *Anagnīnus.*

Anăpus, Siciliae fluvius, qui in maiorem Syracusarum portum effundebatur.

Anio, *ēnis*, Italiae fluvius; Latium et Sabinos interfluebat miscebaturque Tiberi. H. *Teverone.*

Aŏus, Epiri fluvius, miscetur mari Adriatico. H. *Vojuza.*

Apollŏnia, Epiri urbs ad Aoum fl. sita.

Apulia, inferioris Italiae pars; spectabat inter septemtriones et occidentem Frentonem fluvium, qua ad orientem solem vergebat, Calabriam et mare superum; meridiem versus eam a Lucania dividebat Apenninus mons (Vultur) et Brandănus fl. Interfluebat Aufidus fluvius, ita ut duae essent Apuliae partes, quarum altera, quae septemtriones spectabat, *Daunia* dicebatur, altera, quae meridiem, *Peucetia.*

Ardeoneae videntur Apuliae oppidum fuisse; non alio loco nisi apud Livium XXIV, 20, 8 mentio eius fit.

Cannae, vicus Apuliae; qua ad occidentem spectabat, propinquum habebat Aufidum fl., meridiem versus circiter quinquies mille passus aberat Canusium. Hodie dicitur locus *Canne*, estque eius regionis regni Neapolitani, quae appellatur *Terra di Bari*. Adiect. *Cannensis*.

Canusium, Apuliae Dauniae urbs ad Aufidum fl. sita, h. *Canosa* regni Neapolitani, reg. *Terra di Bari*. Adiect. *Canusīnus*.

Capua, Campaniae caput; prope ab eo loco abfuit, ubi h. *St. Maria* vicus est regni Neapolitani, reg. *Terra di Lavoro*.

Carăles (plur.) sive *Caralis*, Sardiniae urbs, qua meridiem spectat insulae litus, h. *Cagliari*, insulae caput. Adiect. *Caralitānus*.

Carpetani (Carpesii), Hispaniae gens, quae a septemtrionibus Durio fl. (Duero), ab occidente Lusitania, a meridie Oretanorum, ab oriente Celtiberorum finibus continebatur. Eorum urbes erant *Tolētum (Toledo)*, *Contrebia*, *Segovia*, aliae.

Casilīnum, Campaniae urbs, ad Vulturnum fl. sita, tria milia passuum a Capua distans, h. *Capua* regni Neapolitani, regionis *Terra di Lavoro*. Adiect. *Casilinensis* seu *Casilīnas*, *atis*.

Castrum Album, Hispaniae ulterioris locus munitus, cuius situs parum cognitus hodie est. Liv. XXIV, 41 codd. omnes habent *Castrum Altum*, sed verisimile est, scribas errasse, quum apud Diodorum in eclog. ex l. 25. n. 2 legatur *Ἄκρα Λευκή*, qui locus idem videtur.

Castŭlo, Hispaniae urbs; si Mannertum auctorem sequaris, prope abfuit a capite Baetis fl. (Guadalquivir), hodie *Cazorla* regionis eius, quae dicitur *Jaen*. Adiect. *Castulonensis*.

Caudium, Samnii urbs, per quam a Capua Beneventum via ferebat. Haud procul aberant notae illae angustiae, quae *Furculae Caudinae* dicebantur. Cf. Liv. IX, 2 et *Samnites*.

Compsa, Hirpinorum urbs haud procul a capite Aufidi fl. sita. Cives *Compsāni* dicebantur; h. *Conza*, quod oppidum est regni Neapolitani, regionis *Principato ulteriore*.

Compulteria, Samnii oppidum, ubi Samnites inter meridiem et occidentem Campaniam attingebant.

Consentia, Bruttii urbs, hodie *Cosenza* regni Neapolitani, caput eius regionis, quae dicitur *Calabria citeriore*. Adiect. *Consentīnus*.

Cornus sive *Corni*, *orum*, Sardiniae urbs. Pellitorum Sardorum caput id fuisse, ex Livii verbis (XXIII, 40, 5) non sequitur.

Cretenses, Cretae, insulae mediterranei maris, incolae.

Croto s. *Croton*, *ōnis*, Graeciae magnae urbs ad sinum Tarentinum sita haud procul a promontorio Lacinio (v. h.), h. *Cotrone* Calabriae. Cives *Crotonienses* s. *Crotoniatae* (nom. sing. *es*) dicebantur.

Cumae, Campaniae urbs ad mare inferum sita. Adiect. *Cumānus*.

Herculis columnae montes duo dicuntur, quos interfluit fretum Gaditanum, *Calpe* Hispaniae Baeticae et *Abўla* Mauritaniae. Cf. Plin. h. n. III, c. 1, 4 *Proximis faucibus utrimque impositi montes coercent claustra, Abyla Africae, Europae Calpe, laborum Herculis meta. Quam ob causam indigenae columnas eius dei vocant creduntque, perfossas exclusa antea admisisse maria et rerum naturae mutasse faciem.*

Hexapylon, v. *Syracusae.*

Himĕra, Siciliae fluvius; dividit ferme insulam, ut ait Livius (XXIV, 6, 7), h. *Fiume Salso.* Est et alius eodem nomine Siciliae fluvius, sed is septemtriones versus fluens mari Tyrrheno miscetur, ille meridiana regione in mediterraneum mare erumpit.

Hirpīni, orum, Italiae mediae gens; Samnii partem tenebant inter Apuliam, Lucaniam, Campaniam, denique reliquum Samnium interiectam, iisdem ferme locis, ubi h. ea regni Neapolitani regio est, quae dicitur *Principato ulteriore.*

Hispania ulterior, ea Hispaniae pars, quae ad meridiem et occidentem vergens Lusitaniam et Baeticam amplectebatur; nam reliqua Hispania, quae orientem spectabat, *citerior* dicebatur sive postero tempore *Tarraconensis.*

I.

Ianiculum, unus ex urbis Romae montibus.

Ibera, Hispaniae Tarraconensis urbs ad Iberum fl. sita.

Ibĕrus, Hispaniae flumen, h. *Ebro.*

Illiturgi (indecl.) s. *Illiturgis* Hispaniae Baeticae urbs in ea regione sita, quae hodie *Jaen* dicitur.

Inferum mare, v. *Mare inferum.*

Insteius vicus memoratur a Livio XXIV, 10, 8, neque vero aliunde innotuit.

Insula, v. *Syracusae.*

Intibili (indecl.) Hispaniae Tarraconensis urbs, quae non ita longe ab ore Iberi fl. abfuit.

Ionium mare, v. *mare Ionium.*

L.

Lacinium, promontorium Graeciae magnae sive Bruttii, qua eius regionis litus orientem spectabat. Ibi Laciniae Iunonis templum erat, de quo v. Liv. XXIV, 3. Hodie *Capo delle Colonne* regni Neapolitani, reg. *Calabria ulteriore.*

Lacus Trasimenus, v. *Trasimenus.*

Lanuvium, Latii urbs, dextra viae Appiae sita, h. *Civita Lavigna*, qui sub ditione pontificis max. vicus est. Adiect. *Lanuvīnus.*

Leon, ontis, Siciliae vicus haud procul a peninsula Thapso, quae hodie *Mangnisi* dicitur. Ab Hexapylo eum quinque milia passuum abfuisse Livius tradit, idque, si locorum situm inspicias, verius videtur esse, quam quod est apud Thucydidem, sex septemve stadia Epipolis distare locum.

Messāna s. *Messēne*, Siciliae urbs ad fretum Siculum posita, h. *Messina*.
Metapontum, Graeciae magnae urbs ad sinum Tarentinum sita. Adiect. *Metapontīnus*.
Mincius, Galliae cisalpinae fluvius, h. *Mincio*.
Misēni promontorium, Campaniae promontorium prope urbem *Misenum*, h. *Capo Miseno*.
Mons Victoriae, Hispaniae ulterioris mons.
Munda, Hispaniae Baeticae urbs haud procul ab eo loco sita, ubi nunc *Monda*, vicus Granadae, est.
Murgantia, Siciliae urbs. Non videtur in litore sita fuisse, id quod ex Liv. XXIV, 27, 5 colligas, sed mediterranea. Itaque Mannertus putat, errore Livii factum esse, ut Murgantiam poneret pro Megaris. Nonnulli tamen Murgantiam in litore insulae ad orientem patente positam fuisse statuunt.
Mylas, *ae*, Siciliae fluvius per regionem inter Syracusas et Leontinos interiectam fluens, h. *Marcellino*.

N.

Neapolis, Campaniae oppidum, h. *Neapel*, regni Neapolitani caput.
Nola, Campaniae urbs, h. *Nola* regni Neapolitani, regionis *Terra di Lavoro*. Adiect. *Nolānus*.
Nuceria (*Alfaterna*), Campaniae urbs ad Sarnum fl. sita, h. *Nocera* regni Neapolit., regionis *Principato citeriore*. Adiect. *Nucerīnus*.
Numidae, magna Africae gens. Circumdabatur Carthaginiensium finibus, Mauritania, Libya, Gaetulia, mari mediterraneo.

O.

Olympĭum, oppidum cum templo Iovis ori Anapi fl. propinquum, mille et quingentos passus, ut auctor est Livius, Syracusis distans.
Orbitanium, Samnii oppidum ex uno Livii loco XXIV, 20, 5 cognitum.
Orĭcum, Epiri urbs, eius quidem partis Epiri, quae Chaonia dicebatur.
Ostia, Latii urbs, in ore Tiberis condita ab Anco Martio rege, ut pro portu Romanis esset. Adiect. *Ostiensis*.

P.

Pachȳnus s. *Pachynum*, Siciliae promontorium, qua ad meridiem et orientem vergit insula, h. *Cap Passaro*.
Panormus, Siciliae urbs in septemtrionali insulae litore sita, h. *Palermo*, insulae caput. Adiect. *Panormitānus*.
Pellīti, v. *Sardi*.
Perusia, Etruriae urbs nobilis, h. *Perugia*, quae sub ditione pontificis max. est. Adiect. *Perusīnus*.
Petelia s. *Petilia*, Bruttii oppidum, sed ab Lucanis habitatum, h. *Strongoli* regni Neapolit., regionis *Calabria citeriore*. Adiect. *Petelīnus*.

urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur, quarum una est ea, quam dixi, Insula: quae, duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque proiecta est: in qua domus est, quae Hieronis regis fuit, qua praetores uti solent. — Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est: in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytanium, amplissima est curia, templumque egregium Iovis Olympii ceteraeque urbis partes, quae una lata via perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, in qua gymnasium amplissimum est et complures aedes sacrae, coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est, quae, quia postremo coaedificata est, Neapolis nominatur etc. — Quae a Livio memoratur arx, ea in Insula sive Ortygia ad ipsum pontem, quo adiungebatur Insula Achradinae, erat a Dionysio maiore condita et munimentis cincta. *Hexapўlon* s. *Hexapylae* pars moenium erant Tychae ad hibernum occasum versa et sex foribus instructa.

T.

Tarentum, nobilis Graeciae magnae urbs ad sinum Tarentinum sita, h. Taranto, quae urbs est regni Neapolitani, regionis *Terra d' Otranto.* Adiect. *Tarentīnus.*

Tarpeium saxum s. *Tarpeia rupes* in urbe Roma pars erat Capitolini montis.

Tarracīna s. *Anxur*, Volscorum in Latio urbs, propinqua paludibus Pontinis, h. *Terracina* in ea Italiae parte, quae sub Pontifice max. est. Adiect. *Tarracinensis. Flumen Tarracinae* (XXIV, 44, 8) videtur esse *Amasenus.*

Tartessii s. *Tartesii*, Hispaniae Baeticae gens ab Ana fl. (*Guadiana*) ad Herculis columnas patens.

Teanum (*Sidicinum*), v. *Sidicini.*

Telesia, Samnii oppidum, h. *Telese* regni Neapolitani, reg. *Neapel.*

Tifāta, *orum*, Campaniae iugum haud magno intervallo a Capua, ad quam urbem a meridie spectabat, distans.

Trasimēnus lacus, Etruriae lacus, h. *Lago di Perugia.*

Trebŭla, Campaniae oppidum haud procul Suessula situm. V. h. Adiect. *Trebulānus.*

Turdetani, Hispaniae gens. Tenebat alteram Baeticae partem, quae ad occidentem patebat, et partem Lusitaniae.

V.

Vercellium, Hirpinorum oppidum.

Vergellus, parvus Apuliae fluvius Cannis propinquus, h. *Vergello.*

Vescellium, Hirpinorum oppidum.

Vicus Insteius, v. *Insteius v.*

Vulturnus, Campaniae flumen, h. *Volturno.*

LECTIONUM A KREYSSIGIO ET BEKKERO RECEPTARUM DISCREPANTIA OSTENDITUR.

Cap. 1, 1 Hannibal post Cannensem pugnam castraque capta ac direpta) Aecis Hannibal post Cannensem pugnam captis ac direptis. Kr. et B. — Statio (Trebio)) Statio Kr. — cap. 2, 2 nanctus) nactus. Kr. — cap. 3, 5 agendae vobis sunt) agendae sunt vobis. Kr. et B. — cap. 4, 2 plebem adulari: salutare, benigne invitare) plebem adulari, salutare, b. invitare. Kr. et B. — cap. 5, 11 maneat; Poenus hostis) maneat. Poenus h. Kr. et B. — §. 13. His infandis pastos epulis) Hos, infandis p. e. Kr. et B. — § 14. prolapsum clade Romanum imperium) prolapsum clade Romana imperium. Kr. — cap. 7, 8 oreretur) oriretur. Kr. — §. 10 privato se tenuit) privatim se tenuit. Kr. — cap. 9, 5 ferunt) afferunt. Kr. — §. 12 quoniam) quando. Kr. — cap. 10, 7 capta Capua) Capua capta. Kr. — c. 11, 9 toto amisso exercitu) toto exercitu amisso. Kr. — c. 12, 10 Respondeam, inquit) Respondeam igitur. Kr. et B. — §. 11 iam laeta sunt; mihi possunt laeta esse) iam laeta sunt. Mihi p. l. esse. Kr. et B. — §. 15 in defectionem totam Italiam esse) in defectione t. I. esse. Kr. et B. — cap. 13, 5 ego) ergo. Kr. — §. 7 argenti mille talenta) argenti mille quinquaginta talenta. Kr.; argenti multa talenta. B. — cap. 14, 8 secunda simulando) clam simulando Kr.; obsecundando. B. — §. 10 Canusii) Casilini. Kr. et B. — §. 13 a Canusio) a Casilino. Kr. et B. — cap. 15, 4 qui remanserint) qui remanerent. Kr.; qui remanserant. B. — §. 7 conscientia tentatae defectionis) consensus attentatae defectionis Kr. — cap. 16, 2 movit) moverat. Kr. — §. 5 quotidiana) continua iam. Kr. — §. 7 iniuriave oreretur) intus oriretur. Kr. — §. 8 tris) tres. Kr. et B. — §. 15 vincentibus) tunc vincentibus. Kr. — cap. 17, 7 ne quis — Capuae quoque oreretur tumultus) ne quis — Capuam quoque recurrat. Kr.; ne quid — Capuae quoque moveretur. B. — §. 8 Praenestini) quingenti Praenestini. Kr. et B. — contulerat) compulerat. Kr. — §. 9 ante famam adversae pugnae) ante adversae pugnae famam. Kr. et B. — quum satis magno agmine irent) cum satis magno agmine irent. Kr. et B. — cap. 18, 9 ars deerat: socii Romanorum propugnacula — statuere) ars deerat sociis Romanorum. Propugnacula — statuere. B. — cap. 23, 6 qui magistratus cepissent) qui magistratus non cepissent. Kr. et B. — cap. 24, 3 pauca atque

modice) pauca ac modice. Kr. et B. — §. 7 inciderunt) inciderant. Kr. — §. 10 ceteram multitudinem) ceteram quoque m. Kr. — §. 12 poculumque idem sacerdoti esse ac t. antistitibus) poculumque idem sacerdoti ac t. a. B. — cap. 25, 4 Quod — attineret) Quod — attinet. Kr. — §. 10 consulem — sumere) consul — sumeret. Kr. — cap. 26, 5 Tartessiorum) Carpesiorum. Kr. et B. — §. 6 Chalbum) Galbum. Kr. — Tartessiorum) Carpesiorum. Kr. et B. — cap. 27, 4 Quem ut adesse tumultuosi nuntii refugientes ex speculis stationibusque attulere) Quem ut adesse tumultuose nuntiavere fugientes ex speculis stationibusque. Kr. et B. — §. 9 in pacto) in pacato. Kr. — cap. 28, 4 edoctus esset) edidicisset. Kr. et B. — cap. 29, 10 cornibus) in cornibus. Kr. et B. — §. 12 iam ante) tandem. Kr. — §. 16 Hispaniae) in Hispania. Kr. et B. — reliquerat) reliquit. Kr. — cap. 30, 7 potiti hostes sunt) potiti sunt hostes. Kr. et B. — cap. 31, 3 eae legiones) sex legiones. B. — §. 10 latum ad populum) dein latum ad p. Kr. et B. — §. 15 pluvit) pluit. Kr. — cap. 32, 1 exercitus Teani) exercitus. Kr. et B. — qui ibi erant) qui fierent. Kr. et B. — §. 16 Terentianum Tarentum mitti) Terentianum mitti. Kr. et B. — (M. Valerio) P. Valerio. Kr. — §. 17 datae) datae sunt. Kr. — cap. 33, 2 quod propior) quo propior. Kr. — §. 7 Praetor inter defectiones veterum sociorum) inter defectiones veterum sociorum Valerius. B. — §. 12 regi) regibus. Kr. — quaeque) quae. Kr. — cap. 34, 5 Xenophanes primo satis iam semel felix mendacium str.) X. primo, satis iam semel felix, m. str. Kr. — §. 12 praesidem) praesidio. Kr. et B. — cap. 35, 2 facere. Primo sollicitantes ut — deficerent; ubi id parum processit) facere; primo sollicitantes, ut — deficerent. Ubi id p. pr. Kr. et B. — §. 6 erant) erat. Kr. et B. — §. 7 Inter quae maxima inerat cura) Inter quae concordiae maxima inerat c. Kr. — medix tuticus) Medixtuticus. Kr. — §. 16 ante decimam) ad decimam. Kr.; ab decima. B. — cap. 37, 11 hominum) hostium. Kr. et B. — cap. 38, 7 viginti quinque parari) viginti parandas. Kr.; viginti (paratas) B. — cap. 39, 2 rex, ecquae) de iis, quae. Kr. — §. 8 super Suessulam) super Vesuvium. B. — cap. 40, 4 filius) filius eius. Kr. — Hostus) Hiostus. Kr. — §. 7 data est) data. Kr. et B. — cap. 41, 4 Hostus) Hiostus. Kr. — §. 8 (quinquaginta navium)) quinquaginta navium. Kr. — §. 11 aestuque suo) aestu secundo. Kr. — cap. 42, 5 quum ploratum prope — posses conspicere) (comploratum prope — posses conspicere). B. — aculeo emisso) aculeo amisso. B. — §. 13 praesidiumque simul nobis et Nolae ademeris) praesidiumque missum nobis et Nolae ademerit. Kr.; praesidiumque missum nobis et Nolae ademeris. B. — cap. 44, 1 fuerat) fuerit. B. — sero iam esse) serum iam esse. B. — §. 3 corona oppidum circumdedit) oppidum corona circumdedit. Kr. — §. 5 ceciderunt) ceciderant. Kr. — (haud) plus) haud plus. Kr. et B. — quadringenti) quam triginta. B. — §. 6 tenuerunt se) t. sese. Kr. — §. 7 educit) eduxit. Kr. — cap. 45, 10 En minor) Enim minor. Kr.; En nunc. B. — cap. 46, 9

tenendum) tutandum. Kr. — §. 11 habebant: peditem imbellem, equitatu plus poterant) habebant, peditem imbellem: equitatu plus p. Kr. et B. — §. 13 Tunc) Hic. Kr. — silentio facto) facto silentio. Kr. et B. — cap. 47, 1 sunt nuntiata) nuntiata sunt. Kr. et B. — §. 3 repleverunt) repleverant. Kr. et B. — §. 4 extrahere) extrahebant. Kr. — cap. 48, 5 teneri) retineri. Kr. et B. — §. 9 rempublicam) respublica. Kr. et B. — §. 10 tempus commodarent) ad tempus commodarent. Kr. et B. — §. 12 et qua die) qua die. B. — cap. 49, 5 Hannibale) Hamilcare. Kr. et B. —

Lib. XXIV. cap. 1, 8 probatam tueri) propalam tueri. B. — cap. 2, 3 urbem ac portum moenibus validum) urbem portu ac moenibus validam. Kr. et B. — §. 7 volebat — sperabat) volebant — sperabant. Kr. et B. — §. 9 raras stationes) raras et stationes. Kr. — §. 10 omnem) locos omnes. Kr. — cap. 3, 3 aberat (ab) urbe nobile templum (ipsa urbe erat nobilius)) aberat ab urbe nobili templum (ipsa u. erat n.) Kr.; aberat ab urbe nobili templum ipsa urbe nobilius. B. — §. 4 pecus pascebatur) pascebatur pecus. Kr. et B. — §. 5 separatimque greges sui quisque generis) separatimque egressi cuiusque generis greges. Kr.; separatique greges sui quique generis. B. — §. 7 affingunt, ut plerumque) affinguntur plerumque. Kr. et B. — §. 11 frequentiam eo recipere) frequentiam suam recipere. B. — §. 15 ad ipsum) ad id ipsum. Kr. — cap. 4, 1 et 2 laturum. Ea aetas, id ingenium) laturum. Laete id ingenium. Kr.; laturae aetatis. Id ingenium. B. — §. 2 et tutores) tutores. Kr. et B. — §. 5 relinquit) reliquit. Kr. et B. — eductus esset) edoctus esset. Kr. — §. 6 (per) tutores) per tutores. Kr. et B. — cap. 5, 13 Itaque) Ita. B. — cap. 7, 7 in multitudinem) ad multitudinem. Kr. et B. — §. 9 ad provinciae regnique fines) provinciam regnique fines. Kr. — cap. 8, 1 bellum eumque hostem) bellum cum eo hoste. Kr. — §. 16 opponant) opponamus. B. — §. 19 liberi vestri) liberi nostri. Kr. — §. 20 ad praecavendos similes duces documento sunt) ad praecavendum simile utili documento s. Kr. — cap. 9, 4 novi alii creati) novi tres alii cr. B. — §. 5 factum) factum est. Kr. et B. — cap. 10, 4 Et praetores) et praetoribus. Kr. — §. 7 pluvisse) pluisse. Kr. — §. 9 nucem) arcem. Kr. — cap. 11, 2 duabus Q. Fabium) duabusque Q. Fabium. Kr. et B. — §. 3 duas urbi) et duas urbi. Kr. — §. 8 ad trecenta) ad trecenta milia Kr. — supra trecenta) supra trecenta milia. Kr. — cap. 13, 8 mota Nolana est plebs) Nolana mota est plebs. Kr. et B. — cap. 14, 2 accessit. Qui primo — intravit, deinde) accessit: qui pr. — intravit. Deinde. Kr. — §. 10 diei reliquum) quod reliquum. Kr. et B. — cap. 15, 2 Decem septem) Decem et septem. Kr. — §. 4 terebat tempus) tempus terebat. Kr. et B. — §. 7 concurrissent) occurrissent. Kr. — adducta res. Quum utrimque) adducta res, quum utrimque. Kr. — obtereret, postremo) obtereret. Postremo. Kr. — cap. 16, 1 ira animos accendit. Renovato) ita animos accendit, atque renovato. Kr. — §. 7 concione militum) concione.

B. — §. 13 nisi quis morbus) nisi queis morbus. Kr. — cap. 18, 3 qui post Cannensem cladem agitasse de Italia deserenda dicebantur) qui post Cannensem pugnam rempublicam deseruisse Italiaque excessisse velle dicebantur. Kr. et B. — §. 4 videri verba) verba. Kr. et B. — cap. 19, 2 medix tuticus) Medix tuticus. Kr. — §. 6 inceptum) inceptis. Kr. et B. — cap. 20, 1 in agro hostium) in agros hostium. Kr. et B. — §. 5 oppugnatae) expugnatae. B. — §. 11 muris successisset) muris accessisset. Kr. — §. 13 priore conscripta iuventute) primore iuventute conscripta. Kr. et B. — §. 15 iam enim aestas) iam media aestas. Kr. — cap. 21, 11 stationibus — dispositis adiungitur) stationibus — dispositis, adiungitur. Kr. — cap. 22, 4 aperiat) patefaciat. Kr. — §. 7 vel munitissima prodita) munitissima velut prodita. Kr. — §. 10 Spatium sumeret) Paullum sumeret spatii. Kr. et B. — §. 15 animadvertit) animadverterit. B. — cap. 23, 4 Achradinam) et Achradina. Kr. — §. 7 sese) se. Kr. et B. — cap. 24, 6 (et) principium) et principium. Kr. et B. — cap. 25, 2 fecisse Hieronymum) Hieronymum. B. — §. 6 coniuges regias) regias coniuges. Kr. — §. 9 suppliciorum) plebeiorum. Kr. et B. — cupere (v. add.)) spernere. Kr. et B. — §. 10 omnes regiae stirpis interficerentur) omnis regia stirps interficeretur. Kr. et B. — cap. 26, 8 stirpem regiam) regiam stirpem. Kr. — cap. 27, 7 quies ac tranquillitas) quies et tranquillitas. Kr. et B. — cap. 28, 3 ac beatiorem) beatioremve. Kr. — §. 6 vel quinquaginta) et quinquaginta. B. — cap. 29, 6 ab Syracusanis) ab Syracusis. Kr. et B. — cap. 30, 4 quicquam puberum) quenquam puberem. Kr. — §. 12 abscisa) abscissa. B. — §. 14 receptos tutarentur) receptosque tutarentur. Kr. et B. — cap. 31, 1 Enimvero conclamant) Enimvero, conclamant. Kr. et B. — §. 2 Hippocraten atque Epicyden, pervasit) Hippocratem atque Epicydem adesse pervasit. Kr. — perrexerunt. Qui mos — comprehendi) perrexerunt, qui mos —. Comprehendi. Kr. et B. — §. 10 abequitaverint) adequitaverint. B. — §. 14 nancti) nacti. Kr. — cap. 32, 3 inflati) inflammati. Kr. et B. — §. 6 ad ea) ad haec. Kr. et B. — §. 9 Hippocraten atque Epicyden) Hippocratem atque Epicydem. Kr. — reciderant) reciderunt. Kr. — c. 33, 3 quingentos passus) quingentis passibus. Kr. — §. 6 perfugerunt) perfugerint. Kr. — pateret) pateat. B. — cap. 34, 4 sexaginta quinqueremibus) ex quinqueremibus. Kr. et B. — §. 5 ad remittendum inhabile) inhabile ad remittendum. Kr. et B. — §. 6 binae quinqueremes) binae ad quinqueremes. Kr.; binae ad octo quinqueremes. B. — §. 10 navem) navim. Kr. et B. —; §. 11 navem) navim. Kr. et B. — §. 12 omnisque eis spes) omnisque vis est. Kr. et B. — §. 14 adiuvabat) iuvabat. Kr. et B. — magna parte) magna ex parte. Kr. et B. — cap. 35, 9 obvium) obviam. Kr. — cap. 36, 1 nanctus) nactus. Kr. et B. — §. 2 defugientes) deficientes. Kr. et B. — redit) rediit. Kr. et B. — §. 7 inutilem moram) inutili mora. Kr. — §. 10 recipit) recepit. Kr. et B. — cap. 37, 5 rati) rentur. Kr. et B. — §. 9 et nece) id nece. B. — eam legem) iam. B. — Et consulem)

Consulem. Kr. et B. — §. 11 ea denuntiatio) ea denuntiata. Kr. — esset) essent. Kr. — Consensa) Consensu. Kr. — concio) concio edicitur. Kr. — cap. 38, 1 omnibus) militibus. Kr. — §. 7 quicquam) quisquam. Kr. et B. — cap. 39, 1 oppositurі se) oppositi. Kr. et B. — §. 2 et primo) primo. Kr. et B. — §. 5 integri) atque integri. Kr. et B. — cap. 40, 4 terra ac maritimis urbibus arceret, quae) terra aut maritimis viribus arceret, qui. Kr. — §. 6 rex reliquerat) reliquerat Philippus. Kr. — §. 10 Diem insequentem) Die insequenti. Kr. — §. 17 certamini) certamine. Kr. — atque incensis) aut incensis. Kr. — cap. 41, 8 maxime eum locum) eum locum maxime. Kr. — cap. 42, 3 superque ipsum) superque ipso. Kr. et B. — §. 7 priores ita eodem eventu) prius, eodemque eventu. Kr.; priores eodemque eventu. B. — cap. 43, 5 Comitia consularia) Consularia comitia. Kr. et B. — cap. 45, 2 Eam rem ad consilium quum retulisset) Quum eam rem ad consilium retulisset. Kr. et B. — descisset) discessisset. Kr. — §. 11 (ad Hannibalem)) ad Hannibalem. Kr. et B. — cap. 46, 3 transgressos murum, aperire ex interiore parte aut claustra refringere) transgressos ad murum pergere, et ex interiore parte vi claustra refringere. Kr. et B. — §. 6 tenebant) tenuerunt. Kr. et B. — cap. 47, 14 Atrinum) Aternum. Kr. et B. — §. 16 matris Matutae) Matutae. B. — cap. 48, 5 resideret) remaneret. Kr. — §. 9 legatis) reliquis. Kr. et B. — §. 13 coepta) iuncta. Kr. et B. — Massuli) Massyli. Kr. et B. — cap. 49, 1 septemdecim) septem et decem. Kr. — opulentiusque regnum) regnum opulentiusque. Kr. et B. — quam accepisset) quam quod accepisset. Kr.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 14 v. 8 scribendum, ut docuit Weissenbornius (lect. Liv. part. II, p. 3), ex codd. auctoritate: *ut, qui aliquid habeamus* i. e. ut, quum nos — habeamus. Quod vulgo legitur *quasi*, videtur propter *tanquam*, quod sequitur, pro vera scriptura positum esse.

P. — ann. v. 14 scribe: Nusquam autem, ubi *nihil aliud* sine verbo ponitur, Livius etc.

— 16 ann. pr. adde: Accedit tamen in ea positione talibus verbis inde quaedam vis, quod arsin, quae dicitur, habent.

— 30 ann. v. 16 adde: Cf. XXIV, 24, 3 *fidem potiorem ratus, quam patriae debebat.*

— 40 ann. v. 9 a fin. l. sollemnia.

— 71 — v. 15 a f. dele distinctionem post *muris*.

— 94 §. 8. Quum in optimis codd. legatur: *exin dictatoris*, Weissenbornius probabiliter scribendum coniecit: *ex Iunii dictatoris.*

— 100 ann. v. 2 a f. l. *corona.*

— 149 — v. 17 a f. excidit: XXIX, 17 extr.

— 173 — v. 18 l. *potuit.*

— 180 §. 5 *agros urbemque.* Ab optimis libris mss. abest *que.* Quare Weissenbornius astipulatur Gronovio scribenti: *unde agros, urbem posset conspicere.* Sed quum durius haec dissolute dicantur, nescio an potius statuendum sit *q;* (i. e. *que*) per errorem librariorum excidisse ante *p.*

— 186 §. 9. Memorabile est, in optimis codd. legi: *in vasta urbe lataque.*

— 187 ann. v. 6 l. superscriptum.

— 188 — v. 7 adde post *equitesque:* Cic. Acad. I, 1 *paulumque quum eius villa abessemus* Suet. Caes. 42.

ibid. v. 8 adde post praecedentis: *aberat.*

— 190 §. 9. Quum in optimis et plerisque codd. sit: *Eo* (vel *ea*) *tum arce, satis, ut videbatur, tuta, Crotoniatum optimates tenebant*, Weissenbornius aut scribendum censet: *Ea tum arce — tuta — tenebant*, afferens XXVIII, 2 in. *obsiti virgultis tenebant colles;* XXVII, 17 extr., ubi cod. Put.: *Iisdem deinde castris tenebant*, aut, auctore Roëllio, post *optimates* inserendum *se.* Hoc quidem praetulerim.

— 194 ann. v. 6 insere post Itaque: quum in optimis codd. scriptum sit: *it ingenium.*

P. 196 §. 9. In optimo quoque libro ms. *que* coniunctio post *deponendo* non invenitur. Quare fortasse sic scribendum est: *Brevi deinde ceteros tutores summovet Andranodorus: iuvenem iam esse dictitans Hieronymum ac regni potentem deponendo tutelam ipse*, *quae* etc.

— 213 §. 20 Weissenb. hanc coniecturam proposuit: *sed ad praecavenda similia* (i. e. exempla) *utiles documento sunt.*

— 231 ann. v. 17 l. praeter eum.

— 233 — §. 13. Proxime ad codd. scripturam accedit quod Weissenbornius coniecit: *nisi cui morbus.*

— 265 §. 8. *Cupere* ut scribas, non *spernere*, etiam quae sequuntur: *Et non ferme desunt* etc. videntur suadere, quippe quae rectius subiungantur ei sententiae, quam esse in verbis: *nec cupere modice nec habere sciunt*, ostendimus, quam ei, quae est in Gronovii explicatione. Itaque *cupere* videtur recipiendum fuisse.

— 268 ann. v. 10 insere post ostendit: infra c. 45, 6.

— 300 — v. 15 adde: Non multum discrepat, quod Weissenbornius coniecit: *aperte statuerant agendum.*

— 315 ann. v. extr. l.: *super ipsos.*

— 361 *a* posita sunt in versu secundo a fin. quae in versu tertio ponenda erant et contra.